





EXLIBRIS
Sigerist-Escher
O.Z.

EPISTOLARUM
AB
ERUDITIS VIRIS
AD
ALB. HALLERUM
SCRIPTARUM
PARS I.



Latinæ.

VOL. III.



EPISTOLÆ 405. ad 670.
SCRIPTÆ AB ANNO MDCCXLIX.
AD ANNUM MDCCLV.



BERNÆ.
Sumptibus Societatis Typographicæ.
1774.

405.

HUMPHREDUS SIBTHORPE.

Litteras tuas 21. Maji ſcriptas cum ſeminibus incluſis lætus accepi, quapropter Tibi, Vir clariſſime, debitas habui, retulique gratias, de quibus Te certiorem fieri diu occaſionem ſperaveraveram, eamque relationem Dn. Stocker Strasburgenſis per manus Diſſectoris veſtri nondum viſi exſpectabam.

Alia jam ſemina ſeptuaginta plus minusve amicitiæ pignus pro penu noſtro mitto: ut id facilius exequar, quod deſidero, ſeu ſpero pluribus & largioribus muneribus, ut mutuo nos exhilaremus commercio, quale etiam cum Dillenio noſtro per aliquot annos coluiſti, & Tecum libentiſſime alam, ſi placet: ſuperbiat mutuus Horti honos, & ſub communis noſtri Regis auſpiciis pacis artes floreant. Faſciculus hic ſeminum partim ab Indis Occidentalibus, partim e noſtris Caldariis & Horto congeſtus, quorum recens collectio, ſi minus raritas, ea Tibi commendat.

Occaſionem etiam faciam haud infrequentiorem per Dominum Gynander, ut alia habeas, ſi hæc non diſpliceant; ſi deſiderata noſſem, forte etiam gratiora addidiſſem; ut utilius commercium Botanicum recte inſtituerem, addidi etiam exem-

plaria duo Catalogi desideratarum plantarum, quam vellem Botanicis amicis vestris non dedigneris commendare, & semina qualiacunque Tibi commendam *, ea æque recentia, neque minus infida pro modulo nostro scientiæ & occasione libera ab aliis seriis negotiis.

Scire etiam volo, me vehementer cupere Botanicis in omnibus, quæ nunc imperaverint morem gerere, Tibi autem maxime facile Botanicorum Principi observantiam meam voveo, & quicquid in me est offero, vel in seminibus stirpibus vel libris botanicis vel medicis mittendis, & uti Dillenio me non minus Tibi de voto utere dimidias fore partes maxime exoticorum jam offero, reliquæ anno proximo sequentur. Si plantæ istiusmodi Tibi arrideant, deinde annuæ nostri frigoris patientes ordine alphabetico plerumque observato, eodemque jure redeat commercium, sine enim hoc hortus instructissimus cito pauper fiat. Aldachanam Sibiricam quadrifoliam, Aspalathum minus Russici Botanici, & alia quæcunque semina vel plantæ Horto nostro nova suspiceris, inprimis grata forent, vel minime plantæ siccæ ad Phytopinacium Sherardianum complendum. Utinam opus hoc adminicula quæque sibi propria, Hortum præcipue siccum Bauhini & aliorum, si tales tempore vel nimis mutilati essent, adjuncta habuisset. An iste in Familia Bauhiniana vel alibi sit superstes nescio; si vel prece vel pretio procurandus est, libenter adjungam; Adjutorem vero vel plures propriæ suæ famæ

famæ non nimis ſollicitor, qui patienter alterius laboribus minime contemnendis in uſum publici tempus impenderent, maxime deſidero. Alterum vero Dillenium deſperem, qui Pinacem ulterius digerat, emendet, augeat, ut amplius utilis Botanophilorum auxilii extitit egregium exemplar Botanicis deſideratiſſimum; priusquam ætas ſatis difficilis nimiis innovationibus graviſſima reddetur: quare etiam atque etiam rogo, ut curas tuas in hoc ſe non penitus negligere non dedigneris, cum ſolus operi huic pro optimo judice æſtimatus eſſes. Opus Regia patrimonia meritum. Vale, Tuique ſtudioſiſſimum favore & amicitia tua proſequere. Oxonii 23. Decembris 1748.

406.

J. F. SCHREIBER.

Acceptiſſimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quas die 28. Dec. anni præt. ad me ſcripſiſti, faxit Numen, ut hunc annum felicibus ominibus inceperis! Cura Bibliopolæ veſtri circa impreſſionem ſcripti mei eſt ſupervacanea: mutavi enim conſilium, nec quid quæro, niſi ut ſecuro modo remittatur. Difficultates ipſius ſunt de cætero nullæ. Non enim id volui, ut reimprimeret ſcriptum, quale Haude imprimi fecit, ſed ut imprimeret Manuſcriptum a me miſſum, cum emendatum, tum auctum. Bibliopolium Petropolitanum non ægre tulit, ut Haude imprimeret

 Manu-

Manuſcriptum meum, quia fuit diverſum a Petropolitano ſcripto. Ex Novis publicis haud dubie cognoviſti, quod Auguſtiſſima Domina Hermanno Kaaw Boerhaave Abrahami Fratri (qui ſcripturus de monſtris) dignitatem Conſiliarii Intimi, & Primi Medici Perſonæ, ac directionem generalem totius Cancellariæ & Facultatis medicæ per Ruſſiam totam cum ſtipendio annuo 7000. Rublonum, curru, equis & ſervis, ac hoſpitio commodo contulerit. Nuntior de abitu tuo ab Academia, qui non adeo diu differetur. Ipſe credo, quod Te ægerrime dimittent. qui Virum adeo doctum adeoque laborioſum nullo pretio ſunt habituri. Det Tibi Deus Tuisque bonam valedictionem, mihique, uti conſueviſti favere. Petropoli 17 $\frac{14}{1}$ 49.

407.

J. F. SCHREIBER.

Aſchius pater meum communicavit ſcriptum germanica lingua exaratum, quod duabus epiſtolis veſtræ Academiæ ſtatum eleganter æque ac fideliter exponit. Verum omnino eſt, nullam in Germania Academiam cum veſtra ullo modo comparari poſſe. Vidi in Novis publicis, ſcripſiſſe Dominum Tralles ad Te de machina & anima &c. Si ad ipſum aliquando ſcribes, roga ab ipſo pro me exemplar. Semper enim mihi fuit amicus, & ni fallor, quoque aliquas lectiones meas Lipſiæ audivit. Vale & mihi fave. D. 23. Jan. 1749. Petropoli.

408.

J. G. GMELIN.

Nudiustertius per aurigam Francofurtensem ad Te mihi plantas Sibiricas, quas otium meum colligere permisit. Nondum omnes sunt, habebis autem sine dubio reliquas alia occasione. Deinde semina misi, Astrachanensia & Persica a Domino Lerche collecta & anno superiori ad me transmissa. Nondum responsum tuli ad litteras meas Petropoli scriptas, hinc nec piscis sum, nec caro. Vivo sine omni salario. Totus sum in Tomo tertio Floræ Sibiricæ, ut ad prelum paratum faciam. Violæ & bellis apud nos in campis florent, adeo mitis est hiems. Tubingæ d. xx. Januar. 1749.

409.

JOHANNES DE GORTER,

Quod feliciter absolvisti in Physiologiæ primis lineis, summo cum oblectamento pervolvi, magnumque inde usum & emolumentum ad promovendam scientiam medicam hausi: fateor me nullum auctorem, tum brevi & perspicuo stilo in parvo libro tam multas res clare exponentem legisse: hoc Tibi gratulor, omnesque medicinæ amantes Tibi multum debent, qui in multis obscuris lucem accendisti, aliisque prælucere voluist, ut certe scio.

Tanto cum Viro, si mihi liceret inire amicitiam, commerciumque litterarium excolere ad promovendam scientiam medicam pergratum foret: his igitur periculum facere volui. Inde, ut tentarem meas ad Te & vicissim potuissent pervenire literas, exercitationem quintam de Actione viventium particulari, ad Te mittere volui. Si digneris rescribere, Pieter Willems famigeratissimus mercator Coloniæ, curabit ut litteræ tuæ ad me perveniant.

Filius meus David de Gorter Medicinæ & Botanicæ Professor Ordinarius etiam in hac Academia, nuper edidit Floram Gelricam seu enumerationem plantarum in Gelria crescentium, eam videre si velis me certiorem facias.

His temporibus prelo mandavi morborum generalium systema, cujus descriptam analysin, nondum tamen perfecte absolutam, etiam mitto, ut videres ex ea, qualem servo ordinem: hanc si perspexeris abjicere velis, aliam impressam, absoluto opere ad Te mittam. Totum illud opus magnitudine non superabit Physiologiæ primas lineas, ut patet ex adjecto folio impresso.

Filius quoque meus ad imprimendum exhibuit Fundamenta botanica, qui liber propediem impressus erit.

Si quid novi in arte medica apud nos sumus exspectaturi, de istis me certiorem facere velis, simul-

ſimulque indicare, annon poſſes exiguam aliquam exercitationem medicam tradere Ephemeridibus Naturæ Curioſorum, ut cum illis in lucem veniret.

Vale, meque in amicitiam tuam recipere velis, & reſponſione dignari. Dabam Hardervici, die 1. Februarii 1749.

410.

J. G. GMELIN.

Si ex me penderet, diu Ruſſis valedixiſſem; nam nullas habent cauſas ſonticas, quare me vexent. Urgeo apud Sereniſſimum Principem meum, jubeat ut munus adgrederer. Et jam tres hebdomadas hic moror eam ob cauſam. Spero, me veniam tandem impetraturum eſſe. Sunt alia negotia publica, hisce paullulum graviora, quæ reſponſum tardant. Nebulo ille ſolus eſt, qui in Ruſſia agit, licet videri velit nihil agere. Ignorat noſtra aula has artes, licet ego non celem. Vix credere poſſunt, a nutu res ejusmodi pendere. Volunt agere uti cum aliis gentibus fieri aſſolet. Sed nil ea re proficient. Amores mei languent, quamdiu reliqua non confecta ſunt. Balnea ſulphurea muſculos manus tuæ forte in meliorem ſtatum reducerent. De Leſtoki fato nihil fere habeo, quod ſcribam. Viciſſitudinibus plurimis homines in Ruſſia commorantes obnoxios eſſe vides. Plurima egregia præſtitit Imperatrici. Quid egerit mali nos in æternum late-

bit. Nullus dubito, quin odia privata multa accesserint. Kauw Boerhaave successor ejus vix politicis se rebus immiscebit, & prudens similia fata avertet. Scripsi ad illum & gratulatus sum novum munus, meas etiam res ipsi commendavi. Est enim vir officiosus, humanus & justi amans. Riberium dicunt ex speciali mandato Imperatricis numero Membrorum honorificorum Academiæ Petropolitanæ exclusum esse, propter circumcisionem, de qua vero etiam meo tempore rumor ferebatur. Dicunt, dolere Parisiis annos, in perditos, & cum Winslowo perpetuo versari. Suavissimam conjugem & lectissimam filiam tuam sponsa plurimum salutat. Nec ego id officii negligo. Vale. Dabam Stutgardiæ d. 13. Febr. 1749.

Si forte semina haberes Saponariæ, cujus non ego tot in Horto Gottingensi, quædam rogo granula mittas.

411.

D. LUDWIG.

Quod Controversiam Hambergerianam in discipulum devolvere volueris optimum est, poteris interim, tuis consiliis & experimentis difficillimam respirationis theoriam illustrare. Prælectiones meæ in Physiologiam tuam optime quidem succedunt, nunc hyeme uti in Auditorio privato Anatomica præparata ad manus habeo, in quibus tua asserta ostendo, sed difficile hoc perficitur æstate, ubi in Auditorio publico lego, & nulla

nulla præparata habeo. Nonne aptius foret, ſi in nova quadam editione anatomica ſeparatim traderes in compendio lectionibus academicis apto, & poſtea mere Phyſiologica aphoriſtica proponeres. Si ea mihi eſſet, quæ Tibi, rerum anatomicarum cognitio, eandem omnino rem præſtarem. Deſcenſum lymphæ per infundibulum ad glandulam pituitariam, niſi me omnia fallunt, ante hos 6. annos in juvene didici, qui inſultibus epilepticis affectus, levamen ſenſit ex capite poſt inſultum in anteriori proclivi, in ſectione vidi plexum choroideum hylatidibus conſpicuum, & aquam in ventriculis contentam per orificium commune anterius verſus infundibulum delatam, quod infundibulum magis poroſum, quam cavum aqua quodammodo diſtendebatur. Studiorum meorum ratio poſt obitum Platneri ita mutata eſt, ut præter Phyſiologiam, quam publice doceo, privatim non niſi materiam medicam & praxin docere poſſim, botanicas & anatomicas lectiones junioribus medicis vel jam tradidi vel proxime tradam. Vale & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. 15. Febr. 1749.

412.

J. F. SCHREIBER.

Ex ultimis Tuis, Amiciſſime Haller, lætus cognovi, Te, quod tamen facile prævideram, Göttingæ manſurum: gratulor novos honores, aliaque emolumenta, de quibus non multa ſcri-

 pſiſti.

psisti. Non erit tua mora, sine insigni utilitate Academiæ. Nec poterant jacturam Tui, hoc tempore facile resarcire. Res medica litteraria multa bona sibi promittet de studiis tuis ulterioribus. Ensius, medicus Castrensis, vivit in Ucrainia: sed vel consanguineis suis litteras rarissime mittit, ut de eo vix hic audias: ceteri res botanicas hic non amplius curant. MStum ut remittas, peto iterum. Non misissem, nisi spe impressionis facta. Rarus est morbus, cujus notitiam mihi dedisti. Si est aneurysma, hujus generalissima notio erit emendanda. 17 $\frac{25}{11}$ 49. Petropoli.

4'3.

J. F. MECKEL.

Benevole accipias, rogo, Vir Illustris Excellentissime meam hanc, quam justo tardius offero, ad litteras tuas honoratissimas maximeque gratas, responsionem; quas integerrimæ salutis tuæ nuntios mihi fuisse, ex animo gaudeo, Deumque precor, ut quam diutissime salvus supersis. Diuturnam tuam Göttingæ commorationem, & præsentibus discipulis, & orbi erudito & mihi denique utilissimam lætus persensi, victores de Te certantium Hannoveranos, Tibique opto, ut vitam ibidem inter amicos transigas beatissimam.

Addo angiologicas.... tabulas, quas miraberis tantis & tot potuisse erroribus inquinatas nostris temporibus tradi; cum tamen meliora exhibere potuisset,

tuiſſet, dummodo legiſſet quæ Tu Cariſſime Præceptor de vaſis accuratiſſime tradidiſti. Ita enim e. g. ex carotide interna arteria, prope ſecundam hujus in canali ſuo flexuram, arteriam oriri ait, aliam opticam, quam cum nervo optico in orbitam deducit, aliam orbitariam, orbitam ingredientem, certo indicio eum arteriam veram ophthalmicam nunquam vidiſſe, neque quoad originem, nec diſtributionem ſuam in ciliares elegantes arterias. Imprudens ille ſcribit in præfatione, præter Winslowum nullum angiologiam bene docuiſſe aut accurate deſcripſiſſe, neque nomina vaſis juſta impoſuiſſe. Cenſuram tuam Cariſſime Præceptor certe meretur, cum, inter Winslowiana anatomica ſcripta, angiologia ſit maxime manca, & nulla poſſit vaſorum pertractatio eſſe uberior, aut accuratior, tua. Sed iſte præter Winslowum nil legit, meliora non vidit, ipſe vero, voluptatibus deditus, minime in corpus humanum, quamvis id glorietur, proprio ſtudio inquirit. De la Metrie gratia tum Regis tum reliquorum plane excidit; varia evulgavit viliſſima ſcripta. Inter alia ſcriptum, quod pro famoſo libello haberi poteſt, & cui titulus *Epitre à mon Eſprit.* In hoc ſcripto Concionatorem aulicum primarium nomine Sack injurioſe aggreditur, quod tractatum ſuum *l'Homme machine*, acri judicio caſtigaverit, deceptus gallica verſione Göttingenſis in hunc librum factæ cenſuræ, quam pro originali habitam Sackio tribuit. In alio tractatu, cui titulus *Diſcours ſur la vie heureuſe par Seneque*, felicitatem in eo ponit, ut voluptates & affectus noſtros omni

ni modo ſequamur. Vitia extollit, virtutem opprimere conatur. In Botanicis Gleditſchius nuper novam methodicam plantarum diſpoſitionem propoſuit, in prælectione habita in ſocietate ſcientiarum regia, & eam quidem ab adhæſione ſtaminum ad calicem & petala deducit, quippe magis naturalem Linnæano ſyſtemate putat. In Iſoſtemonibus facilius paullum, quam in reliquis ſuccedet.

Profeſſor Chymiæ Pott in ſyſtemate regni mineralis Woltersſtorffii, qui muneri eccleſiaſtico hic præeſt, refutando occupatur, etiam unam de hac materia lectionem habuit.

Ad me quod attinet, laboribus anatomicis unice delector. Durum nervum jam ſæpiſſime accurate inveſtigavi, conſtans eſt ejus cum nervo intercoſtali anaſtomoſis. Quas hac ratione ſemper inveni: oritur ex nervo duro, vix per foramen ſtylomaſtoideum egreſſo, ramus, qui ante ventrem biventris poſteriorem deſcendens in duos dividitur ramulos, anteriorem qui antrorſum deſcendit uno ſurculo in muſculum ſtylohyoideum deſinit: altero vero vel perforante hunc muſculum vel ante eum ulterius deſcendente, cum nervi intercoſtalis ramo molli, qui latus internum trunci arteriæ temporalis legit, anaſtomoſi convenit. Poſterior vero dicti rami ramulus, anteriori valentior, deſcendens ante ventrem biventris poſteriorem, in hunc inſeritur, non vero totus in hunc muſculum finitur, ſed (quod cauſa fuiſſe videtur

videtur minus cognitæ hujus anaſtomoſeos) retrorſum eundem fortiſſimo ramo ſuo perforat, paucis tantum ſurculis in muſculi fibras deſinentibus; perforans ramus, arcu facto intra muſculi carnes, in poſteriori hujus muſculi biventris latere iterum emergit, ac inter venam jugularem & ventrem biventris ſurſum ſurſum verſus foramen venæ jugularis redit, donec aliquot ſub hoc foramine lineas, in anteriori venæ jugularis parte cum linguali nervo octavi paris anaſtomoſi, interdum etiam duplici coeat, dum duri nervi hic ramulus ſub foramine jugulari in duos ſurculos dividitur, paullo ſub foramine altero, altero vero intra foramen jugulare convenit. Præterea plura alia minus accurate deſcripta, inquirens in hujus nervi fabricam, inveni, & ſi fieri poterit, ramorum ejus diſtributiones, cum ſuperficialibus nervi uti paris ramis depingi curabo. Nec minus aliqua invento de nervo intercoſtali addere potero. Vidi enim & inveni nervi intercoſtalis radicem a ſecundo ramo quinti paris vere ex gangliolo oriri, quod foramini ſpheno palatino dura matre clauſo adjacet, & quod fit ex ramo primo deſcendente ſecundi rami quinti paris; ex ganglio vero ſic orto nervus palatinus deſcendit, intercoſtalis nervi radix retrorſum recurrit, naſales vero ramuli introrſum abeunt. Ter hac ratione fabricam inveni, videbo an conſtans ſit, & hanc obſervationem cum aliis quibusdam circa nervi quinti paris ramos in ſocietate prælegam, dum receptus ero, ſin minus, novam diſſertationis meæ cum omnibus ramorum nervi quinti paris & duri

figuris

figuris editionem curabo, additis tum nervi duri accurata descriptione, tum iis quæ observatu digna in ramorum nervi quinti paris distributione adhuc invexi. Hunc laborem & hujus & proximæ hyemis constitui, non enim hæc tot difficillimis iconibus parandis sufficit. Nova nos hic fugiunt. Humanissimus Sprœgelius Te plurimum salutat, filiumque suum de meliori Tibi commendat. Ipse vero quod ardentius abs Te efflagitem non habeo, quam ut pergas me Tui observantissimum tua dignari benevolentia ac amore. Dabam Berolini die 1. Martii MDCCXLIX.

414.

J. G. GMELIN.

Nihil adhuc de mea sorte, quod Russos attinet, decisum est. Sed constitui mecum, nuptias d. 22. April. celebrare, quicquid demum illi clament. Bellum gerant cum Suecis, nec ne, ego ad illos non redibo. Nescio an perceperis, quod Smithius redierit, & optime exceptus fuerit. Etiam ex mea pertinacia usum cepit. Ignorant tamen Petropolitani, quod munere Archiatri apud Principem Walliſiæ se condecoratum iri speraverit; cum vero id non successerit, rediit. Vix crediderim, Sanchium, æquissimum hominem, utut jam Judæis adscriptum & ex societate Membrorum honorariorum Academiæ Petropolitanæ exclusum, ulla in re Tibi adversari, qui nunquam optime de Te non sensit. . . . ejusmodi tricis sæpe

ſæpe delectatur, nec illi unquam cum Sanchio admodum bene fuit. Sanchius enim illum intime novit. Atramenti Sanchiani compoſitio hæc eſt: ℞. Gall. Turc. unc. novem; vitriol. vir. unc. tres; gumm. arab. unc. I. F. pulvis groſſus, cui affunde vin. alb. gener. e. g. gall. l. quatuor cum ſemiſſe; digere triduum lenn calore. Mihi vero experientia comprobatum eſt, modo vinum non ſit iners, melius omitti gummi *a*). Aliam atramenti compoſitionem, cujus ſpecimen in hac charta habes, bonam certe & viliori pretio comparandam habeo. ℞. Gall. Turc. unc. octo; vitriol. vir. unc. quatuor; gumm. arab. unc. duæ; ſal. com̃. unc. ſem. ſal ammoniac. unc. duæ; virid. aer. unc. un. acet. vin. unc. duodecim; aquæ nival. vel pluvial. fervent. menſ. j. Acetum ſpeciebus per noctem affundatur & lento calore digeratur. Altero mane fervens aqua adjiciatur & per aliquot dies adhuc digeratur *b*). Gratulor de conſilio capto, Göttingæ adhuc commorandi, & ut illud felix fauſtumque eſſe DEUS jubeat, Tibi, & Univerſitati precor ex toto corde. Quam olim Tibi transmiſi plantam ſub nomine Potamogetonis, cujusque genus Tibi ſuſpectum eſſe videbatur, jam certo ſcio, eſſe ſtellariæ tuæ ſpeciem primam. Sed hoc non minus certum eſt, fructum in quatuor ſemina dilabi. Vale & plurima ſalute Tuas imperti. Dabam Tubingæ d. XIV. Martii CIƆ IƆCC XLIX.

a) Omittendum, cæterum atramentum optimum eſt.

b) Nunquam bonum atramentum ex aqua fit.

415.

B. WICHMAND.

Novum iterum favoris erga me documentum litteris tuis accepi. Lætor valde, cum audio tantum ſtudioſorum numerum ad Muſas veſtras venire. Laudo conatus veſtros in diſſertationibus componendis, & veritatem obſcurorum extricanda proponendaque. De inſtrumento illo Roonhuyſii, nil niſi ſermone audivi: narravit nobis quidem Cl. D. Fried, duos in Belgio libellos lingua vernacula a quodam nomine Schlichting editos eſſe, de quodam inſtrumento magnæ utilitatis ad dilatandum orificium uteri ſub partu difficili, pro quo Chirurgi obſtetricii ipſæque obſtetrices 2000. fl. ſocietatis Pharmacopœæ Amſtelodamenſi ſolvunt; ſed cum horum tractatuum non particeps factus eſſet, nihil certi pronunciare poſſet. Poſt editum primum libellum deſcriptionemque inſtrumenti, negavit hæc ſocietas idem eſſe, quod poſſidebat ipſa, teſtimoniis igitur veritatem confirmavit, ſecundo libello dictus auctor. Multiplicatas quotidie ad quatuor horas prælectiones die Jovis ad finem perduxit Cl. D. Fried, vocatus enim ad aulam quandam ſe contulit, annuo jam pridem præmio ibi donatus, quo ad minimum conſiliis Principiſſæ, ſi non manu, ſub & poſt partum adſiſtat. Ante abitum machinas & inſtrumenta gravidarum, puerperarum & infantum morbis tollendis, vel ad minimum mitigandis inſervientia monſtravit. Fuere hæc inprimis machina

machina partum naturalem oculis ſiſtens cum dilatatione orificii, ruptura membranarum, effluxione aquarum, clamore parturientis &c. huic junctus erat lectulus obſtetricius cum pulvinaribus, culcitris &c. in quo puerpera incumbit: inſtrumenta quibus ipſe utitur in partu difficili: Inſtrumenta apud autores obſervata eidem ſcopo: ſiphunculi ad clyſteres varii, item uteri, vaginæ, ad explorandam rupturam collivesicæ, machinæ ad prolapſum & procidentiam uteri & vaginæ; ad mammas parturientium, & plura alia numero non parvo. Præterea lectulus obſtetricius & ſella parturientium Deventerii, aucta & correcta. Cum Sveci & ego Pariſios nos conferre cogitemus, præterlapſo Paſchatis feſto cum Deo iter incipimus. Si igitur amicis Pariſinis aliquid mittere in animo habes, pro voluntate tua nobiſcum transmitte, velis. Salutant Te D. Doctor Schobinger, D. Elff & Rothmann quam humillime. Me Tibi maxime deditum amore & favore ſolitis proſequi, perge. Vale, Argentorati, d. 15. Martii 1749.

416.

D. C. SCHOBINGER.

Haſce tandem non potui mihi temperare, quin adhuc ad Te darem, Ill. Vir litteras, ante diſceſſum meum ex hac Academia, cui ſtatim poſt Paſchatis diem valedicere teneor. Maturius id facere meum fuiſſet, ni exſpectaſſem ſemper ſperaſſemque

rassemque aliquid digni, quod Tibi perscribatur, sese oblaturum. Sed forte in sterili adeo litterarum imprimis medicarum agro æternum potuissem exspectare. Pietas, gratus æternum futurus erga Te animus, silentium tandem rumpere, quicquid scriberem etiam, me coëgerunt. Placuit Tibi, Illustris Vir, ante aliquod tempus, cum in novis Litt. Götting. Hambergero ultimum respondisses, inter aliorum testium veritatis nomina meum quoque exiguum ponere, quod equidem merito silentio nunc præterire forte debuissem. Discipuli Hambergeriani de actione lithargyri in corpus humanum diss. Boeclerus junior Prof. Med. acerrima bile impugnavit, expugnavit tandem. Absolvit Friedius suas prælectiones obstetricias egregias certe, tantoque ubique candore & sollicitudine comitatus, ut cum antea id non sperassem semestri fieri posse, ut inquam sub auxilio divino! sperem me casibus difficilibus omnino manum adplicaturum, dummodo intrepidior foret animus. Plurima bona habet uterus artificialis cum simili infante, quo utitur ad enchireses monstrandas, quod toties fit, ut memoria tandem catalogum agendorum & observandorum in quoque casu non possit non retinere: instrumentis paucis & rarissime utitur. Forcipes fere omnes fugit, cum dicat, se non videre, quomodo gravissima contusio inde oritura matri præcaveri queat, dum tantis angustiis, queis caput inhæret, forceps adhuc infercitur. Nec dicit se unquam uti, nisi eo casu, quo caput liberum equidem fere sit, sed humerorum unus ossi pubis alter ossi sacro adfixus hæret,

hæret, sed tunc credit amisso inferiori brachio, nihil plerumque difficultatis pro usu forcipis remansurum, dari quandoque tamen concedit. Unci quoque ipsi valde exosi sunt, ut rarissime utatur. Vir est certe ubique veri amantissimus, & orthodoxus in reliquis etiam Medicus, præferendus omni cæteri Medicorum Argentoratensium, plura quoque legisse se ostendit, quam initio crederetur. Dolendum, amplam praxin nova scripta perlegere eum fere impedire. Et nunc ad Principem quendam Germaniæ profectus est, partum adjuturus si necesse sit. Non potui non Ill. Vir fusior de eo paululum esse. Est enim quod dicta & candorem summum & veneratione & amore discipulorum, dignus. Deventrium ex praxi defendere videtur. Legi eum quoque, sed certe etsi forte vera dicat, jactantiorem hominem vix vidi. Collegium chirurgicum Operatt. melius exspectassem a Gallo, nam bonus D. Le Riche crassos ipse commisit coram omnibus errores, & quæ bona adhuc habet, debet Celeberr. Le Maire socero ipsius, sed nunc decrepito seni. Oblitus fuit in aneurysmate arteriæ brachialis arteriam bis ligandam esse ob collaterales ramos. In fist. lacrym. facile secundum eum est os unguis & cellulas ethmoideas anteriores ruinæ & cariei dare, ultra nihil boni scivit. Saccum lacrym. cum aperire sectione vellet, ab ejus directione ita aberravit, ut saccus credo integer manserit, quod gaudeo, Ill. Vir, nos egregie apud Te vidisse, quomodo fieri debeat. Quicquid erat, oportebat eum operando imitari πὺξ & λὰξ,

 alias

alias excanduit summopere. Unum non possum non, Ill. Vir, cum permissu tuo addere, quod in Nosodochio ipso vidi: Homo miles advehebatur, cum vulnere cerebri per orbitas & foramen ejus lacerum inflicto in cerebrum, lethali quidem, sed cum nondum esset mortuus & valide se moveret, credidissem etsi trepanatio adplicari non posset, tamen validissimam V. S. tractari adhuc posse spe resorbtionis procurandæ: sed adveniens D. Le Riche mortis periculum proximum quasi non attendens, dixit, metum esse, ne gangræna tantæ oculi contusioni superveniat, & fomenta ideo adplicanda esse, cum tamen signa manifestissima ictus cerebro illati essent, & V. S. oculo soli vulnerato utilissima quoque fuisset: sed neglecta hæc est, & loco gangrænæ mors brevi adfuit. Talia peragunt quotidie & pejora.

Dabam Argentorati d. 17. Mart. 1749.

417.

J. G. GMELIN.

Iterum gratulor retentionem tuam Göttingæ, quæ procul omni dubio studiis erit summe proficua Tibique gloriosa. Audeone quærere, qualis splendor Tibi accesserit? Nollem titulorum parsimonia in Te esse injurius. Verum est, Linnæum multa sibi tribuere. Et forte nimis liberalis sum in laudibus, quas in illum effundo. Sed fateor tamen, me multa ab illo didicisse, & malle gratiarum actionem multiplicare, quam par-

cam

eam facere. Aliquantulum me nuper denuo devinxit, transmittendo ſemina quædam, id quod raro facit, liberaliſſime accipiens omnia ab amicis, & nihil reddens. Vale. Dabam Tubingæ d. XXIV. Mart. cIↃ IↃCC XLIX.

417.

ERICUS ELFF.

Inter titulos felicitatis refero, quoadque vixero referam, honorem, quem litteris tuis mihi exhibuiſti cariſſimis, atque eo magis, cum ex illis ſim perſuaſus, tuum in me favorem ob tamdiu dilatas priores litteras non eſſe deletum. Hunc favorem jam verboſius mihi expeterem, niſi eo viderer illius data documenta in dubium vocare. Gratiſſimam meam mentem multis teſtari ſuperſedeo, cum verba nullius momenti plus adferant tædii, quam fructus; opto tamen ut occaſionem accipere poſſem Te ipſo opere convincendi, quantum credo me Tibi debere. Dnum. Le Riche Academiæ Scient. ita commendaſſe me antea fuit ignotum. Socerum habet ſenem, eumque anteceſſorem, Le Maire, cujus merita omnes venerantur. Generi modo ſe habent contrario.

Academiæ Göttingenſi viros, quos poſſidet omnium laude ſuperiores, merito gratulemur, ac ſtudioſi imprimis felices prædicandi, quibus mitior ſors permittit longiori tempore eorum frui fideli informatione. Quantum omnes in anteceſſum doluerunt, quod brevi hæc inclyta Academia

mia Te esset amissura, cum fecisset damnum, cui resarciendo neminem inveniet parem, tantum jam inde hauserunt gaudium, quod consilium moræ cepisti longioris, sperantes, jureque postulantes, ne delicias ex scriptis tuis captas capiendasque orbi subtrahas litterato.

Statum hujus Academiæ non attingo. Tibi noto est notior. Nisi Friedius sua dexteritate atque candore nos cepisset, & temporis & impensarum nos pœnituisset.

Archiater Linnæus narrat materiam suam medicam Regni vegetabilis prelum reliquisse, quin & disputationem habitam esse suo sub præsidio de Tænia, in qua ejus caput demonstrare vult, ut & demonstrare conatur, hoc animal ad genus polyporum esse referendum, cujus vita est triennis; item tamen ut continuo renovetur, & non cesset humanum corpus torquere ad 60. & 70. usque annos, illiusque animalis 4. sunt species. Quantum ego capere possum ex ipsius epistola, ejusmodi est contentum disputationis nominatæ; ut vero melius sensum ex verbis eruere possis, ipso quamvis idiomate Sveco huc transferam. *a)*

Rothmannus meus assidua manu anatomiam exercet. Utrum iter Lutetias Parisiorum mecum suscipere potest, nec ne, nescimus adhuc. Wickmannum tamen credo me itineris comitem esse accepturum. Uterque ut & optimus Schobingerus Tibi dicunt salutem, eamque humillimam.

Argentorati d. 24. Martii 1749.

a) Ipsa verba suecica scopum esse sunt *at wisa des hufwud.* Confer cum *Epist. Amic.* I. 11. p. 411.

418.

D. LUDWIG.

Concedas mihi Optime Vir, quæ nunc audeo calamo ſcribo, ut animum tuum mitigem, quale enim Tuorum lucrum ex controverſiis illis oriatur vidiſti. Controverſia tua cum Hambergero finita eſt, ut opinor. Fac, quæſo, ut imposterum omnis controverſia a Te aliena ſit, pergas in iis declarandis, quæ tanto hactenus labore & conſtantia in ſtudiis perfeciſti, & ſi vocem amici intelligis, nec verbulum controverſiarum ulterius moveas, & intra decennium, ſi vitam nobis largiatur Deus, ambo videbimus, quantum lucrum æſtimationi tuæ acceſſerit, ſi etiam plurimi Te ſcriptiunculis laceſſerint. Hæc ſunt, quæ ſæpius & nunc candide Tibi declarare potui, & per amicitiam debui. Quod ſi vero velis ut de una alteraque re eorum cum Güntzio agam, ſcribas quæſo, ego omnia exigam pro amicitia noſtra. Güntzium amo ob diligentiam ſuam, licet multa ſint, quæ animum meum contra eum irritare poſſent, ſed amo ut quemlibet alium literatum hominem, licet de reliquo mihi ignotum, Te vero amo ut Amicum & Fautorem, cujus benevolentiam ſæpius perſpexi.

Jam dubitavi an ad finem perducturus ſis angiologicas tabulas, cum nuntius veniret, Te in Angliam iturum eſſe, ſed in ultimis litteris contrarium exponis, gratulor itaque quod ab aulæ

ſtrepitu alienus erudito orbi inſervire poſſis diutius, donec tarda ſenectus otium tranquillum reddat. Vale & me ut Tibi deditiſſimum amare perge. Dabam Lipſiæ d. iv. Aprilis 1749.

419.

FRANÇOIS DE SAUVAGES.

Clariſſimi Tibique amiciſſimi Linnæi auſpiciis, Tibi licet ne nomine quidem notus, ſcribere non vereor, gnarus apprime, quanta tua ſit in eos omnes, qui Botanicam Medicinamque colunt indulgentia & humanitas, has ego ſcientias unice diligo, & ſumma cum voluptate in immortalibus tuis operibus Commentario Boerhaaviano & Flora Helvetica tot & tanta tuæ eruditionis veræque ſcientiæ miratus ſum ſpecimina, ut me continere non poſſim, quin Tibi & toti orbi medico ex intimo corde gratuler. Doleo quod locorum diſtantia rarumque Bibliopolarum Göttingenſium cum Monſpeſſulanis commercium vetet, ne opuſcula tua bene multa ad nos pervenire queant, nec unde aut qua via accerſi & comparari poſſint ſentio, niſi pro tua benignitate harumce divitiarum ipſe me participem facias. Mitto ad colendiſſimum amicum Linnæum diſſertationum 19. vel 20. faſciculum, qui ad Te dimittatur, non certe tuo palato dignum, ſed ut ſaltem levem meæ in Te obſervantiæ teſſeram habeas: morborum claſſes mitterem lubens, ſi alterum exemplar reperire poſſem, ſed ſi arrideant cum altera

altera brevi elaboranda ſit editio, has ſuo tempore lubens offeram.

Ex tuis diſſertationibus poſſideo tantum eas, quæ agunt de phrenitide, de ſanguinis ad cerebrum tendentis indole, oleo animali febrifugo, imperio nervorum in arterias, gangræna in febre maligna & diſſ. polemicas adverſus Ill. Hambergerum de reſpiratione, præter Enumer. ſtirpium Helvetiæ, quam a Geneva accerſivi, & Comm. Boerhaaviana quæ ubique proſtant, & ab omnibus ſtudioſis avide leguntur; cæteras nec habeo nec unde mihi comparem ſcio. Pergratum itaque mihi faceres, ſi eas ad clariſſ. Linnæum mitteres, quas ab eo facile poſſem accipere, niſi facilius eſſet eas ad D. Bœcler Profeſſorem medicum Argentoratenſem inſcribere: hujus enim amicitiæ cætera tua opuſcula prius recenſita vel ſaltem tuo præſidio eventilata debeo.

Si qua ſint in hacce noſtra regione tum ſemina plantarum tum opuſcula medica, quæ Tibi arrideant, ea gratus ad Te data occaſione mittam. Vale Vir Celeberrime, Medicinæ & Botanicæ dulce decus, & neſtoreos annos vive. Monſpelii, VI. Aprilis 1749.

Addo faſciculo meo Theſes agoniſticas trium Doctorum, qui cathedram in hac Univerſitate vacantem ambiunt, ſunt pro quovis Doctore 12. theſes intra dies 12. conficiendæ & typis vulgandæ; ne mireris itaque, ſi tam macra jejunæ & inepta ut plurimum ſint; inter alios 4. Docto-

res, qui deinceps dimicaturi ſunt, erit unus vel alter, cujus opera erunt accuratius caſtiganda. Hæmaſtaticam ex Anglico translatam non addo, quia deſunt exemplaria, & aliunde audivi, eam iterum Lipſiæ in germanicam linguam translatam fuiſſe, cum notis & diſſertationibus meis.

Diſſert. de ſanguinis circulatione autorem habet unum ex meis diſcipulis, & altera de fluxu menſtruo, alterum Lamure: prior non indigna quæ legatur.

420.

J. F. MECKEL.

Quas nuper ad me dediſti litteras, gratiſſimas mihi, magna cum voluptate legi, certior quippe ex illis tum de Tua, Tuorumque, quam omnibus rebus præfero, ſalute, tum de diuturniori tua Göttingæ commoratione factus, quam jucundiſſimam ac feliciſſimam Tibi ex animo apprecor: mihi vero vicinitas locorum non omnem ſpem eripit; Te cariſſimum Præceptorem meum aliquando conveniendi.

Injuſtam Güntzii cenſuram legi, & video hunc virum nequidem originem intercoſtalis a ſecundo quinti ramo invenire potuiſſe, quippe tantum refert; opinari me, veram originem nervi intercoſtalis eſſe ex rami vidiani ſecundi quinti paris, cum illo ſexti paris conjunctione; ſe vero vidiſſe aut veram eſſe minime aſſerit. Hinc facile & reliqua, tum quæ

quæ de iconis falſitate, tum quæ de theoriæ, imperii laqueorum nerveorum in vaſa improbabilitate dicit, refutanda ſunt: quodſi enim diſſecuiſſet cadavera, nec origo intercoſtalis, nec conſtantiſſimorum laqueorum uſus eum latere potuiſſet.

Præſes Academiæ noſtræ de Maupertuis poſt reditum ſuum ex Patria humaniſſime me excepit, ac ſingulari dignatus benevolentia, amore ac favore. In prima, cui a reditu ſuo interfuit Academicorum conventione, me in numerum membrorum recipiendum, ſummis elogiis propoſuit, & octiduo poſt, poſtquam ſecunda vice convenerant membra academica, unanimi conſenſu (ita enim mos invaluit) receptus ſum, in claſſem quidem phyſicam. Multa promittit Præſes, laborum præmia non defutura. Anatomicas obſervationes facere & communicare nunc meum eſt, quæ adhuc ex commentariis Societatis noſtræ plane exulaverunt, quamvis & Lieberkühn & Buddeus quotannis trecentos quilibet thaleros hunc ſolum in finem ex ærario academico accipiant, ut obſervationes quasdam academicas a ſe factas communicent. Sed actum eſt de his, quorum hic otio, ille lucro ex aurea praxi magis delectatur, utrique, quam profitentur; anatomen negligunt. Hæc cum optimis ad anatomen exercendam inſtitutis intuens de Maupertuis, jure queritur de Berolinenſibus noſtris Anatomicis, & ſufficientia hinc diligentiori laborum promittit præmia. Quantum mihi dare decreverit, me adhuc fugit; in initio ſalarium ab Academia mihi exhibendum ducen-

ducentos & quinquaginta, vel ad ſummum trecentos thaleros quotannis, non ſuperabit, nimis enim inter otioſos ac non laborantes divitiæ academicæ diſtributæ ſunt, quibus detrahere ſenſim, & in uſum Academiæ laborantibus tradere, meditatur Præſes, ut curis pro pane lucrando liberi hi, ſtudiis incumbere, partesque theoreticas excolere queant. Supereſt, ut, quod Ellerus & Tibi per litteras & mihi promiſit, & quod nunc favente Præſide tanto facilius fieri poterit, Profeſſionis anatomicæ in Collegio medico, cujus Director ille eſt, particeps fiam. Perofficioſe Te ſalutat Ellerus. Nunc demum voti ſui poſt receptionem meam compos, brevi ad litteras tuas reſpondebit, diſtulit enim reſponſionem ſuam, promiſſorum nondum peracta impletio. Mecum, Membra Academiæ honoraria, Præſes honorarius Parlamenti Pariſini Henault, & Abbas Trublet creati ſunt.

Grato ſpectaculo camphoræ arbor in horto medico apud nos hic floret; cui flos diploſtemon; petala alba brevia fere triangularia quinque, ſtamina quinque interiora ovario & totidem exteriora petalis connata; tuba unica brevis ex ovario quod in baccam maturitate abire videtur; odor floris gratus ſubtilis camphoraceus.

Judicium de Demetrii libello gallico *la Vie de Seneque*, in novellis Göttingenſibus, egregie placuit Ellero; ſed certiſſime la Metrie autor & hujus eſt libri & *l'Homme machine*, id quod publice

in

in littera ſua contra opinatum cenſuræ in hunc librum autorem Sackium profeſſus eſt.

Berolini die XIII. Maji MDCCXLIX.

421.

D. C. SCHOBINGER.

A ſex nunc circiter ſeptimanis St. Galli iterum dego, privatimque ſtudiis meis practicis imprimis incumbo. Botanicen hactenus non plane ſepoſui, attamen pro deſideriis eam colere non licet. Excurſiones ſubinde ſolus in ſaltus prataque inſtituo, & adhuc inſtituam, ſed nihil adhuc ſingulare invenire licuit. Hinc inde etiam nunc occaſio mihi eſt in urbe faciendi medicinam adſiſtente & præeunte ubicunque licet optimo avunculo, ſic ſenſim longius Deo providente! forte ibitur. Dolendum eſt Chirurgos bonos nobis deeſſe, heroicis operationibus cito tutoque perficiendis aptos. Nunc maxime tali nobis opus eſſet, in puero 6. vel 7. annorum, cui ſarcoma magnum totum oculum ſiniſtrum tegit, utrinque cum tarſis palpebrarum connatum, longeque in faciem dependens, indolens equidem, niſi fortius elevare aliquis tumorem velit, cæterum omnino ita rubrum ac vaſculoſum, ac interior membrana palpebrarum eſt. Bulbus oculi nunquam apparuit miſello, ſed ante tumorem enatum, connivebant concretæ quaſi palpebræ, & tanta in orbita erat concavitas, ac ſi bulbus ille plane deeſſet. Bulbi tamen aliquid valde exigui ſubeſſe ſenſi,

ſenſi, ſed qui procul dubio cum ſupernato ſarcomate ubique cohæret, cum ſuper ſe invicem moveri nullo modo poſſint. Nunc etiam, qua inferiori palpebræ & cantho interno cohæret tumor ille, pus exit ſ. materia ſine dubio ſebacea Meibomii lacrimis miſta, & huc tendens ob vias naturales præcluſas. Ancipites valde hæremus omnes quid agendum ſit? Crederem tamen præparato probe puello, exciſionem cautam tentari poſſe, non forte viſûs recuperandi cauſa magis, quam ut horrendus pueri vultus emendetur. Viſum enim credo perditum eſſe, oculumque corruptum. Sed non vult operationi ſubſcribere D. D. Giller. Id addo adhuc, hoc ſarcoma naſci incepiſſe poſt dentem inciſivum ſuperiorem evulſum. Hæc ſunt quæ iterum, Perilluſtris Vir, ad Te ſcribere auſus ſum hac vice. Non dubito equidem & certe ſcio, Te tot tantisque aliis negotiis obrui, ut merito Te ſcriptiunculis meis haud interrumpere deberem. Sed quid agam, non ſinet unquam, quem Tibi millenis debeo nominibus, gratus animus, non ſinet juſtiſſima mea in Te pietas Tuique veneratio, ut plane ſileam, niſi ipſe me id ulterius facere prohibueris. Felicitatem enim me ſingularem plane in hac re pono, honoremque merito maximum credo, qui mihi contingere queat.

Dabam St. Galli d. 2. Junii 1749.

422.

JOH. GESNERUS.

Diu ſane Vir Illuſtris & Amiciſſime ab officio ſcribendi deſtiti, & culpam facile agnoſco, eamque deprecor, ſed ut fieri ſolet apud eos, quos quædam inertia cœpit, ut graviter negligentes evadant, ita apud me non diſſimiliter eveniſſe ſenſi. Circa initia hujus anni gravis & periculoſus morbus pulmones primum, dein ventriculum ita afflixit, ut per plures menſes nec officiis publicis nec privatis fungi potuerim, eam etiam debilitate in ſolidis reliquit, ut nonniſi lentus ad mea munera accedam, & imprimis aëris & tempeſtatum multa patiar. Factum inde ut tardus ad officia accederem, & ea primum ad quæ præſens neceſſitas quædam impellebat.

Qui Bernâ ad nos allatus eſt nuntius de honoribus & emolumentis ac dignitatibus, quibus Regia Majeſtas Angliæ, ut tuæ virtutis & eruditionis publicum ſtatueret monumentum, Te auxerit, non potuit mihi non eſſe lætiſſimus. Det Deus ut diutiſſime partis per merita tua gloria & emolumentis Tu Vir Illuſtris fruaris, & nobilitata Gens Halleriana in non interrupta ſerie tuorum meritorum fructibus læta & felix & beatiſſime gaudeat.

Nunc ad epiſtolam reſpondeo, quam exeunte Decembri præcedentis ad me ſcripſiſti : Epiſtolæ incluſam commendo tuæ curæ ; reſponſoria eſt

ad

ad litteras, quibus comitatus eſt epiſtolam Linnæanam ad me datam; nuntiat in hac Cel. Linnæus receptionem meam in Societatem regiam Upſalienſem, & quid de Stockholmienſi factum ſit ſcribit. Tu Vir Ill. nimium mei amans hunc mihi honorem deſtinaveras, quem Ill. Societas D. Gesnero Archiatro Würtembergenſi tribuebat. Multa nuntiat Cl. Linnæus de ſuis in hiſtoria naturali obſervationibus & ſcriptis, Obſervatt. de victu animalium, Horologio Floræ cujus ſpecimina nonnulla in Horto Upſalienſi lego; de Plantis officinalibus, quem librum nondum vidi; aliis; & humaniſſime officia & amicitiam offert. Res botanica apud nos quidem læta initia cœpit, ſed ob nimios ſumtus, qui in privatam hominum ſocietatem cadit, impedimur majora moliri: Hortus diſpoſitus & plantis conſitus eſt. Semina ultra 1000. nobiscum communicata ſunt, ex quibus non pauca læte germinarunt. Plurima accepimus ex Horto Carlsruhano, alia ex Anglia, non pauca communicavit amiciſſimus Gmelinus. Sibirica alia ultra 100. emimus a D. Martino, qui Stutgardiæ nunc habitat. Amici multa communicarunt & ſemina & plantas; quasdam ex ſylvis, montibus & alpibus accerſimus. Et certe, niſi imbecillior mea valetudo me multum impediret, multo pluribus eſſet auctus: id vero mihi ſuffecerit, ſi apud noſtros homines aliquem hujus ſtudii amorem concitaverim, neque ab eo alienos eos experior. Accepi ſplendidiſſimas Ehreti Tabulas plantarum & papilionum, tum & varia ſcripta hiſtoriæ naturalis, quæ Norimbergæ prodeunt,

prodeunt, quæ diligenter ad me curat optimus Beurerus. Experimenta electrica in paralyſi hinc inde tentantur ad methodum a Cel. Jallaberto propoſitam, cujus liber Pariſiis recenſus & auctus prodiit experimentis Montpelienſium, eademque Bononiæ a D. Veratti non ſine ſucceſſu repeti audio. De monſtro acephalo, quod circa finem præteriti anni diſſecui, puto me olim ad Te ſcripſiſſe. Tiguri, ipſis feriis D. Johannis d. 24. Junii 1749.

423.

JOAN. FRID. MECKEL.

Moram publicæ Congregationi Academiæ noſtræ injecit ſcriptum quoddam Regium, ob morbum quo Rex laboraverat nondum abſolutum. Mos quippe eſt primo menſis Junii, qui dies eſt ſive feſtum coronationis Regis noſtri, in publica Congregatione Membrorum Academiæ & aliorum illuſtrium etiam Virorum pretium victori decernere, ſimul vero hoc ſolemni die a Rege ipſo confectum ſcriptum noſtris temporibus prælegi ſolet. Id quod & nunc factum, prælegitque Conſiliarius Regis intimus d'Arget libellum eleganti ſtilo & concinno ordine gallico ſermone conſcriptum, in quo de moribus, conſuetudinibus, induſtria ac progreſſu artium ac ſcientiarum agitur; Hiſtoriam nempe Brandeburgicam proſecutus; gentis hujus mores, & conſuetudines perſtringit; barbaram fuiſſe gentem fatetur, a Gal-

lis advenis humaniorem paulum nunc redditam. Acri judicio Regum hunc in finem bene & malefacta percurrit, & vitia eorundem aperte profitetur, in quibus peccaverit demonstrans. Id autem imprimis egregium, cum tanta libertate in enarrandis Principum factis uti, aliis licitum non sit. Reticuit tamen nomen suum Rex, quamvis nullus sit, quin sciat eum esse auctorem. Præmium academicum 50. Ducatorum originem nitri demonstranti promissum, meruit Joannes Godofredus Pietsch Doctor Medicinæ Mansfeldensis, qui oriri hunc salem aperte docuit ex acido vitriolico, terra calcaria cum alcalino conjuncta & volatili urinoso, hoc imprimis experimento: misscet calcem vivam, vitriolum & urinam, hæc putredine dissoluta, spatio dimidii anni in sal verum nitrum abeunt. Thema solvendum ab Academia datum nunc theologicum in eo versatur: an res secundæ & adversæ, quippe quæ permittente ac dirigente Deo fiunt, hominem ad certa quædam officia peragenda obligent, quæ & qualia sint illa. Quod vero lætissimum mihi hoc die evenit, illud est, quod Membris honorariis Academiæ nostræ assensu tuo, Te venerandum Præceptorem meum adscribere decreverit Præses noster de Maupertuis. Cum nempe eum convenissem & collocutus fuissem, quæsivit ex me, an Tecum mihi litterarium esset commercium; hoc affirmanti mihi, respondit: se Clarissimum hunc Virum Membris Academiæ nostræ fore denominaturum, idque ut Tibi per litteras denuntiarem jussit, plurimum Te salutans. Sinrus

cerus hic admodum Vir est, & quod fama fert alioqui, minime est hæreticus, sed ardentissime suam colit religionem catholicam, immo sermones etiam & colloquia hæretica ægerrime fert. Gratulor ex animo mihi, & summo honori duco, qui, absens quamvis, in eadem tamen, cum venerando atque carissimo Præceptore meo, societate esse possem. Ellerus, qui te pariter officiosissime salutat, brevi litteras se ad Te daturum promittit; sed vereor ut faciat, nondum quippe satisfactus promissis & Tibi mea causa, & mihi ipsi & aliis factis; commoratione enim culpa sua ac neglectu id effecit, ut liberum in Academiæ salarium 300. thalerorum mihi jam a Præside decretum, dummodo Ellerus eum allocutus fuisset, alii cuidam ex numero Academicorum redeunti, jussu Regis datum sit, quod absque ulla contradictione jam ante tres menses accepissem, si una tantum vice Ellerus hanc ob causam, quod sancte tamen millies promisit, Præsidem adiisset. Vacuam adhuc Professionem anatomicam mihi concedere pariter hæsitat, quamvis sæpissime ejus commonefactus fuerit. Ipse Præses, cum de salario eum collocutus fuissem, Elleri accusavit tarditatem. Quodsi Ellerus Tibi scribit, velisque illi respondere, venerande atque humanissime Præceptor, rogo paucis tantum verbis stimulum illi admoveas: Te nempe mirari, tanto temporis spatio me præter titulum Membri Academici nec salario nec professione anatomica instructum esse, cum tamen absque his neque subsistere, nec boni quid efficere possem, & certa

ſpe hæc accipiendi, ſuaſuque imprimis Elleri, alias mihi oblatas Profeſſoris ſpartas accipere detentus fuiſſem; nil melioris erit effectu, cum maximi Ellerus Te Venerandum Præceptorem meum faciat; & ſi idem adjicere meique benevolam mentionem facere volueris in litteris, quas forte, poſtquam denunciata a Præſide Tibi receptio erit, ad hunc dabis, erit quod cardinem rei addet, & quo me Tibi devinctiſſimum reddes. Non enim absque ſalario ac profeſſione anatomica ſequentem hyemem hic degere meum erit, quamvis nondum ſciam, aut prævideam, qua ratione alio loco anatomiam, qua tamen delector, excolere queam. Sed rogo Cariſſime Præceptor, velis hæc aliis reticere, quorum Te ſolum certiorem facere volui, quem benevolentiſſimum Fautorem ac fideliſſimum Præceptorem meum certiſſime novi, cujus ſaluberrima mihi ſemper fuerunt eruntque conſilia. Hic vero, ubi copia cadaverum & optima quævis inſtituta adſunt ad anatomiam excolendam, ea eſt rerum conditio, ut multos etiam Chirurgos hinc diſcedere coegerit, quod & Hannoveranorum aliqui cum damno ſuo experti ſunt. D. VIII. Julii MDCCXLIX.

424.

B. WICHMAND.

Pudet me negligentiæ Tibi adſcribendi, rationemque miſſorum faſciculorum reddendi. Febre eryſipelatoide vehementi laboravi, Argentoratique

ratique ab amicis relictus per Burchardum transmissa accepi opportune. Parisios cum advenerim, Winslowum adii, qui magno æstimationis amicitiæque documento opus tuum excepit, meque amore & favore prosequitur quotidie: sanitate adhuc fruitur senex perfecta, ad munera obeunda aptus. De novis litterariis ipsum interrogavi, nil novit. Opus proprium anatomicum ipse correxit, plus quam 50. omissa notabilia observavit, hinc libellum in lucem edet. De editione anglica anatomiæ suæ, ut & de duabus Italicis, altera Bononiæ, altera Venetiis, quæ optima, impressis (huic opuscula Actis Parisinis inserta adjuncta tomum seorsum efficiunt) mihi narravit. Dom. Chomel & Tarin commissa jam dudum tradidit D. Elff. Chomel desiderata D. Herrenschwant dedit, qui transmissionem eorum jam curavit: Tarin libros sub prelo sudantes adhuc exspectat. Optimus D. Obermeyer ultra mensem Parisiis fuit, fasciculum Winslowo obtulit. D. Hilmer ad quatuor circiter menses hic magna dexteritate cataractales exercuit operationes, curavit plus quam 300. homines, inter quos plures 70. annos, alii 84. 89. egerunt, quidam a natu cœci fuerunt. Uxori etiam D. le Dran Chirurgi famosi, a Parisinis destitutæ, visum restituit, qua re ipsum Le Dran sibi fecit amicissimum, & contra Oculistas Parisinos defensorem. Operationes apertis perficit januis, in pauperibus gratis, præsentes fuimus sæpius: Lugdunum Gallorum sese jam confert. Prælectiones osteologicas, me adveniente, mox finivit Winslowus: deligationes chi-

rurgicas per Chirurgum in vivis fieri curavit. Cl. Juſſieu & Bourdelin quotidie audio. Initio menſis Auguſti in Patrias nos conferre, Elff & ego in animo habemus. Rothmannus hyemem Pariſiis cum Obermeyer tranſigere cogitat. Salutant Te diſcipuli tui quam humillime, favorique & amori ſeſe commendant Tibi addictiſſimi. Pariſiis d. 14 Julii 1749.

425.

ERICUS ELFF.

Ut longioris meæ moræ me excuſatum habeas, humillimus oro quæſoque; Dnus. Tarin enim, qui tandem nudiustertius Tibi mittenda in manus meas dedit, in cauſa fuit, quod litteras tamdiu diſtuli, nec ſcribere volui, priusquam Te certiorem facere poſſem, ab eo Tibi deſtinata miſſa fuiſſe.

Nova litteraria multa non habeo; librorum, quos mihi contigit videre nuper impreſſorum, catalogum habes incluſum. D. Senac tractatum ſcripſit de Corde, in quo Te aliosque viros optimos aggreditur; vos non rodit ſed proſcindit (ſunt verba Cl. Chomelii) eam ob cauſam Chomelius ei vehementer ſuccenſebat; ſed præter animi adfectum nihil contra eum ſuſcipere audent Medici Pariſienſes, quoniam tanta apud Magnates floret gratia, verebaturque Chomelius ne, ſi primarius Medicus Regius obiret, in ejus locum ſubſtitueretur.

tueretur. Quatuordecim diebus peractis Parisios relinquo, comitemque itineris habeo Wichmannum, qui etiam Patriam repetit.

Si quædam in patria mea procuranda velis, maxima animi contentione & delectatione faciam, quæ jubes; quod ut facias humillimus oro.

Ut in delicium totius orbis litterarii vigeas, animitus opto; ut me solito tuo favore complecteris supplex rogo. Parisiis d. 27. Julii 1749.

426.

J. F. SCHREIBER.

Cl. Abr. Kaauw Boerhaave multum hac hyeme elaboravit, & nunc elaborat in anatome elephantis, & credo, ipsum multos errores Du Vernoianos correcturum. Ducem d'Huescar, nomine Regis Hispaniarum, D. Sanchès obtulisse munus Medici Personæ Regiæ, hic constat: sed ignoramus, an acceptaverit. Hebenstreitii nepos, credo Joannes Henricus, Historiæ naturalis & Botanices Professor, Gmelini in locum, Lipsia huc vocatus est: &, si nondum advenit, brevi aderit. Vides ergo hic renasci amorem in Botanicam. Sed de Cl. Ens, qui in Ucrainia, hic nihil auditur. Nobilis Aschius haud ita diu narravit, Te febre acuta maligna decubuisse, venas quater sectum, fere occubuisse, prout expertissimi quique metuerant, adtamen evasisse, vincente ex voto

totius orbis eruditi natura. Ideoque ex animo recuperatam bonam valetudinem Tibi, Illuſtri tuæ familiæ, ac omnibus bonis doctisque Viris, mihique, amico tuo, gratulor, addito voto, ut ea diu conſtans ſit, neque per Te ipſum ullum detrimentum capiat. De ſcripto, quod edere conſtitui, ſcribam alia vice. Cura, ut cum tua nobiliſſima familia diutiſſime valeas, mihique favere perge. Petropoli 1749. d. 29. Julii.

427.

J. F. MECKEL.

Non miraberis Venerande Præceptor nondum factam tuam in ſocietatem noſtram receptionem; cum eodem die, quo priores ad Te dedi litteras, Præſidem oportuerit Regem Potsdamum adire, ibidem vero diu commoratus, quod ſecum animo conſtituerat, ultima nempe ante ferias caniculares conventione receptionem tuam publice denuntiare non potuit; ſed primum erit, quod poſt peractas ferias, in quibus conventiones ac prælectiones academicæ plane ceſſant, efficiet. Te plurimum ac officioſe ſalutat, tuam optans amicitiam, litterarumque commercium. Ex recens editis hic libris humillime offero mittoque Tibi novum prælectionum academicarum tomum, mathematicis abundantem, chymica aliqua, ſed neque botanica, quorum tamen multa prælecta ſunt, nec anatomica continentem; philoſophica præterea, ex parte jam a Gallo quodam refutata, & curioſa

aſt

aſt inutilia philologico hiſtorica. Hiſtoria Brandenburgicæ Domus & laudes Illuſtrium Virorum, regia ſcripta ſunt, ex hoc titulo jam laude digna. Addidi ſcriptum illud contra librum *l'Homme machine*, cui titulus *la machine terraſſée*, una cum reſponſione la Metrie; meliora potuiſſet opponere & elegantiora ignotus adhuc autor ſcripti illius, nimis enim rudi ſuo ſcribendi modo, anſam facilem refutationi Metrianæ dedit. Sed hæc, puto, nimis certo probant, verum libri *l'Homme machine* autorem *la Metrie* eſſe; cur enim acriter defenderet librum, cujus ipſe autor non eſſet?

Nuperrime Gleditſchius prælectionem habuit, de uſu nempe pappi illius, qui ſemen linagroſtis ornat, ad conficiendum pannum, & varie præparatum pappum iſtum, pannumque ex dimidia parte lanæ, dimidia vero pappi hujus confectum nobis monſtravit.

In lapidum analyſi occupatus induſtrius Profeſſor Pott a me petiit, ut Te Commercium litterarium cum Linnæo habentem rogarem, velisne illum quærere, quid ſit illa Criſtallus montana, quam & alutam montanam, corium montanum, germanice Bergcryſtall, Bergleder vocant; copioſe illud in fodinis ſuecicis reperitur, deſideratur vero inter lapidum ſpecies ab Ill. Pott; hinc ſi fruſtum tantum ejus accipere poſſet, ad experimenta analytica facienda, erit de quo ſibi multum gratulabitur; maximasque gratias aget; forſan & Roſenio nota eſt hæc cryſtalli ſpecies!

Inter plantas rariores Caſſida Cornuti eleganter hic floret; ſed indigenæ & ex itineribus collatæ in hortum, neglecto omni cultu; omnes periere. Berolini d. 2. Auguſti 1749.

428.

JOH. GESNERUS.

Gratiſſimæ litteræ tuæ Vir Ill. magna me ſollicitudine liberarunt, cum ex iis plenius ſtatum reconvaleſcentiæ tuæ intelligerem, cum antea de gravi morbo, quo decumbebas, incerti rumores ſpargerentur. Laudes ſint infinitæ DEO O. M. qui Te tam periculoſo & difficili morbo liberavit, ut præclaris & præcellentibus tuis ſcientiis & virtutibus augmento ſcientiarum, lætitiæ bonorum & emolumento ac ſolatio ſplendidiſſimæ Familiæ præeſſe & prodeſſe poſſis. Is clementer ſanitatem integram reddat & ad neſtoreos annos firmam Tibi præſtet. Mea ſatis debilis eſt, ea tamen quæ obeundi negotiis me hoc tempore non impediat. Ejusdem firmandæ gratia hoc ipſo die balneum vicinum Rüſchlikonenſe adeo, ut negotiis & occupationibus domeſticis liber tanto melius ſerviatur valetudini. Præter modicum balnei uſum, acidulas bibo Swalbacenſes. Ea etiam ratio eſt, quod nunc breviores ſint litteræ meæ, quibus potiſſimum id adhuc ago, ut binos diſcipulos meos literarum harum latores iterum quantum poſſum optime commendem. Ut ſpero, quales deſcripti invenies optimis moribus & litterarum cupidos,

qu

qui ex tuis consiliis omnia sua agent; Medicinæ studio a D. Hirzelio & meo ore imbuti fuerunt, sed ob parciora otia mea & quod in humanioribus minus exercitati erant, ad majora & solidiora cum iis progredi nondum licuit. Ea vero plenissime omnia apud Te & egregios Doctores Academiæ vestræ invenient; qua vero ratione & ordine quasve lectiones audire conveniat a Te omnium optime intelligent, si eos pro insigni in litterarum cupidos imprimis Helvetos benevolentia tua consiliis tuis dirigere non gravaberis; qua re discipulos hosce meos, familiam & me imprimis magnopere devincies.

Linnæum qualem mihi descripsit... & alii mihi depingunt. Scripsit ad me titulo Secretarii Academiæ Upsaliensis, ut receptionem meam significant.

In Horto nostro quamplurimæ plantæ imprimis Sibiricæ mihi antea non visæ læte vegetant, & studii botanici Amatores & Fautores augentur. Cæterum in ea paupertate Floræ & redituum nostrorum vix mediocria moliri licet.

Tiguri d. 6. Aug. 1749.

429.

D. LUDWIG.

De sanitate restituta Tibi gratulor, avertat Deus in posterum tales insultus, quos si etiam viribus vitæ restauratis vincis, non possent non debili.

debitatem citius inducere cognoſcimus. En litteras Gmelinianas, quas nuper accepi; vidi & ego materiam medicam, quam miror Te laudaſſe in novis veſtris publicis, verba ſunt prætereaque nihil, non potui accuratius rimari cuncta, cum nunc in abſolvendo opere de terris occupatus ſim; ſed ſi Floram Zeylanicam, in qua ex plantis minus rite perſpectis nova genera conſtituit, & Floram Suecicam & Hortum Upſalienſem demſeris, parum foret, quod non ibidem exſcriptum inveniatur. Sed de inſigni quadam inconſtantia in generibus condendis accuſandus eſt. Polygonum & congeneres plantas in unum genus coire poſſunt, ex legibus methodi naturalis concedo, ſed annon & ideo plures umbelliferæ, verticillatæ, bulboſæ &c. Sed Linnæus Rex eſt Botanicorum, qui ideo nullis legibus adſtrictus eſt. Quot libros botanicos ſcripſit, tot nova nomina dedit Perſicariæ orientalis altiſſimæ. Tu ſolus in Botanicis exercitatiſſimus vel litteris privatis vel publicis in ſcriptis inconſtantiam ejus corrigere poteris. Mihi iratus eſt ideo, quoniam monui leges eſſe ponendas antea, quam tot generum multitudines ſuſcipere liceat. Vale, & me ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. XVI. Auguſti

430.

NICOLAUS ROSEN.

En hiſtoriam vitæ meæ, ab amico quodam, uti vides, conſcriptam. In ea vero, qua expungenda

genda putas, deleto ipſe, antequam D. Dr. Börnero transmittatur. Id me male habet, quod iniqua adeo laboraveris valetudine, nec priſtinæ ſanitati etiamnum ſis reſtitutus. Herculei & infiniti propemodum labores non poſſunt non, opinione celerius, Te defatigare & ſenſim pedetentimque enervare: qui ſi otio & tranquillitati modice indulgeres, in publica commoda, id quod boni omnes mecum vovent ardentiſſime, diu ſupereſſes ſalvus & florens. Cave, ne in malum incidas hypochondriacum, & ſi ejus vel minimum ſentis impetum, in fontium mineralium, frictionum, equitationis, diætæ parciſſimæ ac vini ferrati diuturno uſu tuam quære ſalutem. Rediit Linnæus ex itinere ſuo Scanico. Quid ibi novi invenerit detexeritque ignoro. Kalm adhuc in America verſatur. Häſſelquiſt itinere navali Smyrnam petiit. Ternſtröm, Indiam orientalem viſurus, obiit, & ipſius diarium, quod opinor, uſibus ceſſit Linnæanis. Elff & Rothmann Lutetiæ Pariſiorum, uti antea, commorantur. Phyſiologiam tuam publicis lectionibus qua poſſum perſpicuitate interpretor. Si tantum mihi in omnibus adeſſet luminis, quantum percepi ex diſputatione Schöbingeri in capite de tela celluloſa, & mihimet & aliis ſatisfacerem. Si anatomen non negligeret de Gorter, ſcripta ejus elegantiſſima haberentur. Eandem ego incudem tundo h. e. a Praxi medica nunquam vacare licet. Febres intermittentes ubique dominantur. Cortici unice apud nos cedunt. Bini Maniaci, hac æſtate largiſſimis venæſectionibus, laxantibus antiphlogiſticis,

fticis, camphora ad ℈j quotidie exhibita, & aceto capiti rafo ad modum fomenti admoto, brevi convaluerunt. Unicus, adfufa vertici, qui his femper mirifice calet, frigida, ante decennium ad fe rediit. Hac vero medicina, nimis forte timidus, uti nolim amplius. Reditum mali poft annum, pluresve, utinam eadem felicitate cavere poffem, ac illud præfens tollere! Vale Vir amiciffime, meque, ut foles, ama. Upfal. d. 24. Augufti 1749.

431.

J. F. MECKEL.

Non absque infigni animi voluptate fortunæ tuæ atque dignitatum incrementa ex novellis didici, non nifi lætiffimus grata Tibi denuntio, juftiffimoque gaudio affectas, fincera Tibi vota mea confecro. Gratulor enim Tibi Vir generofiffime, de dignitate liberi Baronis Imperii, qua Te nobiliffimamque familiam tuam merito Imperator ornavit. Sit hæc Tibi, fplendidiffimæque familiæ tuæ, nti fummo honori eft, ita & emolumento, ut ex omni parte beatus diutiffime cum Tuis vigeas floreasque.

Præterea Tibi Vir generofiffime denunciandam habeo receptionem tuam inter Membra academica Societatis Regiæ noftræ, in primo poft ferias habito conventu a Præfide Domino de Maupertuis declaratam; quod gratum Tibi fore magno meo gaudeo ex litteris tuis benevole ad me

datis

datis didici, & lætus noſtræ gratulor Societati, quæ ſuis adjunxerit Membris Te, generoſiſſimum Virum ac humaniſſimum Præceptorem meum, quem ſuper omnes evexit præclara eruditio. Proxima die Jovis diploma a Secretario Formey elaboratum Tibi communicabitur. Tecum Membra Societatis electi ſunt Princeps de Lobkowitz & Comes de Lippe, aliique Galli eruditi Viri. Plurimum Te Præſes de Maupertuis & Ellerus ſalutant, gratiſſimæque utrisque erunt litteræ tuæ, quas imprimis exſpectat Præſes. Quod ſi itaque Tibi, humaniſſime Præceptor, placuerit litteras ad eundem dare, mei ſis memor, vehementer rogo.

Ex litteris tuis honoratiſſimis, ad me benevole datis, vehementer tuam nondum integre restitutam dolui ſanitatem, faxit Deus omnipotens, ut aquarum Pyrmontanarum uſus morbi reliquiis plane profligandis inſerviat, Tuque per plurimos annos optima ſanitate frueris.

Forſan Senacus in Hambergeri ſententiam de motu cordis tranſiit, ſed parum proficiet, facillime refutandus. Non magno ſolatio illi erit amicus egregius la Metrie, de cujus fama hic fere plane actum eſt. Nuper a Comite de Sachſen, Mareſchallo Gallorum male exceptus fuit. Hunc enim adire, & amici inſtar colloqui conatus la Metrie duro alliſit lapidi. Reſpondit quippe Comes, ſe mirari audaciam ſuam, hominis perfidi, nullius momenti atque imperitiſſimi, qui Gallia ob nequitiam ſuam exulare coactus, ergaſtulo potius,

potius, quam ſtipendio atque honoribus dignus eſſet, juſſitque ut illico à ſe diſcederet, nec redire auderet. Medicus enim fuit Caſtrenſis le Metrius, ſub exercitu Gallorum, cujus dux erat Comes de Sachſen; quem munere ſuo privatum Dux dimiſit. Pari modo Dux de vili hoc homine ad Regem locutus eſt. Sed impudens homo parvi hæc omnia facit opprobria.

Diligens Pottius plurimum Te ſalutans gratias agit pro benevola corii montani promiſſione. Inter lapides adhuc deſiderat fiſſilem quendam, ſive glaciem Mariæ impuram, cujus magna fruſta inveniuntur in lapicidina Kindenſi, prope Hannoveram; hæc lapidis ſpecies percuſſione dirupta, in rhombos dividitur, & immiſſa palæ candenti phoſphoreſcere dicitur. Hujus ſi fieri poſſet, ℔ j vel plus adhuc ad inquirendum exoptat Pottius. Ego vero, certus de bonitate tua, rogare audeo, velis, Hannoveram ſcribens hujus meminiſſe, acceptumque lapidem Sprœgelio tradere. Lætatur & gratulatur Pottius aſſociatum Te Membris academicis, ut & optimus Sprœgelius, qui ſe filiumque ſuum de meliori Tibi commendat. Berolini 2. Sept. 1749.

432.

J. F. MECKEL.

Adiit me aliquot abhinc diebus juvenis quidam, in terris Hannoveranis Hadelenſibus, pagoque ibidem ſito Otterndorf natus, nomine

Deht-

Dehtleeff. Hic paupertate coactus, inde a scholis huc Berolinum adveniens, chirurgiae sese panis lucrandi causa dedit, lectiones medicas interim, quae hic habentur, minime negligens. Collectis vero nunc aliquot nummis, ulterius in studiis proficere, & ad excolendam scientiam medicam, Universitatem quandam adire cupit.

In eo erat, ut Halam Magdeburgicam eligeret, loci vilitate commotus; cum de perfectiori patria sua Universitate, & de certiori in terris Hannoveranis fortuna sua, si ibidem studia excoluisset, eum admonerem. Quod sibi optime notum esse respondit, sed loci caritate perterritum se, cui res angusta domi esset, ad eligendam Hallensem Academiam coactum esse, ut impensis parceret. Attamen spe stipendii cujusdam se Göttingam adire prae aliis posse, non iniquum me ducere, objeci; sed ad hoc obtinendum nullam sibi spem superesse ajebat; nullum enim unquam ex his terris natum stipendio fuisse sublevatum, quamvis varii ex illis Göttingae degant.

Itaque ut juvenem, bona addiscere cupidum, auxilio vero omni destitutum, quantum in me est, consiliis atque opera adjuvarem, certiorem nullam inveni ad hunc scopum perveniendi viam, quam benignissimum tuum animum, qui aliorum saluti atque commodis inservire in deliciis habes, ad auxilium huic juveni ferendum implorans; bene edoctus, quantum valeant vires tuae. Quod si itaque tuo auxilio fieri possit, ut stipen-

 dio

dio quodam, vel ſaltem victu libero juvenis ille ſublevetur, Göttingam adire non morabitur; Tibi humaniſſimo Præceptori ac Fautori pro tantis beneficiis ſemper deditiſſimus. Rogo autem, velisne hujus rei certiorem me benevole reddere, vel ſi Tibi ipſi Vir Generoſiſſime moleſtum fuerit, per Sprœgelium noſtrum me auxilii certitudinem vel impoſſibilitatem reſcire, ut abitum proximo Scti. Michaelis incipiente ſemeſtri paranti, quæ agenda ſibi ſint, indicare poſſim. Veniam dabis libertati ac precibus meis, ad quas tua, mihi notiſſima inſignis benignitas animi ac benevolentiæ, & meum me impulit egentes adjuvandi deſiderium *a*).

Berolini d. IX. Septemb. MDCCXLIX.

433.

J. F. SCHREIBER.

Inter tot litteras, quas ad Te ſcripſi, Vir Perilluſtris, nullam epiſtolam adeo læto animo ad Te exaravi & miſi, quam hanc, quam nunc manu tenes. Et quidni lætarer, quum audierim, immo legerim, in Te dignitatem collatam eſſe, Anatomicis & Botanicis haud communem, quam Tu meritis tuis hercle! ſummis, Tibi impetrare ſciviſti. Det Deus, ut hoc cedat in emolumentum

a) Per aliquot annos Profeſſoris munere defunctus eſt.

tum insigne & sempiternum familiæ tuæ illustrissimæ! triumphabis de invidis, qui, opinor, Tibi non deerunt: nec pauca me impediunt, ut plura scribam, quum vel ipse aliquando experior, quid valeat ejusmodi invidia. Supervacuum existimo, addere, ut, quum in alto sis constitutus, ne obliviscaris veteranorum tuorum amicorum, nec mei quoque: talia enim virtutes tuæ haud ferent. Me tegent tenebræ, ut mortuum, sic & vivum; multiplici experientia jam convictum, displicere divinæ Providentiæ, ut aliquo modo emergam. Leida nonnemo ad me scripsit, Physiologiam tuam ibidem in summo honore haberi, de quo non miror. Joa. Nicol. Sebast. Allamand Helvetum, successorem sGravesand, habuisse orationem de *Philosopho vero*, Celeberrimum Virum in Physicis, qui longe præstantissima experimenta ceperit circa polypos aquæ dulcis.

Petropoli, 17 $\frac{9}{9}$ 49.

434.

CAROLUS LINNÆUS.

Gratulor Tibi Vir Illustrissime, novos honores, novamque nobilitatem quam induisti, quamquam dudum antea doctissimis tuis scriptis nobile nomen comparasti, quod nunquam periturum sit. Interim vergit in augmentum scientiarum, quum Imperantes sic excitant summa ingenia splendidissimis honoribus.

Accepi pro Te schedulam a Dno. de Sauvages Professore Monspeliensi, intra quam opuscula nonnulla impressa observantur. Hanc mittam ad Te prima data occasione, quam indicare promisit D. Rosén.

Nunc expostulante typographo, paro alteram editionem Floræ Sueticæ; expunxi & emendavi jam omnia, quæ olim in litteris scripsisti; si succurrat aliud quodcunque moneas in tempore; ego nunquam Tecum litigabo.

Wishof postulavit novam editionem *Classium plantarum*, mittam tempore vernali; inseram tuam methodum; si velis eandem scriptam mittere, inseram eandem verbotenus; siu velis quod ipse transcribam, fiet; emendabo tamen quæ ipse moneas, nec alia.

In Scania vidi flores utriusque Calamistri, tam mares, quam feminas, Calamariam Calamistrum puta, quod Dillenius in Historia Muscorum delineavit.

Vivas diu felix. Dabam Upsaliæ 1749. d. 26. Sept.

435.

J. F. MECKEL.

En Optime Præceptor juvenem, cujus Tibi mentionem fecit Dethleef, eruditionis insigni fama tua adductum, benignitati vero tuæ ac favori ideo omnino commendabilem, quod & bona addiscere,

discere, & impensis laudabili sane virtute & pietate parcere studuit. Est enim illi pater senex Chirurgus, neque is dives, sororque puella. Hinc ne senem curis excruciaret, sororem vero dote privaret, ipse vitæ necessaria sibimet comparare studens, chirurgiæ sese, a scholis inde, in terris Hannoveranis dedit. Hanc cum solito tempore addidicisset, Berolinum hanc artem magis magisque excolendi adiit, ubi chirurgiam fere fastidienti contigit, defuncti Professoris Scharschmidii benevolentia ac favore frui, qui in ædes suas illum recepit, ut chirurgica occurrentia administraret; ab hujus ore in medicis quas tradidit lectionibus per integrum annum pependit, donec mors Præceptoris finem huic imposuit felicitati suæ. Hoc itaque orbatus auxilio collegia publica, quæ nunquam tamen neglexerat, omni diligentia frequentavit, ac non longe ab obitu Scharschmidii iisdem cum conditionibus a Professore Muzelio in domum ac doctrinam receptus est; cui ad abitum usque suum auxilio fuit chirurgica administrando, ægrosque absente illo visitando. Horum itaque adjutus favore, rara omnino in juvene parsimonia, quos nummos conquisiverat, sepofuit, ut absque senis sui parentis cura sibi quid esset, de quo scientiam medicam addiscere posset: atque hæ sunt acquisitæ divitiæ suæ, quas ad sui sustentationem affert. Facile est dijudicandum, non fore nimias, neque juvenem eas fore dilapidaturum. Ipse de sufficientia eorum dubitat; hinc ne patri suo nunc molestus sit, stipendio aut tabula libera adjuvari exoptat, quod tua favente

D 3 bene-

benevolentia ab Illustrissimo Münchhusio impetraturum, minime dubitat, nunquam Tibi Fautori ac Promotori suo studiorum ac felicitatis suæ, pro his beneficiis obedientissimus ac deditissimus esse deerit, rogo itaque, velis Humanissime Præceptor, pro eo quo es benigno ac benevolo animo, juvenem, bene agere pergentem tuo dignari auxilio tuisque salutaribus consiliis.

Mihi, quas ad me dedisti, gratissimæ litteræ tuæ, & illæ commendatitiæ ad Præsidem de Maupertuis, & alutæ montanæ communicatio, amoris, benevolentiæ ac favoris tui erga me tanta sunt signa, ut gratias, quas pro his Tibi debeo, sufficientes, agere non valeam. Non enim nisi paterno amore felicitati meæ cum summo ardore studes, dum per litteras tuas Præsidi nostro singulari me commendas favore, ut ingratissimi nomen mererer, si unquam pietate Tibi addictissimus esse desinerem. Satis exprimere verbis nequeo, quanto Præsidi litteræ tuæ fuerint gaudio; ipse mihi eas tradenti gratias egit, qui commercii litterarii, & amicitiæ tuæ secum, & tuæ cum Academia nostra honorificæ conjunctionis causa fuerim. In eo erat, ut Charlottenburgum & Potsdamum cum Rege hinc abiret, a quo vix unquam abesse potest; quare ut officiosissime Te ab illo salutem, gratiasque pro litteris agam, mihi mandavit, seque quamprimum responsurum Tibi promisit. Pergit cum sinceritate ac æstimatione mihi favere, neque deerit omnibus viribus felicitatem meam adjuvandi, dummodo media necef-

necessaria ad hunc finem Director classis physicæ & Collegii medici Ellerus proponere, non tantum immoraretur; quippe quæ confestim se executurum, ac quævis ad incrementum anatomiæ, meamque felicitatem stabiliendam necessaria a Rege sese impetraturum, sancte promittit Præses. Quare si litteras ad Ellerum dabis, rogo, velis eum de Præsidis in me favore, cujus per litteras ejus certus factus esses, admonere, qui omnia sese acturum promiserit, quæ ad stabiliendam fortunam meam ab illo proponentur. Hanc enim ob causam de Ellero queritur Præses, quod media proponere adhuc recusaverit ad Professoris munus beati Cassebohmii una cum salario mihi deferendum.

Excusabis Optime Præceptor errorem meum, in dignitate nobilitatis in Te collata a me amissum; non enim datur fortuna ac dignitas, quin Te, humanissimum Præceptorem meum dignissimum ejus putem, Tibique eandem ex intimo pii in Te animi adfectu adprecer. Gratulor ergo Tibi de stirpis tuæ nobilitate, & de prædiis una acceptis. Det Deus ut commode ac longævæ vitæ tuæ quævis fausta inserviant.

Immensas Tibi Cl. Pottius gratias debet agitque, qui alutæ montanæ copiam illi facere benevole volueris. Non obstabit paucitas materiæ experimentis necessariis ad indagandam naturam hujus lapidis; sed major tamen copia, quam grata mente exspectat, & corroborandis repetitione experimentis, & iis favebit, quæ majorem co-

piam requirunt. Idem lapidem ſeleniticum phoſphoraſcentem avidus exſpectat; & a chirurgo ibidem loci degente compertus eſt, reperiri hunc lapidem in lapicidina calcaria ea in regione ſita.

Trendelenburgio forte, uti aliis qui æque Te incredibili amore ac pietate venerantur diſcipulis tuis, abitus a Te triſtior erit, quam Tibi feliciſſimo jam & ſupra aliorum invidiam poſito ille ejus, niſi humaniſſimus Præceptor, Te ex animo amantes ac pie venerantes diſcipulos, æque redamares.

Infirmitatem ac inconſtantiam valetudinis tuæ acerbe doleo; ſed debiles corporis fibras ac inteſtino nullo, ſi meum addere licet debile judicium, medicamento certius ac facilius roborabis, quam copioſo extractorum amarorum aquoſorum uſu, quorum ego, debilitate poſt febrim inſigni laborans, effectum perſenſi inſignem, ad robur corpori absque omni calore conciliandum. Solutionis autem extracti aquoſi caſcarillæ, aurantior. & trif. fibr. in aqua cinnam. ſine vino omni trihorio primis, frequentibus fere diebus ter de die, hora ante prandium octava & undecima, & hora quinta poſtmeridiana integrum ſumſi cochlear, quibus ad comedendum vulgo utimur. Sed niſi propria induſtria eorumdem præparationi, ſolutioni & aquæ cinnamomi confectioni ſuccurrat, vix unquam effectum debitum præſtant, in officinis quippe nec bona medicamenta, nec juſtam adhibent præparationi operam: quare aqua cinnamomi ſine vino a me deſtillata, extracta caſcarillæ,

carillæ, aurantiorum & trif. fibr. ſolvi, optimeque factam ſolutionem, in qua cascarillæ & aurantior. æquales partes, trifolii dimidiam miſcui, in tuos uſus convertendum, Tibi Optime Præceptor offerre audeo. Certus ſum de optimo effectu, nam absque calore vires, roborando ſolum laxas fibras, inſigniter reficiunt. Det Deus, ut plane cedat omnis debilitas, & ſanitate perfectiſſima fruens longiſſime degas. Eundem hunc extractorum uſum, & Ellerus & Sprœgelius peritiſſimi certe ac prudentiſſimi Medici valde probant, Tibi ſuadent, de ſalute tua maxime ſolliciti. Quod ſi effectus Tibi commendabit uſum, ſummopere delectabor, ſi eodem modo factam concentratam extractorum ſolutionem, in tuos uſus conficere Tibique Cariſſimo Præceptori meo mittere licebit. Certiſſime & flatus, & inappetentia, & indigeſtionis ciborum comes febricula poſt extractorum uſum ceſſabunt; imprimis ſi lenibus laxantibus alvum ſubinde liberare volueris, quem in finem pillulas addo leniſſimas, polychreſtas Sprœgelii, quarum quinque vel ſeptem alvum absque omni vi aut ter vel quater ad ſummum liberant; & quæ adeo omni purgante & calido principio carent, ut & febri laborantibus exhibitæ calorem diminuant potius quam augeant. Studeas, rogo, cariſſime Præceptor, conſervationi tuæ diuturnæ, quam omnes boni ex animo mecum optant.

Optimam apprecantes ſalutem ac ſanitatem Te officioſiſſime ſalutant Ellerus & Sprœgelius, qui filium ſuum de meliori Tibi commendat.

Berolini d. XXVII. Sept. MDCCXLIX.

436.

D. LUDWIG.

Ut ſplendidos honorum titulos, quibus Te condecoratum video, tamquam præmia virtutum, admiror & Tibi gratulor, ſic maximopere rogo, velis animum in me benevolum & amicum, ut hactenus ſic & impoſterum mihi conſervare, & de meo in Te ſtudio ſemper certus eſſe. Abſolutum eſt opus de Terris, quod hic Tibi trado tuæque dijudicationi ſubmitto. Expetit a me Bibliopola, ut novam verſionem meo ſub directorio Calendarii Hortulanorum Dn. Miller efficiam, hominem huic negotio aptum habeo, ſed libro deſtituor. Cum igitur ſciam Te noviſſimam editionem poſſidere, maximopere a Te peto, ut mihi eandem in aliquot menſes communices, donec eandem ex Anglia recepero, nam hujus rei cauſa jam ſcripſi. Si id fieri poterit, forte nonnullas obſervationes adjiciam ipſe. Vale & me ut ſoles ama. Sed quæſo Vir Perill. dum de ſcientiis excolendis adeo ſollicitus es, ſis etiam de ſanitate tua: leviora illa quæ nunc ſentis incommoda difficile curantur, facile recrudeſcunt, & ii qui ſtudiis nimium dediti ſunt, vix ſentiunt levamen, niſi a ſtudio aliquo modo abſtineant; hæc ſcribo, quoniam Te amo. Vale. Dabam Lipſiæ d. 19. Octobr. 1749.

437.

437.

D. JO. BENJAMIN BOEHMER.

Quæ nuper prodiit, altera Chirurgiæ Platnerianæ pars, eam, variis hactenus impeditus negotiis, nunc demum Tibi, Vir Perillustris, mitto, atque hunc ut eadem humanitate ac benevolentia, uti priorem, excipias summopere contendo.

Experimenta cum Rubiæ radice, alio jam tempore & a me instituta, nunc paulo curiosius repeto, quo intelligam certius, quatenus fides habenda sit sententiæ a Du Hamel propositæ. Hoc cum agerem, ecce, nuper in porco, qui eandem radicem per aliquot menses comederat, præter ossa ipsorum dentes eleganter rubentes, deprehendi etiam bilis naturalem colorem in rubicundum mutatum fuisse. Hoc cum peculiare, neque ab aliis annotatum mihi videatur, nunc & in alio porci exemplo eandem rem denuo experiri cupio, atque cognoscere, an etiam constans sit hujus humoris ab illa radice mutatio, quæ tamen in reliquis humoribus non reperitur.

Adderem plura, sed, ne tua, Vir Perillustris, benevolentia abuti velle videar, ad finem propero & inter ardentissima pro tua salute atque incolumitate vota, me tuo, quem maximi facio, favore ut dignari & imposterum velis, omni observantia peto. Ego sane nunquam non dabo

operam,

operam, ut animi in Te mei ſignificationem faciam teſtatiorem. Lipſiæ ſcribebam properante calamo d. 22. Oct. 1749.

438.

JOHANNES DE GORTER,

Litteras 30. Junii & 4. Octob. ad me miſſas accepi. Tandem quoque vidi exemplar Compendii Medicinæ Francofurti & Lipſiæ impreſſum, ſatis tolerabili, ut recte monuiſti, charta. Etiamſi auctorum vitæ melius poſt mortem traduntur, tuis tamen & amici tui deſideriis deeſſe nolui, quare vitam meam & edita opera, paucis verbis concepta, transmitto. Addere volui orationem in Jubilæum, in qua forſan inveniet amicus, quæ fruſtra alibi quæruntur. Poſt editas quatuor Exercitationes hanc quintam emittere volui, ut intelligeretur, quid ergo per motum vitalem particularem intelligerem.

Impreſſum jamjam Syſtema morborum generalium, ſi Tibi tantum, quantum mihi tuæ Inſtitutiones arrident, pergratum erit: altera pars Syſtematis de morbis particularibus ſub prelo verſatur, quamprimum fuerit impreſſa, curabo ad Te quoque perveniat.

Ex valido progreſſo morbo, præcipue cum ſanguinis diſpendio, relinqui valetudinem adverſam, actionemque organi chylopojetici debilitatem, frequens eſt in praxi obſervatio, hanc debilem

lem actionem adſumta alimenta relinquere cruda, & permittere humorum ſpontaneam corruptionem Tibi æque quam mihi notum eſt. Ex hac ſpontanea corruptione multum aëris artificialis ſeu flatus generari experimenta chemica evincunt. Tibi ex hac cauſa credo generari iſtos flatus, quos felici cum effectu curare ſoleo epithemate calefaciente & roborante, cum abdominis ſuſtentatione, quæ viſcera ventris magis valent in contentos humores agere. Hunc ſi Tibi viſum fuerit adhibere, confido bonum effectum exſpectari poſſe. Vale! & me pergis amare.

Dabam Hardevici d. 7. Nov. 1749.

439.

HUMPHREDUS SIBTHORPE.

Tuas Vir ornatiſſime, literas, ſemina & librum citius agnoveram, ultimum vero meo nomini cum aliis amicis inſcriptum diu exſpectavi, & deinde ſemina, quibus Te vellem remunerare, omnia vero jam adſunt. Imprimis autem pro humanitate tua & benevolentia erga me debitas Tibi gratias quam plurimas habemus; honor enim, quo me ſuſcepiſti, major eſt quam integra oratio alius cujuscunque Botanici; novi etiam animum tuum minus in laudando (præter rationem) pronum. Ut amplius autem gratum teſtarer animum ad mutua officia promptum, ſemina alia recenter collecta partim ex horto meo, partim ab exteris iterum

iterum paravi; fructus Loti veræ nuper ab Africa delati a D. D. Shaw Historico celebri communicati sunt, minus meo palato quam Ulyssis sociis arridentes. Anonides & Aspalatus pulchrè satis nobiscum florent; Abiesque balsami Gileadensis odore præ ceteris Abietam speciebus placet. Tres hortus alit viginti pedes circiter altas vegetissimas, sed alibi plures antea huic altitudini assurgant, nodosæ & muscosæ pereunt, & si dicam ad extremitates ramorum podagricæ. Hæcce semina Tibi placerent, quodsi olim intellexero, lætabor maxime.

Cum tuæ & meæ deliciæ consistant in plantarum dignotione, paucas licet novero, possum a Te scire omnia, & quæ in orbe botanico peraguntur, poteris me instruere sine tua jactura, cum bene intelligas, quid quælibet fert tellus, quid novum vel nondum descriptum, quid horti ornamentum, & Pinaci celebriori Auctarium. Spero, haud longum foret tempus, quin semina mihi plura mittas. Hoc vero clima plantas septentrionales optime alit, hinc Delphinium perenne minus villosum St. Ruth & stirpes Aspalattus & Caragana Burato Mogulica ejusdem operis pulchre superbiunt. Arbustum velim instruere arborum igitur semper viventium florentiumque. Semina & fructus præprimis Ilicum quercuum & similium semper erunt gratissima. Abietum & pinorum plurimas species in Anglia notas nascentes habemus. Utinam aliquid esset apud me, quod Tibi gratum, utinam essent quibus rependere possem,

Tu

Tu nihilominus, ſi potes, mihi eorum copiam facias.

Scire vellem, quid agas: ſi a me quæras, reſpondebo, nihil, non quia vix habeam, quod agam, ſed præ turba negotii, dubius hæreo quid prius ſit agendum; cum adjunctum neque in horto neque ad Pinacem perficiendum habeam. Utinam unum vel alterum in Botanica expedienda verſatiſſimum laboris ſocium haberem, quo citius & perfectius typis mandaretur opus deſideratiſſimum; unius enim hominis præter auxiliatrices Botanicorum exoptatiſſimorum præcedentium manus vix eſt ampla & difficilis provincia; haud vero deficiet quaſi nimis deſperata debita noſtra cura, licet vix nihil niſi velle habeam; quare etiam atque etiam rogo, ut curas in hanc rem ſubinde impendere non dedigneris. Si Bauhinianæ ſtirpes quantumvis mutilatæ modico æris redimi poſſint, mallem id de proprio expendere, quæ in publicis collectaneis deerint, nullæ enim pecuniæ vel pro libris vel aliis neceſſariis parandis aſſignatæ ſunt. Quantum vero in me eſt Sherardi exſpectationi inſerviam, porro etiam eo munere alicui magis merenti cedendo.

Nihil novi apud nos in re botanica eſt; Cantabrigienſes Hortum botanicum exoptant, ſed vereor, cum pauci ſint Botanices Patroni, ne diutius deſideretur. Notum eſt Tibi, quid Gmelin, Linnæus & alii moliuntur, vereor ut Ruſſici Siegesbeckio non bene feciſſent. Hebenſtreit Lipſienſem ſors auſpicatior Petropoli appellat, ſi vero barba-

barbariæ & inſcitiæ nebulæ diſciplinis artibusque ingenuis ſatis diſpulſæ eſſent, libri & ſtipendia debita Gmelino reſolventur vix unquam redituro; injurias enim ægre ferunt litterati. Nos vero beatioribus regibus vivimus, Regemque per divinam gratiam clementiſſimum experimur, cui placuiſſe felicitas, non diſplicereo fficium. Valeas vivasque diu artis botanicæ Præſes & Patronus, cum poſſim referente beato Dillenio, a Te plura proficere quam ab omnibus aliis, ſed ne diutius abutar patientia hiſce ſubſiſto, Tui ſtudioſiſſimum favore & amicitia proſequere addictiſſimum famulum.

Dabam Oxonii d. 10. Novembris 1749.

Abdolatiphi Hiſtoriæ Ægypti Compendium a Pocokio filio inceptum & imperfectum impreſſum cito ſubſcriptionis jure typis mandaturus eſt Profeſſor Hunt linguis orient. inſtructiſſimus: in illo opere pauca obiter de re botanica occurrunt, præſertim tractatus de plantis Ægypti. Pretium 12. ſolidi.

440.

PETRUS WARGENTIN.

Non dubito, quin Te, utpote Socium Academiæ Regiæ Scientiarum Sueticæ laudatiſſimum non minus quam fidiſſimum, vehementer commoverit præmaturus obitus Viri clariſſimi, & Secretarii ejusdem Academiæ dexterrimi, Petri Elvii,

Elvii, qui Tibi ſine dubio jam ex Novellis publicis innotuit. Id erat deſideratiſſimi hujus Viri ingenium, ea in promovendis excolendisque ſcientiis aſſiduitas, ut orbi erudito non minus quam noſtræ Academiæ luctuoſus non poſſit non videri illius obitus.

Me tanti Viri ſucceſſorem conſtituit nuper, ſibique e Secretis eſſe juſſit Academia, qui Elvii veſtigia ſequi quidem conabor, aſſequi autem, per ingenii mei tenuitatem vix unquam potero; & quis facile poterit?

Tibi itaque, Vir excellentiſſime, id ipſum indicare, meum eſſe judicavi, ut ſcias cui litteras tuas poſthac inſcribas, quibus vel Academiam noſtram, adeoque etiam tuam, vel aliquem Sociorum indigenarum, pro ea, qua conſueviſti, gratia & benevolentia, inviſere fortaſſis non gravaberis.

Mihi nil gratius, nil exoptatius erit, quam ut tuum, Vir Clariſſime, favorem quodam modo mereri poſſim, ideoque me ad quævis Tibi præſtanda officia paratiſſimum & ad obſequia promtiſſimum invenies, modo vel nutu tua mihi deſideria indicare volueris, gloriæ mihi ducturus, ſi me ſemper diu patiaris &c.

Dabam Holmiæ, d. xx. Novembris, Anno Salutis M DCC XLIX.

441.

JOH. GESNERUS.

Te tam feliciter reconvaluisse sincere gaudeo & gratulor Tibi, Illustris familiæ, litteris & mihi quem tua amicitia imprimis felicem reddit. Mea sanitas multum languet, & ex eo quo ad Te scripsi tempore iterum iterumque ægrotavi non sine magno otii mei dispendio, & negotiorum perturbatione; quæ sic accumulata jacent. Maximum ex hæmorrhoidum anomalia molestiam sentio, quæ imprimis ventriculo molesta est gravibus & frequentioribus anxietatibus, vomitibus. Optimos juvenes D. Wolfium & Mejerum tuæ paternæ curæ & humanitati iterum commendo: hi beatissimos jure se credunt, quibus datum sit tuis consiliis & institutionibus medicis frui. Amicitia peritissimi & industrii D. Gleditschii Berolinensis mihi gratissima erit, nec deero quin omni studio illam excolam; nil tamen ab eo litterarum hactenus ad me venit. Linnæi Materiam medicam accepi, magno judicio non sine eximio usu digestum opusculum. Cogitabam aliquando icones Fuchsianæ simili sed germanico opusculo illustrare, quod usu suo non careret, & latinæ linguæ ignaros tamen ad veros fontes rei herbariæ & medicæ deducere posset. Vale & favere perge. 27. Nov. 1749.

442.

D. C. SCHOBINGER.

Summo animi gaudio ex litteris tuis ad D. Gillerum datis accepi, quod valetudo tua, Perillustris Vir, ex morbo adhuc aliquamdiu infirmior, nunc magis magisque ad meliorem prioremque sese convertat statum. DEUS T. O. M. eam in dies remediis benedicendo augeat, firmet, stabilemque Tibi reddat. Ipsa perpetuæ tuæ in me benevolentiæ memoria non sivit me, quin denuo hasce ad Te litteras exarare auderem. Ante omnia optimus avunculus D. D. Giller pro responsoriis tuis maximas Tibi per me agit gratias, Teque Perillustris Vir, plurimum resalutat. Decubuit optimus avunculus hoc ipso autumno gravissima febre, non tam acutie sui periculosa, quam plurimis, quæ secum habebat, animi deliquiis, quæ imprimis erigentem sese ægrum nostrum fulminis instar invadebant, & quæ tandem in statu adeo invalescebant, concurrentibus adeo motibus convulsivis, aphoniæ specie, qua voces incipiebat minus articulatas reddere, ut finem vitæ ipsi instare omnes crederemus, præsente imprimis summa virium debilitate, & sanguine non nisi caput fere petente, adeo, ut ille singulos arteriarum pulsus intra caput tanquam venti strepitum audiret. Et quo ipso die Perillustris Vir, quo ipso, inquam, die

Tu tuas ad eum dedisti litteras, eo ipso periculosissime sese optimus avunculus habuit. Ab eo die melius habere incepit, & sensim convalescere, etsi & nunc adhuc domi sese tenere cogatur, ob nondum recuperatas vires. Multum tribuimus Tæniæ præsenti intra corpus, cujus ante morbum cœptum partem purgante sumto dejecit, sed tantillam, ut multum adhuc intus latere justissima fuerit suspicio. Nec plus ejus animalis amisit ad hunc diem. Sub morbo vero ob tantam debilitatem non licebat anthelmintica propinare. Antifebrilibus autem & analepticis unice hactenus tractatus fuit. Anxius sane hæsi, cum indicata exequi ita non liceret. Spero nunc, omnia in melius versum iri, etsi ulterius aliquid senserit. Aquam Sedlicensem hosti oppones. Spero, amiciss. Zimmermannum dissertationes de Tænia, cujus mentionem injecisti una cum ea Zinnii & Oederi mihi commoda missurum occasione. Nec infrequentes hic sunt Tæniæ, ut jam brevi tempore duas vel tres viderim. Programmata tua de utero sub partu rupto, & rarioribus ventriculi morbis magno meo gaudio & fructu accepi.

Nihil est, quod nunc de defectu praxeos conquerar. Ea divina prospiciente bonitate, nunc satis frequens esse incipit, & frequentior quam pro primo sperari semestri. Deo, fidelique & solidæ institutioni vestræ, debeo, quod ea etiam haud male succedat mihi, quanquam subinde opinionum mearum graves adversarios inter Medicos etiam reperiam. Sed si quid certum & exoptandum

ploratum credo, urgeo illud contra omnia obstacula, & sæpe satis res succedit. Optimus avunculus mea adjuvat ægrosque adsignat, ubi licet, fortuna præterea adjunxit Celebrem Medicum Dm. Zollicoferum, qui olim Halæ, Te Perillustris Vir, vidit præparataque Coschwizii, ut mihi narrat, Tibi ostendit, cujusque principia in plurimis cum meis conveniunt, ut inde amicus mihi redditus fuerit, qui multum utilis est. Nuper quod negat Boerhaavius, verissimam hepatitidem sine ullo icteri signo vidi, & Deo adjuvante! V. sonibus antiphlogisticisque feliciter sanavi. Hepatitis adeo subinde sine ictero, quam ursit Ill. Brendelius, vera est. Forte inflammatio in solis hepatis arteriis sine dubio hæsit. Sic varia subinde occurrunt, ut inde ab Augusto mense nunquam sine duobus saltem vel tribus fuerim ægris. Mortes juniori plures non accidunt, quam senioribus, ut ideo non accuser. Bonis libris, quantum præsens fortuna concedit, mihi prospicio, sed non possum hactenus ut vellem, & ut opus erit, si Providentia melius prospexerit. Egregia omnino Gilleri bibliothecæ multa promit, in pluribus tamen necesse foret eam continuare & augere. Sed hæc nil ad me. Sufficiat hactenus, si tantillum studiis meis prodesse proximo valeam, si plus potero, non deero. De D. Langhans nihil audio, peragravit hac æstate magnam Helvetiæ partem, & me quoque invisit, quo itinere facto me hactenus felicior est, qui fecissem si potuissem. Ophthalmojatros Borussus, Cyrus nomine, hic aliquandiu commoratus est, artis suæ

tam theoretice quam practice valde peritus, anatomes imprimis oculi, qui felices curationes plures æquo abſolvit pretio, cataractæ maxime depoſitiones, cujus theoriam juſtiſſimam habuit; differt modus ejus operandi a recepto hodie in eo, quod in inferiori ſed exteriori mediæ præciſe Albugineæ & Scleroticæ parte duas etiam lineas a cornea acum infigat, quod 2°. hæc acus ipſi raro adhibeatur fine lanceolato aut rotundato, ſed teres omnino & acumine tenuiſſimo, 3°. ſpeculo oculi non utitur, ſed digito alterius manus pollice & indice ſuſtinet oculum. Felix noſtro loco fuit, neque jactabundus, ut hujus farinæ homines ſolent, erat. His addere plura in præſenti me vetant prolixæ jam litteræ, metusque ne πολυγραφία mea tandem fatigeris. Optima mater cum reliquis cognatis ſumma Te, Vir Perilluſtris, ſalutant reverentia una mecum, qui tuo favori, patrocinioque me cum ingreſſu novi anni (quem Tibi omnis felicitatis ut feraciſſimum ut & nobiliſſimæ Familiæ tuæ adprecor) denuo humillime me commendo. Imprimis valetudo ſecunda indies magis magisque, quod ardenter optamus, Tibi redeat inconcuſſaque diutiſſime perſiſtat. Ita vale, Perilluſtris Vir, & favere porro Schobingero tuo dignere. Dabam St. Galli Helvet. d. 1. Decembris an. 1749.

443.

J. F. SCHREIBER.

Gratias ago ſummas de teſtimonio ſinceri tui in me animi, quem duplici epiſtola erga me adeo probaſti. Votum mihi eſt, ut Deus Tibi, Conjugi lectiſſimæ, Liberisque tuis, præcipue ſub hujus novi anni auſpiciis, fauſta quævis evenire velit: qua de cauſa, ſemper multumque lætabor.

Quæ in conventu Academiæ publico hic edita ſunt, transmitto: ſed commentarii ipſius haud dudum prodierunt. Quod manus dextra Tibi non ſatis obſequioſa admodum ſit, valde indoleo: haud dubie id malum originem debet ſectionibus nimiis, ſumma adtentione factis. De cetero, quum præterea non habeam, quæ ſcribam, cura, ut valeas, mihique, ut ſemper ſolitus fuiſti, faveas.

Petropoli 17 $\frac{24}{12}$ 49.

444.

J. F. MECKEL.

Plane non poſſem, Vir Generoſiſſime, culpa liberare omiſſam per tantum temporis ſpatium debitam reſponſionem meam ad litteras tuas humaniſſimas atque gratiſſimas, niſi juſtum deſiderium, quod & Te optimum Præceptorem, bona quævis mihi cupientem & me ipſum de conditionis meæ melioratione tenet, ad illud usque,

quod nunc imminet gratæ recordationis tempus, eam remoratum fuisset, quo inter Te pie amantes gratulatione deesse durissimum crederem, immo durante vita ac viribus plane mihi impossibile. Adhuc enim, quæ mea est culpa, tuo caruisse absens per litteras dulcissimo ac utilissimo colloquio, quam acerbum mihi fuerit, vix effari valeo, cum absentia a Te mea immensum augeat Tui desiderium piumque in Te amorem, tantum abest, ut unquam ullo modo possit imminui. Erectum tamen hilaremque animum meum gratissimus servavit de salute tua nuncius, qui per Sprœgelii nostri litteras, omni fere octiduo mihi venit. Servet Te summum Numen imposterum, faciatque, ut, &, qui superest ad finem tendentis anni pars, &, quem brevi inchoabimus, quinquagesimus, felicissimus Tibi sit ac beatissimus. Addet omnipotens Deus, ætati tuæ tot, quot jam lætus supervixisti, annos, ut omnibus ornatus corporis animique bonis, summe contentus Tibi ipsi delectationi, generosæ familiæ tuæ eximio solatio ac splendori, orbi litterato & medico imprimis summo emolumento, Te vero pie amantibus atque colentibus, quos inter nulli cedo, ineffabili gaudio, summum attingas, quod homini concessum est senium. Favori tuo ac amori, cujus mihi præterlapso hoc anno innumera ac insignissima dedisti signa, me & sequenti hoc anno commendatum habeas, omnibus, quæ possum, precibus contendo, neque indignum plane eo me puto, si deditissimum ac pie amantem ac venerantem redamare discipulum æquissimum est.

Quæ

Quæ adhuc per Sprœgelium noſtrum mihi mandaſti, fideliter executus ſum, ſed paucos libros ex auctionibus retuli, quos Tibi cum Chymiæ Neumannianæ & iconum Friſchii continuatione per has trado. Junxi, quem deſideraſti, libellum *l'homme machine*, vaniſſimum hic, novumque alium de la Metrii libellum, cui titulus *les animaux plus que machines*, qui brevi abhinc prelum deſeruit, oppoſitus, uti videtur, priori, temerarium quippe initio libri indicat, animam homini denegare velle, nec juſte carteſianam de animalibus theoriam in hominem transferri. Eximie lætabor, ſi Tibi dilectiſſimo Præceptori meo hæc oblata arridebunt, nil enim eſt, quod magis acceptum mihi eſſe poſſit, quam ſi paucula illa, quibus pro virium imbecillitate gratum animum Tibi teſtari annitor grata eſſe perſentio.

Neumannianam editionem minime ex hujus viri manuſcriptis Keſſelium collegiſſe; ſed plurimam ejus partem ex Potti ſcriptis exſcripſiſſe certum eſt. Lithognoſiam enim hujus fere totam in Neumannianum opus tranſtulit, librosque multos citando, qui longe ab obitu Neumanni demum prodiere, omnem ipſe detexit fallaciam, quare aut ipſe errores ſuos in præfatione ad volumen ſecundum agnoſcere coactus erit, aut Pottius in recenſione hujus libri ſingulari errores & plagia indicabit, qui plurimum & officioſiſſime Te ſalutat, gratiasque pro benevola lapidis deſiderati transmiſſione agit, quem omnino diverſum a reliquis invenit ſeleniticis; Spatum enim

calcarium esse, per experimenta edoctum est, cum reliqui lapides selenitici sint ex genere gypseorum. Ad me quod attinet, nondum eo in munere professionis anatomicæ hic sum constitutus, quo juvante eam absque impedimento exercere possem. Laborat in eo mihi e Rege obtinendo Ill. de Maupertuis, imprimis nunc, cum a Curatore Academiæ Giessensis professio anatomica ibidem mihi oblata fuerit, quas litteras cum Ill. Præsidi monstrassem, promisit, se aliquot dierum spatio munus Professoris anatomiæ pro me impetraturum, rogatus, ne prius professionem Giessensem acciperem. Antequam vero has litteras Darmstattio accepissem, efflagitanti mihi, ut professionem anatomicam mihi a Rege impetraret, respondit: se tantum responsionem aliunde per litteras avide exspectare, quo facto, Regem mei causa alloqui mihique hoc munus expetere vellet. Jam autem una vice de me ad Regem locutus propitium tulit responsum. Sed cum alia prius exsequi Rex tum illi mandasset: his demum peractis muneris mihi deferendi curam habere promiserat. Exspectavit litteras has responsorias jam die Sabbati præterlapso, attamen nondum, quantum novi, eas obtinuit. Non ignoro, plurimum tuam Optime Præceptor apud eum valuisse mei commendationem, & certus sum, quævis illum fore mei causa exsecuturum, quæ a Te comprobata habet. Brevi itaque certior de obtinenda professione fieri spero. Magis mihi autem placet ea hic Berolini, quam Giessæ, ubi omnis deest apparatus ad exercendam anatomiam necef-

necessarius; paucissimi adsunt studiosi, immo vix unicus medicinæ, salarium angustissimum est, ut aliis sese partibus medicinæ panis lucrandi causa dare quilibet coactus sit; hic vero, ubi abundatissima cadaverorum copia est, facili negotio brevi tempore ingens observationum quantitas colligitur, & ingens tironum anatomiæ numerus cum salario sufficit vitæ sustentandæ. Quod si, ad Ill. de Maupertuis litteras dando, mei memor esse volueris, maximus erit, ad obtinendam brevi professionem cum salario, stimulus, pro quo sat gratus esse nunquam potero.

Oederus & Zinnius anatomiæ sedulo incumbunt, ego vero summo meo dolore cogor abesse, rudes abhorrens, in munere nondum constitutus, ... altercationes, qui Tezelii instar ignaris medicis practicis, anatomicas vendunt remissiones, cursus anatomicos intelligo, quos publice hic in theatro anatomico, sex demonstrationibus anatomicis absolvere ineuntes Practici debent. Hi inquam . . . nunc plane venales sunt, ita, ut maxime ignari, qui verbum nequidem absque vitio proferre valent, approbationem . . . obtineant.

In illustrissima Trendelenburgi nostri sententiæ tuæ adversus Hambergerum defensione, ejus etiam in me amorem ex refutatione injusta Lipsiensium de dissertatione mea recensionis, gratissimus ac lætus perspexi, optime persuasus, tuam Benevole Præceptor subesse bonitatem, quæ defensionis meæ hic inserendæ causa fuerit.

Plura

Plura nova non habeo, si vero quid obtinuero, certiorem Te ejus reddere, non negligam.

Sproegelius pater Te ex animo salutat, ac fausta quaecunque de novo anno Tibi apprecatur, se suumque filium de meliori commendat. Quod ergo superest, enixe rogo, pergas favore ac benevolentia tua Optime Praeceptor dignari Tui deditissimum, ac nominis tui venerandi. Berolini d. xx. Decembris MDCCXLIX.

445.

J. G. GMELIN.

Credo utique, a Ludwigio multa melius dici posse. Praecipue non placet, quod terras, quae acidis obediunt & non obediunt, in generibus permiscuerit. Legerem etiam ego Hillium & Wallerium & Brovallum, si modo eorum compos fieri possem. Rogo quam maxime, si eorum mihi copiam facere potes, uti praestes. Gratissimum certe mihi praestabis officium & nummos pro istis libris erogandos gratissima mente persolvam. Brevi enim ipse quaedam de Sibiricis mineralibus conscripturus sum, non tamen neglecturus floram, cujus secundum tomum brevi spero in tuas manus perventurum esse. Non admodum displicet, quod marmora derivet a conchyliis, forte etiam lapides calcareos eo referre debuisset scriptor thesauri Regii Parisini. Marmora utpote duriora durioribus conchis originem debebunt,

bebunt, uti porcellanis e. g. lapides calcarei molliores. Non tamen diffiteor, mutationes quæ debuissent in tellure nostra contingere, ut conchylia in ejusmodi generis lapides commutarentur, me nondum satis assequi. Nec conjectura auctoris Parisini alio fundamento niti potest, nisi substantiæ lapidum horum & conchyliorum convenientia. Vale. Dabam Tubingæ d. 16. Jan. 1750.

446.

C. G. LUDWIG.

Quas nuper mihi dedisti litteras Vir Illustr. & Generos. longe gratiores erant, quam quas præcedenti anno accepi. Neque quidem miratus sum morbum tuum de die in diem majora incrementa capere, & animi & corporis vires dejectas esse, cum continuis ferme laboribus utrasque frangas. Doleo sortem tuam, & me ferme feliciorem judico, licet enim quotidie tædiosissima sæpius praxi clinica distractus sim, tamen somno quieto vires iterum reficio. Te vero continuæ urgent meditationes, quæ effectibus tandem tristissimis in minima corporis penetrant, & sanitatem destruunt irreparabilem. Fateor equidem & omnes fatentur, Te scientias quas tractasti ad altius culmen evexisse, erubesco cum videam me nihil præstare potuisse, sed licet nos continuos labores cita senectus expectet, tamen id prævideo, Te graviores morbos (Dii tamen avertant) excruciare posse quam me. Hæc & alia meditabar

bar Vir Gen. cum priores tuas litteras attente perlegerem, & licet in ultimis de morbo nihil de laboribus susceptis varia annotata perspicerem, tamen priores meditationes pro candore meo Tecum communicare non intermisi. Peto iterum, iterumque peto valetudinis rationem habeas. Gummi saponacea, amara cum his juncta diluentia, motus corporis, victus & potus aptus, aliaque egregia sanitatis præsidia, sine omni effectu erunt, nisi a studiis tractandis aliquo modo remittas. Cogita, quæso Te per plures annos, quos Tibi largiatur Summum Numen, remissius agendo, plus præstare posse, quam si vires per paucos annos intendendo, ea præstiteris quæ Tibi tantum possibilia sunt. Sed satis de his; de amore meo jam satis certus eris, qui eo tendit, ut conserveris & Tuis & orbi erudito & amicis & mihi. Vale Vir Gen. & me ut soles ama. Dabam Lipsiæ d. XXI. Jan. 1750.

447.

J. F. MECKEL.

Gratissima fuit, Vir Generosissime Optime Præceptor, quam ad me dedisti, responsio tua, quod id omne quod lætitia animum implere potest in se continuit. Exoptatissimus quippe bonæ valetudinis tuæ testis, & eximii tui in me amoris certissimum fuit signum; cum & benevole pauculos a me accipere, quos offerre Tibi ausus fui libros; & optimis consiliis me hæsitan-

tem

tem adjuvare meamque fortunam ſtabilire volueris. Det Deus ut in ſanitate integerrima longum degas ac feliciſſimum ævum. Accipias vero, iterum iterumque rogo, benevole, quos Tibi miſi libellos. Nec enim unquam, Te optimum Præceptorem meum omni modo bene de me meritum, mihi moleſtum fieri poſſe, poſſibile erit, cum nihil vehementius ex animo optem, quam gratiſſimum gratum teſtandi animum occaſionem. Faveas ergo, enixe rogo, in his ſinceris meis deſideriis, neque vitio vertas, ſi pretium pro transmiſſis libris deſignare aut accipere recuſo.

Saluberrimum tuum agnoſco conſilium, quod de munere ambiendo & accipiendo mihi dediſti. Jam antequam litteras tuas acceperam, res meæ in eo hic fuerunt, ut de certitudine obtinendi muneris Profeſſoris Anatomiæ, nil niſi Regis, ad litteras Præſidis noſtri de Maupertuis reſponſionem ac declarationem expectarem, utpote quæ optante Præſide æque ac ardente, munus mihi ſimul cum ſalario dabit; ſin vero minus, certiorem tamen me reddit, utque ad alia munera oblata accipienda aptiorem. Simul ac certi quid ſcio, id quod hac ſeptimana futurum ſpero, Te ejus certiorem reddere non negligam.

Inſignis tuus eſt favor, Optime Præceptor, ſi munere Profeſſoris Göttingæ me condecorare Hannoveræ dignabuntur. Attamen ſi id, quod tumor Göttingæ fert, & cujus me litteræ inde allatæ certiorem reddiderunt, fieri poterit aut eveniet;

niet; Te nempe a Rege Prussiæ eximio ornatum ac splendido munere Berolinum aditurum: nil certe erit quo magis lætabor, neque quod felicius mihi aut magis exoptatum contingere queat, quam si tuo præsens favore ac humore frui, tuisque sub auspiciis ac tua sub directione degere ac munere fungi potero. Det Dominus ut omnia eveniant feliciter. Sunt autem illæ... obss. de arcus aortæ ramis, de arteria thyroide singulari ac de vicinis ramis ad Acad. nostram datæ, figuris additis, quas adumbratas delineavi. Primo ortum Carotidis sinistræ ex aortæ arcu, trunco communi cum subclavia dextra nulli unquam visum dicit; id quod bis se observasse affirmat; cum tamen Cantius impet. anat. Tab. IV. idem delineaverit. II.) Tanquam singularem ac nunquam ulli visam magni momenti observationem ortum aortæ vertebralis ex ramo arcus aortæ E. & subclaviæ G. tradit, ac nulli unquam observatum dicit, quod arteria vertebralis prope sextam vel quintam vertebram colli demum canalem suum ingrediatur, qui per processus vertebrarum transversos ad caput eam ducit. III.) Arteriolam dicit plane non visam ex anteriori arcus aortæ parte ortam g. quam ad thymum & musculos sternothyreo- & hyoideos distribui dicit: sed præter Ruyschium, qui eandem jam observatam depinxit, Tu ejus mentionem fecisti, & ego eandem bis observavi ad bronchia potius abeuntem, minime vero ad thymum vel musculos dictos, a quibus nimis abesse videtur. W. Thymicam arteriolam sinistram se semel a thyrroidea superiori observasse profert, quod nisi

nisi tenuissimus fuerit ramulus, non videtur omnino certum. V.) Arteriam observavit thyreoideam, bis dicit Göttingæ ter.. se vidisse (e. & f. in fig.) Quæ non est alia, nisi thyroidea ex carotide communi aut innominato subclaviæ & carotidis dextræ trunco orta, quod rarissime fieri & Tu Optime Præceptor in Programm. de arteria thyreoid. inferiori & in Comment. Boerhaav. Vol. II. p. 341. nota g. annotasti. Hanc vero arteriam aliquoties, uti asserit, a se observatam & rarissimam, tertiam thyreoideam infimam arteriam nominari vult; sed non inveniet, qui rarissimam structuram, forte ab ipso nequidem visam, peculiari nomine insignire fas putaverint, cum non nisi exceptio sit a vulgari structura, quæ ubivis in corpore interdum occurrunt; neque credo vidisse illum hanc varietatem Göttingæ, quippe Te latere non potuisset, qui tamen in Commentariis Boerhaavianis asseris, nunquam hanc reperisse structuram. Non ergo apparet, quæ harum observationum sit dignitas, quarum nulla neque utilitas neque novitas est. Assensum tuum, si meum merebitur de illis judicium habebo, quo tanto confidentius Præsidi & Academiæ rationem reddere possem. Non enim dignæ videntur esse, quæ inserantur collectaneis academicis, tantum abest, ut speciminis loco de eruditione sua sive scientia eximia anatomica, testari, atque locum illi inter membra anatomica conciliare queant, in quem valde adspirat, imprimis postquam tuam receptionem vidit. Eundem in finem tractatum de monstris miserat, nulli comprobatum. Nova

alia nunc non ſuppetunt. Plurimum Te ſalutat Præſes de Maupertuis, & Pottius, qui Keſſelium eo adegit, ut in præfatione Tomi ſecundi fateri promiſerit, ſe ad Chymiam perfectiorem reddendam Pottii uſum eſſe ſcriptis ac lectionibus chymicis. Officioſiſſime Te etiam ſalutat Optimus Sprœgelius, ſe filiumque ſuum de meliori Tibi commendans. Mihi vero, ut & porro faveas enixe rogo, qui nunquam eſſe deſinam Tui deditiſſimus.

A. Aorta e corde egreſſa.
B. - - - deſcendens.
C. Arteria innominata.
D. --- Carotis ſiniſtra.
E. Vertebralis ſiniſtra prior, Aortæ ſoboles.
F. Subclavia.
G. Vertebralis altera ejusdem lateris, ſubclaviæ ſoboles.
H. Concurſus utriusque arteriæ vertebralis in unum foramen ſuum mox ſubeuntis.
I. Arteria thyroidea inferior.
K. Ramus ejus in muſcularem a. atque in mammarium b. fiſſus.
L. Art. intercoſtal. ſuperior.
M. Cervicalis poſtica, profunde incedens.
N. Carotis dextra.
O. Subclavia.
P. Vertebralis.
Q. Thyroidea inferior.
R. Cervicalis antica, alte adſcendens.
S. Mammaria.

T. Trun-

T. Trunculus communis cervicalis posticæ & intercostalis superioris.
U. Arteriolæ musculares e subclavia dimissæ.
e. Arteria thyroidea infima ex alio cadavere in hanc figuram delata & hinc punctata.
f. Eadem arteria ex innominato trunco.
g. Thymicæ.

448.

J. F. MECKEL.

Difficillimam tuam dimissionem fore, facile ex amore & benevolentia Regis & Mæcenatis Münchhausii erga Te judicavi, dolet repulsam Maupertuis & omnes boni cum eo, qui præsentiam tuam valde exoptarunt; sed forte præsenti Tibi magis displicuissent, quam placuissent, aulicæ machinationes ac turbæ, a quibus mens sincera ac insueta facile abhorret. Mihi certe magnæ fuisset felicitatis omen, si tua sub directione hic degere contigisset. Sed æque nunc, quo es in me paterno ac benevolo animo, felicitati huic meæ consulere studes, dum in Professione Göttingensi mihi conferenda allaboras; & hoc favoris tui insignis & amoris tantum testimonium, quod summa pietate ac gratissima mente, dum vivam, agnoscere non desinam. Prius si hæc mihi spes fuisset, omnibus eam reliquis oblatis muneribus certe prætulissem. Sed nunc forsan, cum apud Regem res mea est, difficillimum posset esse dimissionem obtinere, si oblato mihi hic

Professoris munere, Göttingam demum favore tuo advocatus fuerim. Plane autem tranquillus Regis exspecto responsionem ad litteras Dni. de Maupertuis de conferendo mihi Professoris munere. Sin prius obtinuero hoc, quam de professione Göttingensi certitudinem, Te illico ejus certiorem reddere non negligam: si vero benevolo tuo, de professione Göttingensi mihi conferenda, desiderio ac propositioni ministerium Hannoveranum responderit; rogo, velis Præsidem nostrum de Maupertuis ejus certiorem reddere; aut enim hæ tuæ litteræ, si confecta res mea hic nondum erit, veniam mihi, cum gratia Præsidis, hinc discendi dabunt, aut si confecta res mea & a Rege confirmata jam fuerit, plurimum felicitatem, salarium ac æstimationem meam augebunt, si Regis litteras tuas de oblato mihi Göttingensi munere Præses monstraverit. Vides ergo optime ac humanissime Præceptor, quam sis felicitatis meæ ac fortunæ auctor, sis etiam pro tuo in Te amore & pro mea in Te fiducia ac pietate ejus perfector, enixe rogo; pietate me Tibi devinctissimum pro tantis beneficiis æternum habebis discipulum ac cultorem. Felicem rerum mearum ac spei eventum valde nunc exopto, quoniam incertitudo atque mora hæc impedimento mihi est summo, quominus omnibus viribus anatomen exercere & docere hic possim, quam, obnitente invidia ac inurbanitate indocti .... nonnisi domi in usus meos exerceo. Præter munus professionis Giessensis mei causa adhuc in suspenso est, quippe responsionem meam exspectant, quam negativam

vam dare non possum, donec aliud mihi oblatum munus justæ excusationi ac repulsæ inservire poterit.

Berolini d. 10. Febr. 1750.

449.

J. C. RAMSPECK.

Stæhelini nostri status ac conditio plane deplorata imo desperata est, quum præter plenariam partium inferiorum paralysin, urinæ incontinentiam &c. omnem plane rationis usum nunc etiam amiserit, ita ut rerum extra se neutiquam conscius, prorsus stupidus vix ac ne vix amicos suos ac cognatos agnoscat, multo minus legere, scribere ratiocinari valeat, quapropter ab Amplissi. Senatu Academico propediem Professor Vicarius Physices eligetur. Tristis sane conditio Viri tam multiplici eruditione instructi; ad hæc accedit mala adhuc res angusta domi; hæc quoque ratio est, quod uxor ejus cum cognatis a me petiit, ut ad Te Præceptor Colendissime! scriberem, Teque ea qua par est observantia rogarem, velis icones eas fungorum, quas ante biennium fere a Stæhelino missas accepisti, vel pro modico pretio, quod pro lubitu tuo ipse statuere potes, vel pro commodo tuo proximis nundinis Francofurt. huc remittere. (Remisi) Dabam Basileæ e Museo xv. Calend. Martias an. 1750.

 450.

450.

J. F. MECKEL.

Küstrino, quo Professoris Sprœgelii loco, ad nobilem visitandum ægrotum, aliquot dies abieram, redux: non absque gaudio Regis inveni ad supplicationem meam per Maupertium, uti nosti ad obtinendam anatomicam professionem datam, clementissimam responsionem, qua munus mihi Professoris anatomiæ secundi, cum omnibus privilegiis & salario 400. Imper. gratiosissime contulit, cum jam antea, decima nempe Februarii, jussu Regis Maupertuis ex me quæsivisse, numne adhuc liber essem, ad munus hoc accipiendum; quo affirmato (quippe de Göttingensi tum temporis nondum certus gratissimo munere de hoc desistere non poteram) confestim jussum ad munus mihi cum salario & juribus ac prærogativis iisdem, quibus Cassebohmius gavisus fuerat, conferendum dedit. Sed valde hoc meum interruperunt gaudium litteræ tuæ gratissimæ Optime Præceptor, quibus mihi clementem Mæcenatis Munchhausii denuncias voluntatem; jam in alius potestate voluntatem meam esse perspiciens. Attamen non potui, quin Præsidem de Maupertuis hujus muneris præstantiam ob oculos ponens, rogarem, licitumne foret illud oblatum accipere: sed mox indignabundus paullulum respondit, iniquum fore, si a proposito meo ac promisso, quod de accipiendo munere interrogatus dederim, recedere vellem, & facile me comperiri posse, quam periculosum sit

ſit Regi illudere, qui optime cupiens, me munere jam primum ornaverit. Certiſſimum me de Regis gratia & de ſui ipſius amicitia eſſe poſſe, omniaque ſe ad felicitatem meam augendam peracturum, quæcunque neceſſaria vel ad vitæ ſuſtentationem vel muneris amplificationem forent; eademque Ellerus mihi reiterato dixit. Quare cum periculoſam valde dimiſſionis meæ petitionem æque ac abitum ipſum perſpexerim, ab amicis admonitus, ulterius monere deſii, ſatis bene percipiens, quam facile his clementiam Regis in me lædere poſſem, qui ob eandem Tibi a Rege Angliæ denegatam ira jam primum paullulum exarſit, & difficillime diſceſſui meo in eandem regionem primis annis gratioſe annuet.

Etenim & illud, quod hic, Deo ita jubente, ſubeo munus Tibi debeo, qui præceptis tuis ſaluberrimis me aptum reddidiſti ad illud ſuſcipiendum; Te admonente ac ſuadente & Maupertuſius & Ellerus omnibus viribus in eo allaborarunt, ut hic ad excolendam anatomiam degerem; Tibi aliquando omnes, qui ex hoc munere & in me & in alios redundabunt fructus debentur, id quod quavis occaſione data gratiſſima mente profitebor. Valde gaudet meam hic commorationem & Præſes de Maupertuis & Ellerus, & fauſta quæcunque & augurantur, & pro viribus ſuis me adjuvare promittunt. Tuo, Præceptor Optime, conſilio quæ agenda mihi ſunt agam, ut bene ſit acta.

Quod autem ad ipſam profeſſionem attinet, eadem mihi cum Buddeo ſunt jura, niſi quod hic

primus ſit Profeſſor, ego vero ſecundus: cum eo æqualis mihi eſt anatomicorum redituum paratis, ita ut cum ſalario ad minimum 800. Imper. per annum colligere queam, non annumerato lucro ex collegiis privatis, quæ hic copioſe frequentantur & bene ſolvuntur, faciendo. Præterea primum vacuum in Academia regia ſcientiarum ſalarium Præſes mihi promiſit; interim vero quod ſalario hoc deſtituor, quævis prælectiones ſingulatim ſolvuntur, ut minimum 50. Imper. pro una ex liberalitate Præſidis accipiam. Publicas lectiones in theatro anatomico quater de hebdomade habendas habeo, reliquum vero nullas, niſi quas placet privatas. Contentus hic degam, quamprimum tuæ in me durantis benevolentiæ ac amoris certus ero. Berolini d. 24. Febr. 1750.

451.

JOHANNES DE GORTER,

Tuæ ad me datæ litteræ per Bibliopolam Wetſtein ad me pervenerunt; ut ſatisfacerem petitioni tuæ libros præcipue chirurgicos belgica lingua deſcriptos in catalogum conjeci, quem mitto. Doleo me tam paucos mittere poſſe, & inter iſtos vix ullum alicujus momenti, quoniam omnes Profeſſores & Doctores medicinæ, ſi quid in lucem edunt, raro in vernacula lingua aliquid deſcribunt. Quæ a Chirurgis eduntur, quoniam in hac Republica nullus eſt, qui publice Chirurgiam docet, tam parvi momenti ſunt, ut legi vix mereantur,

reantur. Inter illos excellunt J. Palfyn, qui Tibi notus eſt. Uylhoorn Chirurgus commentaria quædam non repudianda operibus chirurgicis Heiſteri adjecit. Grashuis Med. Doct. quidquid edidit legi meretur. J. D. Schlichting Med. Doct. Amſt. nimis frequentes lites movet, alios nimis acriter exagitat, præcipue Chirurgos Amſtelodamenſes, quare multa in ejus ſcriptis continentur, quæ ad Chirurgiam non pertinent. A. Titſing Chirurgus empiricus nihil niſi calumnias in lucem edit. M. Ramus, Du Pui, R. Roukema, nihil ſcribunt niſi quod centies antea ſcriptum ſit. Reliqui fere omnes ſunt obſoleti Autores, galenica & veterum dogmata crepantes.

Dabam Hardervici d. 11. Martii 1750.

452.

J. F. MECKEL.

Filius eſt Profeſſoris Chirurgiæ Pallas, honoratiſſimi Collegæ mei, qui litteras has Tibi tradit, Göttingam me perſuadente ad Te abiens, ut ex ſaluberrimis & eruditiſſimis præceptis tuis, & ex favore ac benevola amicitia tua eos reportaret fructus, quos immenſos eſſe, diligentes tui olim diſcipuli non ſine gratiſſima recordatione percipiunt. Eſt hic juvenis optimæ ſpei, quem per breve temporis ſpatium diligentiſſimum habui autorem morumque integritate pariter ſeſe ſummopere commendavit, ut diligentiam & in Præceptores pieta-

pietatem ac probitatem de ſe promittat. Rogo itaque velis hunc imprimis tuo favore ac benevolentia dignari, ſtudiorumque ſuorum moderatorem illi benevole præbere.

Diſtulit reſponſionem meam debitam ad gratiſſimas litteras tuas laboris, in brevi adhuc temporis anatomiæ faventis ſpatio, nimia accumulatio, quippe poſt factam ante quatuor ſeptimanas ſolennem a Directore Ellero introductionem meam, nondum hac hyeme a Pr. Buddeo monſtrata integra nervorum doctrina publice mihi explicanda ac demonſtranda reſtat, cum plurimis & integra fere viſcerum hiſtoria. His vero obſervationes meas neurologicas jungo, quas de nervi duri ramis colligo, ad figuram & deſcriptionem primi ſtrati nervorum faciei tradendam, ut ne diebus quidem feſtis vacare potuerim, imprimis cum tempeſtas botanico magis quam anatomico ſtudio faveat. In nervo duro duas cum ramo linguali & laryngeo octavi paris reperi anaſtomoſes, aliam inferiorem ante biventris poſteriorem ventrem deſcendentem in nervum lingualem octavi, aliam vero ſuperiorem intra foramen jugulare cum trunco lingualis & laryngei ex octavo; & aliquoties anaſtomoſin octavi cum ganglio cervicali medio nervi intercoſtalis inveni. Repletiſſima eſt hæc nervorum faciei figura, & ob multitudinem nervorum & anaſtomoſium difficillima.

Taylorus nondum huc venit, Lipſiæ diutius commoratus. Pluribus amavroſi laborantibus, per

per litteras, viſum ſeſe redditurum promiſit, quod nimium videtur. Attamen magnam nummorum copiam hic colligere poterit, Hilmero quippe & doctior & felicior.

Hallenſes perniencioſæ turbæ magnum ſtudioſorum numerum Göttingam adire facient, nullus enim unquam exterorum hanc Academiam adibit, ubi militi in ſtudioſos liberum ac crudele eſt imperium. Neque enim Præfectus militum, nec milites ipſi, ulla adfecti ſunt pœna, potius re quaſi bene geſta omni culpa liberati, Academia vero damnata eſt, quæ non turbis hiſce ac tumultui ſtudioſorum principio obſtiterit. Hujus rei cauſa eſt tardior, & plane non ſufficiens, tumultus ab Academiæ Profeſſoribus ad Regem data deſcriptio, milites vero de die in diem Regi geſta annuntiarunt, optima, quod cuilibet facile credibile eſt, addita geſtorum ſuorum defenſione. Univerſitas vero magnas querelas & lamentationes, absque perfecta & fida turbarum hiſtoria, Regi, finita demum omni crudelitate miſit, atque hinc ipſa etiam in culpa adverſi deciſi eſt. Vacuam exulantes reliquerunt ſtudioſi urbem, & ii qui his etiam in regionibus filios ſuos Halam mittere decreverant, conſilio mutato, crudelitati militum eos ſubjicere iniquum ducunt. Dolendi ſunt Profeſſores, ſtipendiis parvis conducti & nunc omni etiam lucro ex collegiis deſtituti. Ellerus cum illum conveniſſem, experimentum mihi dixit, in Actis Pariſienſibus deſcriptum; ubi in cane, aut pullo, ope acus in cranium defixæ cerebellum circumagi

cumagitatione acus plane destructum ac dissolutum fuerit, acu vero dein extracta canem absque ullis symptomatibus vel morte insecuta vivum conservatum fuisse ac educatum; nescio an hæc experientia vera sit? Sed idem fere fit in scirrhis cerebelli, qui vero semper fere lethales esse videntur, antequam tota ejus substantia destructa est.

Berolini d. 5. April. 1750.

453.

J. F. SCHREIBER.

Dudum adsuevi, in meliorem partem adcipere ea, quæ quam maxume mihi adversa cognovi: ut nihil mirer eventum, exspectationi contrarium, in re proposita facillimus fui in re, quam sciebam sic desituram, prout finiit. Interim Tibi, Vir Optume, gratias ago maxumas, pro novo tuæ in me benevolentiæ testimonio, quod non leve beneficium interpretor, quo me adficere voluisti. Futura Deo committam, præsentia mutare impos. Legi Senacum, multa bona in eo inveni: a crimine plagii nec ego ipsum absolverim: aliqua habet ex Browne Langrish, sine adlegatione. Abrahamus Kaau Boerhaave gravissimo morbo decubuit, sic, ut aliquoties fuerit morti proximus: nihilominus per Dei gratiam, jam restituitur. Fuit meus auditor Lipsiæ anno 1730. Libellus meus de Pestilentia hic imprimitur: eumque mittam, quamprimum potero.

Petropoli. 17 $\frac{21}{4}$ 50.

454.

454.

JOAN. FRID. MECKEL.

Neumanni Chymia ex editione Kesseliana adeo est compilata, ut nulla fere pars sit Neumanni; proximis meis litteris Potti animadversiones scriptas in hunc librum Tibi mittam; quippe qui valde cupit errorum & plagii Kesseliani patefactionem; omnia enim, præter Boerhaaviana, Pottii scripta in eam contulit ex Junkeri Chymia. . . . . . Professor Hallensis hujus Chymiæ compilator est, Kesselius vero nomen operi dat, cui plane impar est; neque enim ulla est medicinæ pars, quam mediocriter tantum calleat.

Dolet forsan Maupertusius noster repulsam tuam, ad quam Te coëgit Superiorum ingrata voluntas. Sed quamprimum redierit eum colloqui Tui causa non negligam; absens enim adhuc fuit. Avidus exspecto egregium tuum in usum Academiæ nostræ scriptum.

Figura nervorum faciei omnium & ramorum duri absoluta est & bene placet; difficillimum tam ob multitudinem nervorum fuit, tum ob diversa nervorum inter sese millies communicantium strata. In corde observationem habeo, ubi aortæ ad cor nulla est proportio, ita enim angusta est, ubi ex corde prodit, ut vix tertiam partem diametris arteriæ pulmonalis habeat, cor vero ex hac resistentia insigniter est dilatatum. Nescio an ejusmodi observationem alius quis dederit?

ægri

ægri ſymptomata & morbi & vitæ decurſum addam, ut & cauſa & effectus mali pateant.

Berolini d. 5. Martii 1750.

455.

J. F. SCHREIBER.

Vir Optume, quem nunc offero, libellum meum de Peſtilentia hic impreſſum, qui aliquantum differt a MSto, quod Göttingæ fuit. Æqui bonique ipſum conſules. Quodſi forte placuerit, ejus in veſtris novis publicis litterariis mentionem facere; rogo, ut ne nominetur is, cujus nomen ſuppreſſi in pag. 48. & alibi, propter rationes ſonticas; & quem noſti. Quid judicas, de Hydrargyro & medicamentis odoriferis, quæ paucis tetigi in Corollario 19. & Scholio 10.? Clariſſ. Abr. Kaau Boerhaave tandem recepit bonam valetudinem, poſt morbum omnium moleſtiſſimum, in quo bis fuit fere ſine ullo vitæ ſigno, præ frigore partium gelidiſſimus, & fere pro mortuo habitus. Hæc felix adverſæ & bonæ valetudinis commutatio ſummo gaudio ceſſit fratri, qui incredibilem curam diu noctuque impendit, ut ſervaret fratrem dilectiſſimum, qui in tribuendis animi & corporis dotibus naturam re vera fautricem habuit. Quid ais de Tayloro ſi placet perſcribere, in qua re ars ipſius ſine fallacia, conſiſtat? Mox dubitavi, ipſum a Göttingenſibus probatum iri, quum probe meminerim eorum, quæ

ante

ante plures annos de eo in Helvetia ſcripſeras. Quæ in novis publicis leguntur, adſcripta Dom. le Dran, de portione plumbi in veſica urinæ ope mercurii vivi in hanc immiſſi, fluxili facta, ſicque denique e corpore expulſa, an ſatis vera ſunt? Et ſi vera ſunt, annon in aliquo ſcripto ab ipſo Dom. le Dran cum publico, prout rei dignitas poſcit, communicata? Legi in Actis Pariſinis A°. 1740. Chirurgum ad depellendum uncialem argenteum, faucibus puellæ inhærentem, uſum fuiſſe magna vi hydrargyri; unde haud tantum detruſus fuit numus, ſed & effluxit cum hydrargyro argentum verum, numo nullum ſui indicium usquam exhibente. Unde concluſerunt, partem numi cum hydrargyro in amalgame coiviſſe. Diſquiſitione academica digniſſimus labor foret *de uſu amalgamatum in corpore humano.*

D. Petropoli 1750. d. 12. Maji.

456.

J. G. GMELIN.

Quod valeas, gratulor & impenſe gaudeo. Ventriculo reſtituto famem poteris levare impune, eo usque patientia opus eſt; ſuaderem circa prandii aut cœnæ tempus parciorem uſum liquoris alicujus ſpirituoſi, cujus uſu pinguia facilius feruntur. Ruſſica dicas fercula. Ne vero credas, me iis delectari. Ex anno enim 1743. quo egreſſus ſum Sibiria, nec guttam liquoris ſpirituoſi hauſi, quod ſciam. Sed ventriculus mihi, quæ

quæ Dei gratia eſt, contigit optime concoquens, nec ab ullo cibo abhorrens. Wallerium proxime habebo, uti ex litteris Lipſia acceptis intelligo. Ideo tua hac in re ope non amplius egeo. Miſi plantam ſiccam ſimillimam Clematitidi cirrhiferæ per omnia, niſi quod cirrhis illis careat. Ex ſemine americano Collinſoniano elata eſt. A Clematitide tam hæc quam cirrhifera in hoc differt, quod calice bifolio prædita ſit, ex quo ſurgit columna, receptaculo fructificationis ea extremitate inſtructa. Volui judicium tuum expetere, ſed forte non animadvertiſti plantas. Si forte adhuc invenies, aut in memoriam revocabis, ſcribe, quæſo, quid de illa Tibi videatur. Mauchartus 1. Maji faſces rectorales ponens orationem habuit de Tayloro, quam imprimi curavit, quam etiam miſi ad Aſchium & rogavi, ut Tecum communicaret. Dixit etiam coram, quod viderit Te in illum animadvertiſſe ratione ſacci hernialis, quod de muſculis abdominis tendines immiſceri ex tua obſervatione non conſtet. Teſtatur ſe reverenter hæc habere, tuasque obſervationes magni facere, & curaturum, ut conferat, quæ ſcripſiſti, cum illis, quæ olim ſcripſit, ad quod tempus ſibi adhuc non ſuppetierit. Icones Fuchſianas Bibliothecæ luſtravi. Sunt omnes ea forma, qua icones libri germanici in folio, ligno fagino, nitide cum calamo ſcriptorio, uti videtur, inſcriptæ, nec vero ulla icon reſpondet iis, quæ typis jam impreſſæ ſunt. 1. Braſſica ſativa criſpa, ex majoribus foliis alia minora producens, altera, 2. Viola martia. 3. Polygonum fœmina. Hippuris Linn. 4. Artemiſia

temisia tenuifolia. 5. Colocynthis. Pyriformis major, oblonga, glabra, ex luteo pallida: pyriformis media: pyriformis minima, oblonga, candida. Soli sunt fructus, sine flore aut folio. Nomina adscripta sunt ab ipso Fuchsio. 6. Rhamnus quintus, & ita porro. Si reliquarum in nomina desideras, communicabo. Valet uxor, valet filius. Plurima Te salute impertiunt. d. 18. Maji 1750.

457.

J. G. GMELIN.

Linariam ex Baschkirorum regione habemus foliis cumosis, linearibus, floribus striatis, minimis. De hac mihi Martini Stutgardia scribit, se ante quatuor annos ejus semina terræ mandasse, & excrevisse inde plantam nativæ simillimam, hanc semine hucusque seipsam propagasse, hoc anno autem florem infimum unius caulis similem fuisse flori peloriæ, cum quinque nectariis. Ergo manebit peloria flos monstrosus. Reliqui enim fuerunt flores linariæ. Annon Tibi aliquid notum est de instrumentis Taylorii, qualia sint, quibuscum operationes suas ocularias perficit? Aspice quæso inclusam hic plantam, quam pro Cotino habeo. Sed quare auctores pentapetalum & pentastemonem & tristilum vocant. Ego in tota arbore & in omnibus floribus quatuor petala, quatuor stamina, & unum tantum stilum s. potius stigma video. D. 29. Jun. 1750.

458.

D. LUDWIG.

Scrophularias examinando, eas in binas familias secedere video, quarum una flore aperto est a Linnæo in generibus descripta, hæc vestigium quinti staminis habet, quod loco antheræ laminam ostendit sub labio superiore ascendentem: altera familia flore clauso est, & binas species habet mihi cognitas urticæ fol. fl. luteo annuam, & eam quam Cannabis folio Tournef. in Coroll. habet, quæ nunc in horto floret, & disquisitioni occasionem dedit. Videtur mihi hæc floris differentia specifica nomina in Scrophulariis facilitare. Sexus plantarum mirifice ludit. Clutiam habui marem & fœminam. Post unius alteriusque anni progressum fœminas tantum vidi, mittunt Berolino ramos masculæ plantæ, vidi flores & examinavi, notas apposui, sed in ipsis his plantis hoc anno fœminas solas observo. Drymopogon plantam marem ostendebat in horto, exoptavi fœminam, quam in montosis Saxoniæ observaveram, anno 1748. ipsa planta mas fœminas simul producebat, 1749. nullum fructum vidi in planta egregie florente, quæ fœminas præcedenti anno exhibuerat, hoc anno iterum deficiunt fœminæ, nisi rami serius florentes easdem producant. Spinacia flores mares & fœminas producit in distinctis plantis: ipso hoc anno in planta copiosius culta observo ramos masculos, & fœmineos distinctos in una eademque planta, & in ipsa hac planta quoque conspicio

ſpicio flores fœmininos & maſculos mixtos. Et ſpecierum varietates notatu dignæ ſunt. Horminum coma pendula nitida planta in uno loco faciem priſtinam ſervavit, in altero ſpicis erectis habita longe alio flores & ſemina perfecit. Vale interim.

Dabam Lipſiæ d. 3. Julii 1750.

459.

J. F. MECKEL.

Neumanni tertiam partem & corrigenda trium partium ſatis numeroſa Tibi mitto; in quibus corrigendis ridicula ſane ratione Keſſelius græcæ linguæ ignorantiam prodit, dum columna prima errorem græci verbi φλογιστον corrigens, bis omiſit, itaque corrigenda corrigendis addere neceſſe erit. Reliquam tuam in Göttingenſibus novellis recenſionem valde probat Pottius, plurimum Te ſalutans. Addit ſequentia: in Part. I. pag. 295. terras gypſeas inter vitreſcibiles, & vice verſa vitreſcibiles inter gypſeas Keſſelius peſſime numerat, male ordinemCl. Potti in lithogeognoſia datum turbans ac invertens. Pag. 309. acidum ſuccum citri porphyrum ſolvere docet, quod minime verum. P. 353. camphoram dicit in ſpiritu nitri liquefieri absque ſolutione, ut aquam, cum tamen is ſpiritus corroſivum acidum ſuum amittat, & ol. camphoræ dein argentum ſolvat, & alia metalla. Pag. 380. dicit Zincum & bismutum mer-

curii ope amalgamari non posse, id quod tamen facillime fit. Praeterea libros citavit, qui Neumanno vivente nondum prodierant, e. gr. pag. 448. Crameri Docimasiam, quae longe ab obitu Neumanni prodiit. Pag. 436. Histoire de l'Academie françoise Tomum, qui longe post demum editus est. Inventiones praeterea Stahlii ex Junkeri Chymia omnes sumsit & huic tribuit. Hac ratione ne minimum quidem Neumanno attribuendum, in prima Chymiae parte, inesse Pottius censet, sed omnia compilata ex aliis, secundam vero ac tertiam partem Neumanniana continere ac meliora hinc.

Angustia illa Aortae, cujus descriptionem dedi, minime ex ductu arterioso adhuc aperto est, sed integra arteria praeternaturaliter angustata, cordis actioni resistens, hoc dilatatum reddidit, & trementis pulsus causa fuit, dum cor nunquam evacuatum, continuo irritatum a sanguinis mole ad contractionem fuit.

Berolini d. 4. Julii 1750.

460.

NICOLAUS ROSEN.

Valetudini Regis nostri augustiss. inserviturus per 6. menses in aula commoratus sum. Jam Seren. Principi Fridericum Adolphum Principem die 7. Julii, favente lucina enixa, & ante & post puer-

puerperium ſedulus adſum. Certo ſcio meliora experturum fata D. D. Noreen, ſi patriæ redditus praxin exercere, & anatomen Stockholmiæ docere voluerit. Dn. Elf obſtetriciam artem & cum adplauſu ibidem publice jam docet. Vale Vir amiciſſime, ut, ſicuti cœpiſti, ſavere pergas.

Drottningholm d. 16. Julii ſt. v. 1750.

461.

JOH. GESNERUS.

Ex Abbatiscellanis Alpibus plurimæ & rariores alpinæ in noſtrum hortum translatæ ſunt, & in iis variæ Pediculares, Aretiæ, Cherleria, Drabæ & alia Draba foliis acaulibus trifidis floribus purpureis. Miſimus hortulanum noſtrum in Valleſiam, ut rariores inde plantas in hortum inferat.

Nummi pro Templo reformato (quod Göttingæ exſtrui lætum fuit intelligere) ſi a Reformatis Helvetis requirantur, litteræ ad Magn. Conſulem directis requiruntur, ut in comitiis Frauenfeldenſibus inter Legatos de ſumma deliberetur, quæ his temporibus valde mediocris concedi ſolet. Hoc tempore rebus noſtris præeſt Magnificentiſſ. Æſcherus, qui & tui & inſtituti hujus cauſa nil quicquam prætermitteret, quod ad rem facere poſſit. Sed ob magnum numerum harum ſollicitationum vix magnas ſummas largiuntur. Forte res melius agi poſſet, ſi Amplus Magiſtratus Bernenſis nobili exemplo noſtros homines ex-

 citaret,

citaret, ut hac ratione Bernenses & Tigurini separatim aliquid tribuerent. Neque dubito si privatis a Nob. Bernensi litteris Membro Senatûs interioris nostris commendaretur, quin largior donatio fiat. Tiguri d. 18. Julii 1750.

462.

J. G. GMELIN.

Gaudeo, quod redeas ad vinum, per longum adeo temporis spatium nauci habitum. Mihi ejus usus, non tamen nimius, adhuc placet. Salivam moves, dum læta quædam accidisse scribis. Fac quæso, ut pleno rivo fluat, & possim exsatiari vera voluptate, quæ ex prospera tua fortuna semper mihi consequitur. Gesnerus Tigurinus an Göttingæ fuit? Hillio credo me vix carere posse; sed quia audio illum verti in germanicam linguam, majori cum facilitate in hac intelligere potero. Non vidi Catalogum Holm. Januario hujus anni præfixum, sed ex inscriptione epistolæ tuæ conjectavi, Te non sine ratione titulis Membri Holmiani addere. Splanchni capitulum luteum in Sibiricis umbellatum est, ut purpureum; sed antequam in umbellam explicatur, in rubro figura visa est globosa, in luteo turbinata. Deinde Bryum ampullaceum foliis thymi pellucidis collo strictiore Dill. Musc. 343. Tab. XLIV. N°. 3. & forte & jam 4. & 5. pro eadem habeo planta. Linariæ foliis subulatis, Peloriæ superscriptæ matris, semen potero mittere. Si Peloria per semi-

na propagatur, nulla adhuc ſpes eſt theoriæ ad illam applicandæ. Putavi, Pentaphylloides fragariæ folio radicalia habere folia quinata. Si terna ſunt, non admodum illam curo. Dabam Tubingæ d. XIV. Aug. cIↃ IↃCC L.

463.

JO. B. MORGAGNUS.

Cum ſuperioris anni æſtatem in Patria traduxiſſem mea, huc redux circa Kalendas Novembris, tuum hic, Vir Illuſtris, faſciculum inveni. Epiſtolam, ſine qua erat, exſpectanti, ecce illa redditur Majo menſe, quem a Te ſcripta die 10. Februarii, faſciculum alterum in via eſſe, nunciabat. Hunc quoque dum expecto, ad menſem Auguſtum ventum eſt negligentia tabellariorum, apud quos hic delituit diu, donec nudius tertius de improviſo ad me domum attulere. Quanto gratiora fuerunt, quæ plurima uterque continebat faſciculus, tanto majores gratias ago liberalitati tuæ, tantoque magis pudet inopiæ librorum noſtræ, quæ non permiſit, niſi paucos libellos in parvum faſciculum ſuperiore menſe concludere, eosque fere omnes haud ſatis dignos qui ad Te mittantur, meas præſertim dico in Celſum, & Samonicum epiſtolas properanter ſex novis auctas; quanquam in ea, quæ nunc quarta eſt, aliquid tamen reperies boni, quippe cum uterque certum quendam Celſi locum, ad eundem modum interpretemur. Is faſciculus, tuo celeber-

rimo nomine inſcripto, ad Orellios Bergomum miſſus fuit, ut Tigurum ad Ottios tranſeat. Quod de valetudine mea peramanter quæris, gratias ago: ea quidem bona eſt; ſed vellem, tua quoque fuiſſet bona, ægreque tuli, quæ accidiſſe Tibi, ſignificaſti. Nunc autem ſpero, certe & Tui, & mei, & boni publici cauſa vehementer cupio, egregie Te iterum valere. Unum eſt, quod noſtris votis obſtet, tuus aſſiduus, &, niſi libri oſtenderent vel quos nunc miſiſti, incredibilis prorſus in ſtudiis labor: cui ſine detrimento nec firma iſta ætas, nec firmus iſte, quantum ex imagine tua, mihi quam gratiſſima, video, corporis habitus pares eſſe poſſint. Itaque, crede huic ſeni, Tui amantiſſimo, feſtinandum quidem, ſed lente feſtinandum eſt, ſi diutius vivere & plura perficere velimus. Pergrata fuerunt quæ ſignificaſti cœtera. Utinam Italia mihi parem nova in Anatomicis Tibi ſignificandi facultatem daret: ſed nihil niſi a Bertrando, ut ipſe ad me ſcripſit, apparari, nunc ſcio. Quo magis Tibi de tot ſolertibus diſcipulis gratulor; ſed multo ipſis magis de tanto Præceptore. Canani librum, quem ego tamdiu, & Tu adhuc quæris, rariſſimum eſſe, nimis certum eſt. Sed extat tamen etiam in Bibliotheca Regis Poloniæ, ut mihi Vir Eruditiſſimus Humaniſſimusque ejus Bibliothecarius coram, annis ſuperioribus confirmavit. Quod aliquam ejus recenſionem deſideras; nempe libellus eſt in 4. ut vocant, parvo, ex foliis ſex omnino conſtans, quæ tabellas continent 27. æneis typis impreſſas. Earum ſingulæ ſingulas habent figuras, omnes ad muſculos

musculos superioris dumtaxat artus attinentes. Ad latus vero tabellarum sua cujusque est explicatio. Longe autem liber ab ea perfectione abest, quæ tantæ raritati respondeat. Si plura forte, aut aliqua singulatim de musculo quopiam cupis, fac sciam: dabo operam, ut satisfaciam, quemadmodum & in aliis omnibus quæ Te velle novero, & ipse potero. Valetudinem tuam, Vir Illustris, cura diligenter; nihil hoc mihi facere gratius potes.

D. Pataviæ III. Idus Augusti cIↃ IↃCC L.

464.

J. C. RAMSPECK.

Tandem optimus Stæhelinus noster præterita septimana mortem cum vita commutavit, neque quod dolendum, ante obitum sanæ rationis usum recuperavit, lethargo quippe tandem superveniente, qui miseræ ejus prorsus vitæ finem imposuit. Ita Vir iste ob merita sua longæviori certe fato dignus, post peractam per biennium vitam vere miserabilem, aut, ut dicam, quod res est, postquam per anni fere jam spatium ob rationis usum ademtum vivere desiit, fatis tandem cessit. Ejus Bibliotheca tam impressorum, quam manuscriptorum librorum, herbarium vivum, icones, præparata Academica &c. auctione publica vendentur, quum ob nimias expensas lautiusque vitæ genus, quod defunctus agitavit, æs alienum magnum

G 5 con-

contraxerit. Ego futurus optimæ viduæ tutor omnium iſtarum rerum curam in me ſuſcipiam, quarum catalogus imprimetur, ejusque exemplar ad Te Vir Perilluſtris! opportuna occaſione transmittetur. Dabam raptim e Muſeo d. XV. Auguſti 1750.

465.

JOH. GESNERUS.

Clariſſ. Sulzerus Matheſeos Prof. Regius Berolinenſis per aliquot dies dum Patriam reviſit apud me vivit, & ſuavi ejus conſortio & recenſione plurimorum novorum plurimum delector. Itineris comes fuit ingenio poëtico imprimis celebris D. Klopſtok, qui amicitia Cl. Bodmeri & Breitingeri imp. utitur. Proxima ſeptimana Cl. Sulzerus Berolinum redibit, & iter ut puto per Göttingam faciet, & imprimis Tibi innoteſcere & commendari cupit. Cl. Sulzerus cum ſucceſſu experimenta Reaumuriana cum ovorum incubatione repetiit, & in multis emendavit, impr. commodam machinam conſtruxit, cujus ope per lampadis calorem foventur. Cl. Gronovius & podagra & hernia laborare ſe ſcribit; cœterum nil novi in Botanicis edidiſſe putem, quin ad me miſerit. Vale Vir Doctiſſ. cum nobiliſſ. Familia ab amicis omnibus & impr. conjuge mea plurimum ſalutatus. Iterum vale & ſave. Raptiſſime, Tiguri d. 22. Aug. 1750.

456.

J. F. MECKEL.

Præsidem de Maupertuis collocutus est amicissimus illi Dnus. Formey, sed eandem, quam ego, responsionem tulit. Non videtur mihi Ill. Præses ex seipso adeo inique cogitare, sed alium suspicor, qui fomitem rei addit, auctorem nempe *l'Homme machine* la Metrie; hic enim, uti est boni & justi inimicus, ita & nunquam nisi male de Te & ad Regem & ad Præsidem loquetur, cum quibus singulis fere diebus & adhuc convenit; & ante Lectoris Regii Dni. D'Arnaud adventum, quo tempore Vice-Lector fuit, occasio illi nunquam defuit. Displicuit enim huic homini æque de libro suo & frivola dedicatione judicium tuum. Præter Lectorem Regis D'Arnaud, discipulum Dni. Voltaire, ipse hic nunc ex Gallia advenit. Quatuor millia imperialium a Rege nostro, ad iter ex Francia huc percipiendum accepit, & nunc in eo est, ut hic Berolini vitam suam continuo degat, salario annuo 6000. Imperialium a Rege auctus, ad nulla negotia obstrictus, nisi ut præsente Rege cum eo sit, cum eo colloquatur. Invitatus fuit a Rege ad solemnia, quæ hic ob adventum Ducis Bairuthensis habita sunt, his vero finitis, Voltaire non abit sed permanet.

Berolini d. 1. Septembris 1750.

457.

467.

J. G. GMELIN.

Doleo vitam tuam flatulentam & infomnem, & corpus debile, viribus fractum. Fuge quæſo cereviſiæ potum, jube aquam, quam per diem bibes, decoquere ſummo mane, inter prandendum vero & cœnandum vinum adhibe in auxilium, bibendo aliquam exiguam partem puri vini, aquæ autem pauciſſimam vini partem immiſce. Nihil ſeminum Peloriæ accipies. Decerpſerat jam ramulum peloriferum Martinius, quum meas litteras de ſervando illo acciperet. Non longinque ab invicem vivimus. Tamen Tubingæ jam fere affixus hæreo. Pharnaceum notiſſimum mihi eſt. Ego enim ſolus in Sibiria obſervavi. Convenit exacte characteri Linnæano. Propter Corollæ defectum cum Polygonifolia confundi nequit, ut & propter fructum polyſpermum. Sevi pulchellæ plantæ ſemen hoc anno, ſed non exivit. Sed habui per aliquot annos Petropoli in olla. Stæhelini fatum doleo. Erat vero diu præviſum. Chenopodium, de quo ſcribis, inter Sibirica mea eſſe credo, ſed habui ego hucusque pro Blito. Comprehendetur in tertio Tomo, cujus apographum jam paro, ut Petropolin mittatur. Pro characteribus duarum Pentaphylloidis ſpecierum gratias ago maximas. Herbas mittam brevi, ſed non admodum multas collegi. Nimium diſtrahor aliis negotiis, tum etiam flora Sibirica. De ſecundo Tomo nihil adhuc vidi. Spero autem brevi litteras

teras Petropoli adhuc ſcriptis lætiores. Vale, Vir Illuſtris, & cum ſanitate vel tandem in gratiam redi. Dabam Tubingæ d. 30. Sept. 1750.

468.

ABR. KAAU BOERHAAVE.

Elapſi ſunt quatuor & ultra anni, quo tempore ſcilicet in colligendis ſarcinis iter ſuſcepturus huc verſus occupabar, ut ad Te miſſam diſſertationem de virtute nervorum, qui arterias laqueorum inſtar ambiunt, acceperim una cum addita conſcripta dedicatione, qua me, honore avunculi mei, inter amicos ſalutas. Par referendo huc uſque impar, occaſionem hanc arripio mittendi exemplar ſermonis, quem in Academia noſtra habui, die onomaſtico Auguſtæ. Simulque veram atque infucatam amicitiam offero: qui quantum Te tuosque labores indefeſſos facio, vix exprimere valeo verbis.

Optimus noſter Schreiberus, utriusque ſincerus amicus, peſſime laboravit peripneumonia: toties vena ſecta ſanguinem peſſime inflammatum, etiam poſt quartam ſeptimanam exhibuit, urina ſine ſedimento. Tuſſis in initio ſuffocativa, jam mitior, expectoratio facilior, phlegmata cocta, bona, ſine ullo ſanguine ſtriata, ſpem reconvaleſcentiæ nullam deponunt, quam brevi Tibi ipſum indicaturum, mecum omnes boni ſperant! Fruamur læte votis! Interim res tuas feliciter, & in

& in bonum reipublicæ medicæ, perage! Vale! & redama! Petropoli 28 Sept./9 Oct. 1750.

Quæ sermoni præfixa sunt, Cl. Fischeri Histor. & Eloquentiæ Professoris, non mea sunt.

469.

J. F. MECKEL.

Anatomen hic nuper juvenis habui, cui cordis ventriculus dexter laxissimus, sinister vero, habita ad alia subjecta proportione, nimis robustus erat, ac durissimus. Dum vixit, pulsu intermittente, rubore faciei, anxietatibus ac syncope ex levissimo motu continuo laboravit. Quæ etiam symptomata, dum variolis confluentibus laboraret, illum in febre interimerunt. Sed nullum internum viscus variolis obsitum inveni, quamvis in superficie corporis ne ullum quidem vacuum remanserit interstitium. Nunquam in partibus internis, etiam in pessime laborantibus variolosis, pustulas inveni, quod vulgare Boerhaavius tamen putat.

Die Jovis præteritæ septimanæ die 8. Octobris hora matutina XI. apoplectico morbo post febrim biliosam mortuus est Elsnerus, Theologiæ Doctor, Classis philologicæ Academiæ nostræ Director, Consiliarius ecclesiasticus & primarius Pastor ecclesiæ Parochialis reformatæ Berolinensis (quæ dicitur das neue reformirte Closter oder die

Parochial

Parochial Kirche) anno ætatis suæ 58. heri vero vespertino tempore sepultus fuit. Vir fuit tam elato animo, ut præter se nullum orbi terrarum inesse doctiorem putaverit. Nondum constat, quis locum ejus in Academia, quis ecclesiastica munera obtinebit.

Berolini die XIII. Octobr. MDCCL.

470.

D. LUDWIG.

Quæ Norimbergenses in Botanicis & reliqua Historia naturali præstant, omnino me delectant, sed nescio cur Trewius Vir eruditus, tam varia suscipiat. In opere Blackwelliano ei officia mea promisi, quoniam facillime & Bœhmerus & Bosius in Bibliotheca mea & citata & observationes educere possent, dedi etiam specimen, sed trimestre spatium transiit, & responsorias expecto. Si quid tua autoritas in Viro illo valet, moneas quæso, ut unum opus absolvat, antequam alterum incipiat. Si aliquod restat Tibi præstandum officium monens quæso & me porro ut soles, ama. Dabam Lipsiæ A. O. R. MDCCL. d. 17. Octobr.

471.

471.

J. F. SCHREIBER.

Revera atrociſſimo morbo laboravi pulmonum, tuſſe pertinaciſſima & continua, quæ nonnunquam & ſtigmata, ſtrias, ſputaque ſanguinea extorſit. Uno die, tribus vicibus, rejeci integras ramificationes, dum in aqua pura explicabantur. Hæ dum e trachea ad palatum molle pellerentur, huic ſingularem ſenſum imprimebant: unde eas adeſſe, licet adhuc in ore continerentur, præſciebam. Erant ſcilicet, inſtar cochleæ tortæ. Haud dubie fuit interna membrana tracheæ, ferina tuſſe ſejuncta. Non putaſſem, me ſuperſtitem fore. Adtamen necdum miſeriæ meæ finis eſt. Tuſſis noctu adhuc infeſtat: immo ante 8. dies adhuc ſanguinem mane reperi in ſcreatu. Deus ſcit, an ſim ſanitatem priſtinam adhuc recuperaturus. Vena mihi ſecta eſt decies intra has 9. hebdomadas. Opem tulerunt inſignes Medici, D. D. Smith, Grieve, Angli, & Ab. Kaaw Boerhaave: adceſſit denique Hermannus Kaaw Boerhaave, Auguſtæ Medicus Primarius, qui adhuc valetudinis meæ reddendæ curam gerit. Iterum venit in mentem tractatio de actione *aſperæ arteriæ in tuſſe*, & in genere de tuſſe; de qua recordor, Te ſcripſiſſe, quod *Senacus* ſpem fecerit tractationis, quam tamen non explevit. Quoties mihi vena ſecta fuit, toties ſanguis habuit corium, inflammationis, ut putatur, teſtem. Satis expertus ſum, non adeo firmo ſtare talo, quæ de ſanguine inflammato ſolent

lent conjectari ante lectos ægrorum. Inter alia & constanter usus sum sero lactis in illo morbo. Tu mentionem fecisti methodi illud parandi sine acido, ovis incoctis. Illud primo legeram in Commerc. Litt. 1732. ubi artificium hoc Camerario adscribitur. Semel mihi successit hæc ars: sed sæpenumero fefellit. Dein legi in tuis Commentariis, quod eadem arte serum lactis in patria tua parare soleant. Memini, me ante aliquot annos ea de re ad Te scripsisse, quo tempore respondere Tibi placuit, quod instante reditu tuo ad lares rem illam serio sis indagaturus. Nunc rogo, ut artificium illud, si calles, mihi, data occasione, communices. (Succedit) Scripsi D. III. Novembris st. vet. 1750. Petropoli.

472.

J. F. MECKEL.

Sanitatis tuæ, cujus adhuc superstitem aliquam infirmitatem doleo, perfectam opto, ac constantem spero restitutionem; nam præter intestinorum debilitatem ac vasorum in abdomine, non videtur subesse morbi alium fomitem, quem roborantibus remediis, in ventriculo non acescentibus ac fermentantibus, atque hinc continuato decocti chinæ usu, certe extinguere poteris. Nam robore vasorum abdominalium & viscerum aucto, neque bilis tanta erat alcalescentia. Pediluvia rarefactione sanguinis quidem ad somnum invitare poterunt, sed relaxando vasa nocere itidem pote-

runt; quare non crederem convenientem esse ac bonum eorum usum. Lactis & acidorum usus initio nullam quidem movet inquietudinem, sed dum fermentatione debilem ventriculum expandunt effectum edunt contrarium.

Berolini 10. Novembris 1750.

473.

JOH. GESNERUS.

Ill. Heisterus sua laude minime defraudandus est, quam jure in anatomia & medicina meruit, neque in Botanicis expertem se ostendit, quamvis ad eam sagacitatem mentis & ingenii acumen, quale in Linnæo deprehendo, accedere vix videatur.

Si ad Sauvagesium quædam mittenda habeas, commode Massilia mittere potero, ubi unus ex discipulis meis hoc tempore commoratur. Legi cum voluptate & fructu elegantem tuam in Buffonianum opus præfationem, quæ insolitum commendationis genus exhibet, quod non aliud authori huic magis conveniret. Editionem novam operis Parisiis accepi, quæ hoc anno impressa est. Lausannenses Londinensem Satyram contra Buffoni Systema animalculorum vel corpusculorum organicorum, ex quibus animalia formentur, *Lucina sine concubitu* gallice ediderunt. Idem argumentum de generatione nuperrime D. Gautier tabulis anatomicis nobis in peculiari opusculo prosecutus

ſecutus eſt, in quo animalium rudimenta ſemini maſculino tribuit, illis ſcil. ejus animalculis, quæ nudus oculus in ſemine aquæ immiſſo detegat, qua fide hæc ſcribat ipſe videat.

Nupere Archiatro noſtro allatus eſt fœtus humanus bicorporeus ſeptimeſtris fœminini in utroque ſexus, connatus ad ſternum & pectus, in quorum unoquoque omnia viſcera & ortus diſtincta ſunt; corda vero anteriori parte connata, ea tamen ex duobus diſtinctis cordibus formata, ut quatuor diſtinctos exhiberent ventriculos, duos dextros & duos ſiniſtros multo craſſiores. Accuratiorum anatomen nimia feſtinatio non permittebat. Ego ob negotia ſectioni non fui præſens.

Trewianas ſelectas plantas accepi, eas ſane pulcherrimas & rariores. Ex ejus inſtituto nunc prodit Hortus varietatum, ſplendidum ſed infinitum & minus utile opus. Vincit tamen Rœſelius & auctor Theſauri conchyliorum facile quotquot hactenus viderim, in tabularum elegantia.

Scripſi Tiguri d. 30. Nov. 1750.

474.

J. F. MECKEL.

Groſſius abiit, ſed res fuit, quæ ejus perſonam, non publica tangit. Non optime ſuo functum officio dicunt, parum equidem ad legationem ſubeundam natum, & paullo minus

 poli-

politicum, quam debuiſſet. Res ſe ſic habet: Æſtate elapſa Charlottenburgi cum Anglorum & Danorum legato fuit, Rege ibidem præſente. Rex adeſſe legatos illos priores Anglorum & Danorum compertus, inſcius ſimul adeſſe Groſſium, invitat eos ad prandium; Groſſius adſtans quærit, numne & ipſe ille invitatus a Rege fuerit. Reſpondetur quod non. Sed brevi poſt Rex comperitur, eum ſimul adeſſe, hinc quærit, ubi ſit, & invitari jubet: ſed Groſſius recuſat invitationem & iracundus Berolinum rediens, curſore extraordinario id ſibi opprobrio factum, in Ruſſiam ſcribit; & hanc ob cauſam nunc revocatus, abiit; ſuo ipſius forte damno, nam melius hic habuit quam habebit Petropoli. Cum eo Petropolin abiit Griſchow, membrum antea Academiæ noſtræ, qui clam & inſciis omnibus hinc diſcedere conatus, per octiduum juſſu Regis militum cuſtodiæ traditus fuit, hinc vero, ut pro lubitu ſuo diſcedat monitus, abiit, & ex numero academicorum membrorum deletus eſt, quod fallere & Regem & Præſidem voluerit. Is 800 Rubel quotannis habet, & 1600. Rubel pro iis quæ ſibi emit inſtrumentis, 200 Rubel vero ad iter faciendum. Non magnum ejus remanet deſiderium, præter enim quod ſibi ſimiles plurimos hic habeat, animo fuit nemini fido, in ſuperiores protervo, & omnes præ ſe contemnente.

Berolini die 8. Decembris 1750.

475.

475.

J. F. SCHREIBER.

Rectissime traditæ mihi sunt adceptissimæ Tuæ, d. 7. Decembris scriptæ, sed ægro. Etenim posteaquam nuperrimas meas ad Te ablegassem, uterque oculus insigniter diuque rubuit: & dein, opinor, propter usum frequentem corticis Peruviani, hæmorrhoidem cæcam grandem recepi, quam ante sensi nunquam, licet pater meus exin fistulam receperit, denique ei lethalem. Hirudines duæ adplicatæ animi deliquium bis effecerunt; & licet satis sanguinis inde effluxerit, adtamen remansit molestus tumor. Interea & Perillustris Hermannus Kaaw Boerhaave, propter gonagram pectus petentem, incidit in tussem valde convulsivam, contra quam ipse cum viris insignibus nihil intentatum relinquit, sed prout non sine ægritudine animi percipio, adhuc sat graviter laborat. Meum enim exitum vetat gelu vehemens. Multum lætatus sum de experimentis, quæ in vivis animalibus, puto canes nec non feles, suscepisti. Scribis, Te efficere haud potuisse, ut *animal tussiret, irritando nervum recurrentem, pulmonem, diaphragma, ventriculum, internam superficiem asperæ arteriæ: sed Te instituturum, ope fumorum sulphureorum:* sed quantum reminiscor experimenti *Browne Langrish upon Brutes*, & his fumis in tracheam immissis, animal non tussivit. Dubitari poterat, an feles & canes unquam patiantur tussem. Sed nonnemo adseruit mihi

 rem

rem de canibus, qui voluit vidiſſe canem peripneumonicum aliumque phtiſicum. Verum, ne dicam de equis propter caritatem experimenti, quos multum tuſſire, nemo ignorat; adtamen in ovibus res eſſet tentanda, quippe tuſſi multum obnoxiis: unde denominatio Germanorum: ein Schaafhuſten. Et ſupponamus, quod experimenta doceant, eſſe animalia ad tuſſem non perducenda: non parum lucis hauriemus exin, cur hæc vel illa animalia tuſſire haud queant, ut ſic intelligatur tuſſis ex non tuſſe. Dubitari poſſet, an crudelitas experimentorum inepta ad tuſſiendum reddere poſſet, animalia viva? Adtamen hæc non eſt actio voluntaria, ſed vitalis, prout quævis alia, a ſtimulo producta. Prout tuſſis differt a tuſſe, ſic mihi videtur, ſedem hujus in variis animalibus eſſe variam. Senac oſtendit, quod in tuſſe hominis fibræ anteriores diaphragmatis ſint in contractione, muſculis intercoſtalibus & abdominis tunc nihil agentibus. Sed in equo, qui multum & ſæpe diu tuſſit, uti per 12. annos equus Th. Lobb, diaphragma eſt nimis debile: & ventriculus ejus in tuſſi nihil poteſt, quoniam extra ditionem diaphragmatis ſitus eſt. Grata mihi erunt omnia, quæ circa hanc rem me docere non detrectabis: lubenter enim vellem aliqua in chartam de tuſſe conjicere, non tamen plane vulgaria, in honorem Medicorum, qui valetudinis meæ graviſſimæ curam haud detrectarant. Sed in quo ſitus eſt conſenſus inter verticem capitis, ſuturam coronalem, & tuſſem? C. Piſo habet, ſe hyeme illa loca capitis vix detegere, nec non alios

alios homines, ſine tuſſicula. Quoties homini aphono empl. de tacamahaca ad verticem capitis adplicabatur, toties vehementer tuſſivit Act. Nat. Curioſ. Vol. IV. Obſ. CXVI. Hinc & ibi, me judice, rectiſſime additur, quod vertex capitis ſit locus, ubi remedia contra tuſſim adplicari debent. Et Baglivi habet, quod tuſſiens aſthmatica non tuſſiverit, quoties verticem manu compreſſerit. Hoffmannus commendat contra tuſſim pulveres roborantes, aromaticos, capillis inſpergendos. Amabo, Vir Optume, effice, ut vertex capitis ſuturaque coronalis in vivis animalibus irritentur, tuſſis excitandæ ergo. Quis conſenſus inter tuſſim & teſtes? Hippocrates de humoribus: *Signa in tuſſibus, quæ ad teſtes* perveniunt. Et P. Martianus ad h. l. Ruſſel, qui de tabe glanduli legi meretur, qua lingua & ubi eſt impreſſus? Gaudeo, quod convaleſcas. Sed nunc ſcripſiſti, ope elixirii acidi Dippelii, quum in alia epiſtola incuſaveris inertiam bilis, quam per amara aufferre tunc tentabas.

Sedulitas tua incredibilis Te adſtringit ad inquirendum in vivis animalibus in ſedem irritabilitatis. Didiciſti eo ipſo paradoxa veriſſima: nullum ſenſum ineſſe tendinibus, perioſteis, capſulis articulationum, viſceribus, arteriis, venis &c. Sed ligamentis quis ineſt ſenſus, quo de multa ſolent narrari in Practica Medicorum? Quod tendinibus ille inſit ſenſus, qui eis adſcribi ſolet a Chirurgis, vix credibile eſt ei, qui perpendit, quomodo Wepferus tendines in vivis animalibus,

 ſine

ſine ullo malo omine, conſuit diſciſſos integre: ut & Schlichting, a qua ſententia neque abhorruit Cheſelden. De Perioſteis res dubia manſit.

Mentionem denique facis Profeſſionis ordinariæ medicæ Helmſtadienſis, quam obitus Gerike vacuam fecit: arbitratus, rem forte pro me, ſi placuerit, confici poſſe, immo conditiones, eam concernentes, ad me ſcriptas audiviſti. Pares gratias ſemper refero & ei, qui beneficia in me confert, & qui ea in me conferre ſerio intendit, hinc immortales Tibi ago, Vir Summe, pro novo benevoli tui in me animi documento. Id mihi credes, neminem, præter Te vel verbum ea de re ad me ſcripſiſſe. Nihil mireris. Adjungam, quæ mihi evenerint principio anni 1731. quum adhuc Lipſiæ degerem. Recipio litteras a Clariſſ. Wreeden, Anatomes Profeſſore Hannoverano, olim condiſcipulo Leidenſi, quibus mihi gratulabatur Profeſſionem ordinariam medicinæ Helmſtadienſem. Valde mirabar, me horum omnium ignariſſimum eſſe. Quid fit? Poſt aliquot dies aliæ litteræ mihi traduntur, ab eodem D. Wreeden exaratæ, quibus ſe haud parum adfligi teſtabatur, quod ſpes in vanum ceciderint, contraria ſuadente Ill. L. Heiſtero, unde D. Gerike Hala advocatus eſſet Helmſtadium, quem obiiſſe nunc audio. Tu vero perfecte vale in novo anno, quem jam es ingreſſus, cum generoſa tua Familia, mihique ſemper tamen optus. Dabam Petropoli ipſo die Nativitatis Servatoris anni 1750.

476.

476.

J. G. GMELIN.

Variis ex aliquo tempore diſtentus fui negotiis, quo minus ad Te litteras exararem, quod non ægre Te condonaturum ſpero. Doleo perpetuo perpetuas tuas ægritudines, & ut iis aliquando eripiaris, ex toto animo precor. Nimium forte litteris navas operam, nec nervis tuis ullam requiem concedis. Inducias age, iter inſtitue, ſed inſtitue ea ratione, ne nimium ex illo defatigeris. Litteræ condonabunt, nec eruditus orbis conqueretur, qui Te poſt ejusmodi brevem moram reviviſcentem & partus eximios poſt vitam inſtauratam edendos mirabitur. Nondum prorſus redii in gratiam cum Petropolitanis meis. Viſi ſunt adſpirare ad meliora, ſed quinque menſes effluxerunt, quod nullum ad ultimas propoſitiones, quæ erant æquiſſimæ & temperatiſſimæ, ſcilicet eorum votis magis, quam merebantur, congruæ, reſponſum dederunt. Exſpectabo adhuc duos menſes. Epocha hac effluxa, quando nullum reſponſum obtinuero, conſilium meum deliberatum iri, itinerarium Sibiricum evulgare, ſi quidem habebo, qui typis imprimat, & qui pro labore ſolvat. Aliquoties quidem ſcripſit de veſtro van den Hoek Aſchius, quod ille optet, ut ipſi ad imprimendum concedatur, nec defuturum illum, pro opera remunerationem largam exhibere. Jam audio illum eſſe mortuum. An forte alius quis id operis in ſe ſuſciperet apud

 vos?

vos? Si ejusmodi hominem noveris, rogo ut obiter tantum indices, quod ille pro unica plaga ſolvere vellet? Vellem in 4°. edere lingua germanica, & credo opus forte futurum eſſe 4. alphabetorum plus minus. Mauchartus plurima Te ſalute afficit, & valde lætatur de tuis erga ſe affectibus. Diſputationem aut diſputationes nullas a Te accepi; nullum enim vidi juvenem Berolinenſem. Valde ex aliquo tempore fluctuant res noſtræ. Iterum vale. Dabam Tubingæ, d. XXI. Decembr. cIↄ Iↄcc L.

477.

J. F. MECKEL.

Miram illam Galli le Cat adverſus me promulgatam defenſionem accepi ac legi. Repetito figuram ſuam inſpexi, inveni multo magis vitioſam, quam putavi, monſtroſa enim repræſentat omnes cerebri tres lobos, ſimul vero pontem varolii & arteriam baſilarem absque inverſione cerebelli, quod antea nequidem adverteram, exemtum enim cerebrum tum putabam. Id ergo quod antea omiſi, nunc publice indicabo, dabo baſeos cranii figuras, easque omnes partes in Academia noſtra demonſtrabo, quas ille indicavit, adhibita ejus figura, ut falſitatem demonſtrem. Monſtroſam nervi quinti paris delineationem, ex tua figura baſeos cranii, tradam & demonſtrabo, & falſitatem repetam originis nervi intercoſtalis x quinti primo intra receptaculum. Rogo vero, ut

ut hanc meam defenſionem tuo tuearis ac firmiorem reddas adſenſu, quem adnectere defenſioni meæ ex primis duco, quod ſummum addat robur. Non enim absque publico damno ſilentio potero ejus præterire impudentiam.

Legere, ex juſſu Præſidis noſtri in publico Academiæ conventu, qui 28. Jan. eſt, conſtitui, & id quidem de nervorum capitis & faciei primo ſtrato, ubi duri ramorum & cum quinto anaſtomoſium perfectam dabo figuram. Rarus hic eſt honos, qui nonniſi Directoribus aut Præſidi conceſſus fuit, in præſentia Principum lectionem habere, ſed favore Præſidis ad hoc faciendum invitatus ſum.

In anatomia raram habui renis in ſiniſtro latere deficientis obſervationem. Ejus loco glandula renalis magna, integra ſua figura, & ſub ea corpus quoddam glanduloſum parvum, adipe renali involutum, ex quo ductus cœcus ureteris loco in pelvim deſcendebat, qui in ſinus veſicæ ſiniſtri membranas deſinebat fibroſus. In pelvi renis dextri magnus erat calculus hanc plane replens. Non novi ſimilem obſervationem, certe nullam ejusmodi præternaturalis ſtructuræ repræſentationem; rogo autem, ſi Tibi talis nota fuerit, velis pro ea qua es bonitate, diſcipuli tui imperitiæ ſuccurrere.

Berolini die 29. Decembr. 1750.

478.

JO. STEPH. BERNARD.

Cum nuper lustrarem Vir Illustrissime plagulam cultissimorum tuorum in Boerhaavii Methodum discendi artem medicam commentariorum, quibus brevi salutaris artis copias augebis, summa cum voluptate intellexi, strenue Te pergere in eruendis magni Viri reliquis scriptis, Teque id præcipue nunc agere, ut ejus consultationes & auctiores & emendatiores medicis in manus tradas. Non collaudo solum proboque tuam pietatem erga Præceptorem, verum etiam demiror insigne tuum studium, quo medicæ rei porro prodesse niteris, idque omni modo velim promotum. Non putavi vero me Tibi Vir Illustrissime rem ingratam facturum esse, si Tibi indicarem, delitescere penes me apographum variarum consultationum Magni Boerhaavii, quod olim cum Leidæ hærerem pretio meum feci. Nactus sum illud ab Anglo quodam, qui, ut vitam toleraret, operam suam dabat describendis collegiis. Rudis præterea erat homo omnium linguarum, vernaculæ tantum peritus, quam optime & eleganter callebat, ut adseverabant amici Angli, unde facile colligere poteris, apographum meum vitiis scatere. Verum cum & alia vix ab his vitiis libera fore suspicer, operæ pretium fore judicavi, ut singula inter se curiose conferrentur, quo vero Boerhaavii manus tandem detegatur. Non dubitavi idcirco Vir Illustrissime per litteras Te compellare

pellare Tibique codicis mei utcunque etiam erroribus fœdi usum obferre, ac mihi hoc pacto aditum ad tuam amicitiam patefacere, quam ut mihi blandior præ singulari tua facilitate, jam mihi non negabis. Dabo autem operam, ut, quamprimum Te illo uti cupere rescivero, protinus ad Te deferatur opera Nob. Wetsteinii, qui eam non recusabit. Eventibus caret apographum meum, sed nomina exhibet tum ægrorum, qui Boerhaavii opem implorarunt, tum medicorum, qui morborum historias ad Virum summum perscripsere. Consultationes anglico vel gallico vel etiam latino sermone exaratæ sunt, quibus adjeci consilium, quod dederat olim Boerhaavius V. D. Ministro, qui vertigine & motibus convulsivis tentabatur, unde pristinæ sanitati fuit restitutus, & forte adhuc in vivis est. Neque hoc quamvis molis perexiguæ a vitiis est immune, cum juvenis id descripserim juxta apographum amici erroribus itidem scatens. Poteris tamen Tu facili negotio formulas in integrum restituere, cum easdem & alibi ægris suis propinaverit Boerhaavius. Cum prodiissent Hagæ Comitum nonnullæ summi Viri consultationes, contuli protinus codicem meum cum editis illis, unde mihi patuit, insignem equidem partem editam esse illarum, quas penes me servabam, verum & aliis nondum editis apographum meum esse auctius. Ad manus mihi jam non est liber editus, unde illum ad examen denuo vocare non licet, quod si Tu jusseris lubens in tuam gratiam, quam omni ratione demereri cupio, collationem instituam. Ac quamvis ex co-

dice

dice meo parum emolumenti ad Te & ad artem noſtram forte redundabit, laudabis ſaltim candidum juvandi ſtudium ac mihi ea propter favebis. Ego vero Illuſtriſſime Vir non deſinam de favore tuo gloriari, Teque ob inſignia in rem medicam merita, quæ nulla ætas delere poterit, ſemper ſuſpicere & venerari. Vale, dabam Amſtelodami A. D. VIII. Januarii 1751.

479.

A. V. ROYEN.

Ultimas Tuas, Eximie Vir, nobiliſſimus Vir nobis tradidit Aſchius, cui, niſi feſtinanter hinc diſceſſiſſet, quædam Tibi exhibenda ſemina commiſiſſem: jam vero, quo noſter qualiscunque labor Tibi fructuoſior atque utilior evadat, enixe peto, velis quantocyus transmittere catalogum eorum quæ deſideras, ut in tempore, quæ mihi præſto ſunt vel aliunde comparari poſſunt, accipias.

Cl. Heiſterus, qui in epiſtolam ad Doct. Burchardum, quam haud dubie vidiſti, ampliſſime commentatus eſt in præfatione ſua, acerbe ſatis invehitur in Cl. Linnæum, nec aliis parcit, utut mitior eſſe velle videatur. Equidem, cum a me petierit nob. Heiſterus, ut quid hac de re ſentiam, perſcriberem libere & forte ſtylo ſatis laconico mentem meam ipſi aperui, indicavique ſimul, minus me aſpera verba, quam tectos latentium urticarum aculeos odiſſe, mentem utut ad vindictam

vindictam tardissimam, tamen incalescere posse; immo nec armis destitui, quibus temerarii quicunque aggressores non minus ornate quam acute oppugnari queant.

Per litteras a Cl. Linnæo nuperrime acceptas nobiscum communicatum est inventum perquam utilissimum, quod & Te, Vir Illustrissime, nisi id ipsum jam ex eo resciveris, diu latere nolui, nova scilicet methodus curandi luem veneream sine mercurio, cinnabari, decoctis lignorum, aliisve similibus. Utinam vera posteris laudandi repertori fides! Nimirum (ut refert D. Kalmius, Linnæi nostri discipulus, in litteris ex Canada ad ipsum datis) sylvestres Indi per plura retro secula sibi nota habuerunt medicamenta, quibus Siphiliticum virus radicitus exstirpare valebant; id quod haud fallaci experimento non solum in Indigenas, sed & in Europæos successu exercuerunt felicissimo, nullis tamen præmiis aut pollicitis alliciendi, ut præstans illud & nobile arcanum detegerent ac revelarent, quippe quod ex errore, qui dudum apud eos invaluit, populari persuasissimum habeant, detectam Europæis medicinam vires genuinas amittere atque vilescere.

Vidit tamen laudatus modo & ad ea, quæ agebantur, attentissimus Kalmius, homines semicorruptos, putrefactos, & præ fœtore immani vix ferendos, illius medicinæ ope, intra sedecim dies ad summum pristinæ sanitati restitutos, idque sine ullo dolore notabili, sine ullo recidivæ metu,

tu,

tu, & , ſi minuta diutiusque continuata doſis exhibeatur, ſine ulla evacuatione ſenſibili.

Suppeditat hanc medicinam *Radix Lobeliæ ſecundæ Horti Cliffortiani*, lente leniterque aquæ incocta, vacuoque ventriculo propinata. Largius ingeſta agit per emeſin, parcius epota per catharſin mitiſſimam, immo, ut refert Linnæus, minutiori adhuc doſi pro potu ordinario ſumpta, vix ullam evacuationem molitur ſenſibilem, & tamen intra definitum tempus ſedecim dierum morbum radicitus tollit, non recurrentem, niſi propria ad eosdem turbidos fontes recurrentis culpâ.

Addidit vero inſuper Linnæus, quod ſi malum altiores forte radices egerit, adjici debere, in minuta doſi, radicem ranunculi Virg. foliis ſubrotundis, flore parvo Hort. Lugdb. ſed & monet ſimul caute in eo mercandum. Denique nullum aſſerit proſtare exemplum, quod quis ex uſu hujus medicamenti perierit.

Hæc ſunt ea, quorum in præſens, Te amicorum ſuaviſſime, participem reddendo ſi quam iniverim gratiam, erit quod mihi gratuler.

Pleniorem hujus methodi hiſtoriam interim exſpectamus ab ipſo auctore in Actis Stockholmienſibus jam impreſſis propediem communicandam.

NB. *Radix Ceanothi Virginici* idem, quod *Lobeliæ radix*, ſed potentius, præſtare dicitur.

Diffi-

Difficultates quædam noviter obortæ mihi, aliunde occupatissimo subnatæ, Ericetum denuo remorantur nostrum. Stabo tamen promissis, si vitam, vires, & otia largiatur Deus.

In proximis, quibus me dignaberis litteris lentius, quæso, festina, cum currentis nimium calami vestigia vix legere potuerim. Interim vale, & me, quo soles, amore, favore, honore prosequi perge.

P. S. Quid videtur de experimentis & successibus electricitatis in morbis enumeratis in tractatu Genevæ desuper edito? Mira narrantur: sit vera fides! nec periculosum experimentum. Iterum vale! Dabam Leydæ Batav. ad d. 12. Januarii 1751.

480.

C. G. LUDWIG.

Dubiis diu hæsi, Generosissime Hallere, cum litteras ad Te dare constitueram, an de morbo tuo quædam adducerem, ob singularem quo Te prosequor amorem, an has curas Tibi & aliis amicis, qui Te me melius norunt, relinquere debeam. Sed dicam pauca generatim, quæ Tibi forte non molesta erunt, licet in medicina facienda a XV. abhinc annis satis me exercuerim, libere tamen profiteor, me in morbis, qui tandem systema nervorum afficiunt, ita ignarum esse, ut sæpius vix symptomata renire (*sic*) potuerim. Irri-

 tabile

tabile illud, quod Tu obſervationibus & experimentis phyſiologicis explicare tentas, eſt obſcura illa corporum mutatio, quam ſæpius in morbis eruditorum conſpexi, in aliis qui animi vires non exercent, nunquam vel rariſſime vidi. Nervos vel in ſolidis vel in fluidis partibus corrigere & mutare ardua res eſt, & antiſpasmodica noſtra & analeptica medicamenta vix ſunt talia, & ſæpius palliativa, niſi diæta prorſus exquiſita accedat. In his nutritio in minimis deficit. Ergo Boerhaave ex nervoſo fluido, vel ipſi ſimillimo, nutritionem deducebat, ſed non eſt fluidum ipſum quod applicatur, hoc longe nobilioris eſt naturæ, ſed actio ſingularis nervi minimi applicat ſolidis minima nutrientia. Sed ad practica redeo. Laudo attentionem tuam, quod obſervaveris acida Tibi convenire ob bilem inertem, ſed cave ne his nutritionis officinas prorſus deſtruas, & in primis viis & in ſecundis viis, & in minimis. Quicquid materia medica & culinaris præbet, ſolatium Tibi afferre poteſt, nunquam auxilium verum. Abſtrahas a negotioſa actione & nimiis meditationibus. Præparandæ ſunt his ipſis menſibus primæ viæ, quo lactis curam & alia ſubtiliſſima nutrientia ſuſcipere queas vernali tempore. Exerceas tunc corpus in horto, in agro moderate, & ſtudium plantarum ſolum eligas, non ex methodi legibus & ſpecierum obſervatione, quibus animi vires nimium defatigantur, ſed obſerves ea quæ culturam ſpectant. A lectione librorum, quæ Te ad ſerias meditationes deducunt, abſtineas, & tranquillo animi & tranquillo corporis ſtatu, vi-

rer

res corporis confirmes; nec credas mensem huic curationi sufficere, sed integrum anni æstivum semestre. Rides Amice, de iis quæ nunc scripsi; sed re accuratius perpensa cognosces me vera dixisse. Eo fervore quo hactenus studia prosequutus es, non amplius tractare poteris, nisi corporis & animi vires prorsus destruere velis. Homines sumus. Morbus tuus jam hæret in minimis solidis, imbecillum habes corpus, non concedas quæso Vir Cel. ut irritabile, quod physiologice consideras, practice per morbum tuum explicetur. Legas hæc eo animo quo scripsi. Si displicet, nil amplius monebo, & cognoscas tantum animi candorem.

Dabam Lipsiæ d. XVI. Jan. 1751.

481.

J. F. MECKEL.

Improbus me detinuit labor, quominus ad gratissimas tuas litteras respondere potuerim. Improbum dico quod vanus fuit; dissertationem enim, jussu Præsidis nostri, de nervis faciei perfeci, ut legeretur in Conventu Academiæ nostræ publico, diesque noctesque huic labori insudavi; & tamen spe me excidi, cum jussu Regis, Principis Friderici Ephorus Begeli, dissertationem philosophicam inopinato legeret. Interim alio proxime legam conventu. In perlegendis autoribus, miratus sum, nullum ab antiquissimis inde tem-

poribus usque accuratam N. duri dediſſe deſcriptionem, multo minus figuram, quæ mea ultra trecentos numeros & tria alphabeta continet deſignatorum. Autor ille de Cephalotome neque deſcriptionem neque figuram dedit bonam. In deſcriptione quinti & duri longe brevior eſt Winslowo, neque tam accuratus, ſed figura Duverneyi eſt, ita tamen correcta, ut non niſi majores ramos duri cuti impoſitos depingat, & eodem modo tres ramos faciat quinti, frontalem, infraorbitalem ac mentalem, quos ex cute plane alienis in locis prodientes pingit, ac naturaliter debuiſſet, & tum diviſionem naturalem, tum anaſtomoſes cum duro minime exprimit. Gratias Tibi, Optime Præceptor, pro benevola tua hujus libri communicatione ago, & proximo veredo reddam. Elegantem his diebus vidi varietatem ramorum ex arcu aortæ prodeuntium; ſubclavia nempe dextra ex deſcendente ſub arcu aortæ trunco orta, retro tres aliquas arterias adſcendebat a ſiniſtris ad dextra; carotidum vero arteriarum unus truncus erat, ex medio arcu aortæ exiens, & in duos ramos dextram ac ſiniſtram carotidem diviſus; nondum talem vidi depictam varietatem.

Ex Sprœgelii litteris triſtiſſimum adverſæ valetudinis tuæ nuncium acceperam, ſed animum meum hilarem reddiderunt ultimæ ejus, de reconvaleſcentia tua exoptatiſſima, gratiſſimæ litteræ. Berolini die 26. Jan. 1751.

482.

482.

JOH. GESNERUS.

Hortulum nostrum tuæ benevolentiæ commendo: parva sunt ejus initia. Infirmior valetudo mea impedit, quominus debitam ei curam adhibeam, pauci autem vel nulli sunt apud nos, qui meam operam aliquantum sublevare velint aut possint. Beati Stæhelini icones fungorum & ovorum apud me habeo. Sed pretium ab emtione deterret. Herbarium sibi comparare capiebat Societas nostra pro 120. fl. biduum ante quam responsionem nostram haberent (etsi nequidem octiduum differebam) Cel. Trewio pro 115. fl. concedebant. Ex auctione plusculos habui auctores in bibliotheca mea deficientes, post modum etiam Weinmannianum opus. Popowitschii eruditio varia quidem sed vaga nec bene digesta aut solida videtur; maledicendi licentia est tanto major.

Optimus Vir, communis noster Amicus D. Gillerus vehementer & graviter ex febri a suppressis hæmorrhoidibus excitata laborat, cui Deus sanitatem benigne reddere velit! qui & Te semper salvum servet & incolumem.

Tiguri d. 29. Jan. 1751.

483.

FR. DE SAUVAGES.

Tuas, Vir Celeberrime, ſuaviſſimas accepi litteras, Octobri recens elapſo datas, quæ me ſumma voluptate deliniverunt; nihil enim optatius umquam evenire poteſt quam ejus Viri exiſtimationem & amicitiam conſequi, quem totus diligit & veneratur orbis medicus, ob maximam in rempublicam jatricam merita & dotes eximias, quos medicorum ordinem decorant. Faſciculum, quem mihi pro tua benignitate deſtinaveras, nullatenus accepi, & aliorſum abreptum eſſe valde doleo, quidquid enim elaborare dignaris, illud ſemper & eruditione & novitate & ſucco refertum, nulli non palato ſapit, mihi certe chariſſimum eſt: utinam accipiam opera cætera quæ miſſurus es, inter quæ ſolum obtinere potui *Opuſcula botanica* (Götting. 1749.) reliqua deſunt, licet Bibliopolis noſtris ſæpius expetita, potiſſimum primæ lineæ phyſiologiæ, vel ut ais phyſiologia minor. Jam dudum obtinui tuam floram Helveticam, opus immortale & incredibilis laboris, quod tamen in claſſes diſtinctas diviſum lucidius fuiſſet, ſed veritati magis quam facilitati conſuluiſti. Dudum & pariter accepi, optima tua in Boerhaavium commentaria, quos in ſtudioſorum & doctorum omnium manibus apud nos ſunt & quibus nemo carere poteſt; utinam therapeuticam Boerhaavianam partem Inſtitutionum elaboratiſſimam & utiliſſimam enucleaſſes!

Audio

Audio Te nuper ſcripſiſſe adverſus D. Senac tract de Corde, tractatum D. Senac vidi, tuas animadverſiones in ipſum non vidi; Diar. Trivulcenſe Te nihil docet; quia Senacii tantum partes tueri conantur autores. Senacius certe plura ſatis egregia de ſanguine per microſcopia Nolletti inſpecto protulit, multa ab Autoribus excerpſit de morbis cordis, ſed imperfecta reliquit. Sed quod vix condonandum, Viros optimos ut Chiracium audacius & immerito vituperavit, atque prius Mathematicos etiam ſibi non intellectos ex tripode judicavit & damnavit. Vidi hac de re falſam beati Jurini epiſtolam (Jurinus enim nuper obiit). Cenſetur D. Senac nequiſſimo la Metrie anecdota ſatyrica ſuppeditare, quod honeſto viro indignum putem. Tibi gratulor Profeſſor Colendiſſime, quod illius ingenioſi Furciferi La Metrie dona turpia, turpem amicitiam publice reſpueris, nauſeaveris. Sic cogitabam & loquebar, antequam ſcirem ipſum in me quidpiam effutiviſſe.

Sub prelo ſudat methodus mea foliorum, ſed Avenione cuditur a typographo latinitatis ignaro, quot menda quot ſphalmata? Genevæ mox excudent iterato meam Pathologiam, in qua claſſium mearum erit compendium. Claſſes vero multo majus etiam immo vires majores deſiderant, quam quæ mihi ſuppetunt, pudet me tantum onus imparibus impoſuiſſe humeris, forte ſequenti anno illas elaborare aggrediar. Tu ſolus,

colendiſſime Vir, ea qua polles doctrina medica, & ſagacitate methodica, poſſes morbos ad genera & ſpecies revocare; illud non omnino impoſſibile Tibi videtur, cum in præfatione Vratislavienſes epidemias concedas, in morbis dari quandam conſtantiam, qualis in plantis fere obſervatur. Hanc quam ſequor methodum plauſu ſuo incitaverat Boerhavius, ſed vitam & animum huic abſolvendos parem mihi deprecabatur, & merito, opus enim illud eſt immenſum; oh! ſi ſuppeteret morborum pinax, ſi accurata & fida deſcriptio ſingulorum; ſi quorundam ut leproſorum icones data (*ſic*) forent, ſi cujusvis regionis endemii accurate deſcripti dimidium operis haberem; ſed nullum adjutorem, nullum fere librum Montpelii habeo, ſi veterum libros excipias.

Mittam data opportunitate pathologiam, methodum foliorum, diſſertationem de Hydrophobia, quam iterum cudunt Toloſani academici cum aliis opuſculis recens ab Academia coronatis; addam duas diſſertatiunculas de *Electriſatione medica*, quæ certe eſt præſtantiſſimum remedium centies expertum adverſus dolores inveteratos rheumaticos, iſchiadicos, imo arthriticos. Non ita mirum eſt adverſus paralyſes, ſed tamen paralyticos plurimos roboravit: nuper vero, quod certe non exſpectabam, Chirurgi cujusdam leucophlegmatici valetudinem, vires, colorem, ſomnum a duobus annis deficientes intra quatriduum reſtituit electriſatio. Scio in dubium ea revocari a Pariſienſibus, & Noletum ea experimenta falſitatis inſimu-

insimulare: verum hoc sancte affirmo & multiplicibus testimoniis ratum, brevi typis evulgabo. Curationem dolorum scripsi nuper ad Academiam Upsaliensem, quod spectat paralyses ad Londinensem Societatem, in quam coaptatum esse me nuper accepi; vides quod is mihi contigit honor, ut tuus sim Collega multiplici de nomine.

Quam vellem ut cito præturam Te dignam apud Bernates sortiaris, minore a nobis distantia, suavissimo tuo fruerer commercio, fruerentur & Medici Bernenses, qui hoc enixe deprecantur; circa quod præsagiebat Rex Angliæ Te cito nostalgia laboraturum esse. Audio inoculationem variolarum feliciter tentatam fuisse hoc anno in puella Genevensi 15. annos nata, D. Tronchin Medici Amstelodamensis nepte, atque pus insitum ambabus ulnis intra sex dies pullulasse. Ipse vero Tronchin unigenitum suum vere sequenti eidem experimenta submittere decrevit. Num apud Vos similia tentantur?

A duobus annis viæ publicæ Occitaniæ infestantur latronibus, qui invitatores dicuntur, ex eo quod viatoribus semen stramonii vino infusum officiose propinent, unde mirum dictu, intra duo vel tria minuta concidunt somno sepulti usque ad subsequentem diem, resurgunt vero spoliati quidem, ast ut plurimum festivissimis imaginationibus & jucundis deliriis aliquot dies perseverantibus detenti; pauci obeunt præmissa carpologia & mentis extasi, aphoni semper, unus mihi notissi-

mus a duobus annis veneno illo affectus in ventriculi, crurum debilitatem, & impotentiam virilem delapsus est. Octodecim ex illis nefariis in nostris carceribus detinentur, quos vidi, & a Judice interrogatos audivi &c. Experimenta in animalibus, ex oleo daturæ capere decrevi. Artem augere perge Vir Illustrissime, & me in omne officii genus paratissimum habe. Montpel. 1a. die anni 1751. quem Tibi faustum apprecor.

484.

JO. STEPH. BERNARD.

Summopere lætor Vir amplissime, non displicuisse Tibi prensationem meam, cum nil adeo studeam, quam ut me Viris eruditionis laude cum maxime florentibus probem, ac magis magisque innotescam. Non me latet, quam benevole Tu statueris de conatibus meis quantisque laudibus Synesium meum sis prosecutus. Arti visus sum saltim hoc pacto medicæ prodesse, quam diu id alia ratione nondum licet, quod tamen fiet aliquando, si vitam viresque concesserit Summum Numen. Non equidem miror Te nequivisse in notis ad Boerhaavi Method. disc. artem med. medicos scriptores recensere omnes, cum vix unquam fore aliquem arbitrer, qui id effectum dare possit in primis, ubi quotidie novi fœtus, sæpe etiam nondum maturi, in lucem protruduntur. Ita tamen Te hanc messem exhausisse censeo, ut spicæ perpaucæ aliis legendæ supersint. Practicorum catalogo

logo nuper addidi Curationes morborum *Jac. Lazerme* duobus voluminibus in 8°. editas Monspelii 1750. Suspicatus sum librum recens editum ad Te nondum fuisse perlatum, unde ejus mentionem facere non potuisti. Inserui etiam R. *Schombergii* Aphorismos practicos, quos anno præterito Londini vulgavit in 8°. ac pro sua benevolentia, qua me amplectitur, perituro meo nomine inscripsit. Accipis hic apographum meum Consultationum summi Boerhaavii. Quas asterisco notatas invenies, eas scito esse vulgatas. Perlustrassem pari modo reliquas, si mihi ad manus fuisset exemplar editum, ac non ursisset Wetsteinius, ut fasciculum accurarem. Poteris tamen & Tu levi negotio hoc labore defungi, si singula folia, dum a prelo redeunt, lustres ac notes quænam earum Consultationum jam olim lucem adspexerunt. Quæ vertiginis ac motuum convulsivorum curationem tradit, quamque ipse aliquando descripsi, illa fuit missa ad Virum rever. Dn. Cause ecclesiæ gallicæ Pastorem Francofurti ad Viadrum, qui, ni fallor, adhuc in vivis est, ac tunc temporis Boerhaavii consilio plurimum fuit adjutus, imo vero sanatus. De conditionibus vero, quibus apographum meum cedere velim, noli, quæso, esse sollicitus, cum nil a Te exigam, præter humanitatis officia, quæque Tu jam ultro obtulisti. Poterit autem Bibliopola plurimum lucrifacere, si consultationes Medicorum Anglorum vernaculo eorum sermone typis suis describet. Nosti enim quam cupide leguntur hodie illa, quæ vernacula prodeunt, cum multi ad latinum sermonem

nem nauſeent. Sed Tu hæc curabis, ut conſultum duces, ac uteris apographo jam tuo pro lubitu. Vale Vir Illuſtriſſime, ac me Tui obſervantiſſimum inter Clientes tuos numera. Dabam Amſtelodami A. D. XVII. Februarii 1751.

485.

J. F. MECKEL.

Primum quod eſt, Tibi de eo gratulor Præſidii munere, quod jure omnino in Te contulerunt Hanoverani. Ex animo opto Deumque precor, ut ſalvus ac incolumis plurimos annos hoc quod nomine tuo illuſtre redditur, præſidium geras, ſub Te duce enim florebit, ac ſummæ utilitati erit orbi litterarum hæc Societas. Mihi gratulor de eo inſigni honore, quo me benevole ornare decreviſti, id enim vehementer optavi, ut tuo ſub præſidio tuave ſub directione vivere, ac indefeſſo ſtudio meo orbi litterarum ac publico utilis eſſe queam; hinc tuam exoptavi hic apud nos præſentiam; nunc, hac deficiente lætor, qui abſens quamvis, tuis ſub auſpiciis eſſe poſſim. Gratiſſimus ergo benevolam tuam in hanc regiam veſtram Societatem accipio adoptionem ſive receptionem, neque deero, quantum potero, obſervationes anatomicas mittendi; quarum mihi plures occurrunt. Inter alias nunc tres aortæ ramorum ſuperiorum majorum raras habeo varietates: in duobus nempe idem carotidis dextræ ſubclaviæ dextræ & carotidis ſiniſtræ communis a ſub-

clavia

clavia ſiniſtra longe remotus truncus eſt, neque ſeſe communis iſte trium ramorum truncus dividit, quam quatuor lineas ab arcu aortæ, ut verus ſit truncus; in horum uno ſubjecto ex trunco carotidis dextræ arteria thymica & thyreoidea inferior orta eſt. Tertia varietas eſt ſubclaviæ dextræ arteriæ; ex trunco arteriæ aortæ ortæ, ubi arcu facto per thoracem ante vertebras deſcendit; hic ſubclavia retro arcum aortæ a deſcendente trunco ad dextrum brachium adſcendit. Duarum vero carotidum, dextræ & ſiniſtræ, ex medio arcu idem truncus fuit, qui ante aſperam arteriam in duos ramos carotidem dextram & ſiniſtram dividebatur.

In nervis, quæ de duro obſervaſti, adeo conſtantia ſunt, ut nunquam duæ anaſtomoſes auricularis tertii paris cervicalium, quem poſteriorem majorem dico auricularem, cum ramo auriculari poſteriori duri, qui ſuper exterius proceſſus maſtoidei latus retrorſum ad conchæ convexam externam ſuperficiem & muſculum occipitalem abit, deficiant; præter ramos, qui ab eodem auriculari, retro glandulam parotidem, inter hanc & maſtoidem muſculum introrſum adſcendentes, cum ſubcutaneo colli ramo inferioris duri conveniunt. In injectione ceracea replevi corticem cerebri, ut totus fere rubeat, & in eo ſum, ut præparata mihi faciam angiologica, phyſiologicis lectionibus deſtinata ac demonſtrationibus anatomicis, plane enim omnia utilia adhuc ab anatomico noſtro theatro abfuerunt præparata, ut omnia inveniam

vacua.

vacua. In oculo præparato duos iridis arteriosos circulos, alium exteriorem in orbiculo ciliari, & alium interiorem replevi, in margine pupillæ interioris prope foramen. Sic facili negotio & lubenter præparassem ac delineari curassem vasa, quæ tuis usibus paranda jussisses, sed cum non nisi adversa valetudine urgente id ad me desideras, potius Deum oro, ut omnibus tuis laboribus rite exsequendis sufficientes Tibi quam diutissime & continuo largiatur vires. Ad me vero quod attinet, quævis jussa tua, Optime Præceptor, summa cum alacritate ac omni exsequar studio.

Berolini d. 23. Febr. 1751.

486.

J. F. SCHREIBER.

Recte mihi traditæ sunt ultimæ Tuæ d. 10. Febr. exaratæ, atque quam maxume adceptæ. Non possum satis exprimere verbis gratum animum, quo agnosco illa eximia tui amoris erga me documenta, dum nihil intermittis, ad efficiendum, quo meliora fata mihi obveniant. Ego didici per multiplicem adversam experientiam, bono animo ferre ea, quæ mutare non possum. Attamen illa Professio Helmstadiensis re vera non fuisset valde tanta. Ego subinde multum tussio. Nec parum adfligor, dum audio, valetudinem tui corporis esse admodum dubiam. Vix sperem,

per-

perfectam ſanitatem tuo corpori redituram, quamdiu adeo indefeſſus perſeveras in inveſtigatione cadaverum, niſi, ubi redux in Patriam, ibi poſſis capere aërem & victum, putredini humorum tuorum contrarium.

Redeamus ad hiſtoriam *de tuſſe*. Veram tuſſim canum plures Medici Practici inſignes adeo mihi confirmarunt, ut dubium non ſit, eam confundi cum vomitu inchoato. Enimvero tuſſis equorum & ovium eſt extra omnem controverſiam: quantum intellexi, non potuiſti ad tuſſim perducere canes per fumum adcenſi ſulphuris: neque irritando vertices ipſorum, vel duram matrem. Memini, me nuper ſcripſiſſe, quæ de conſenſu capitis cum pulmonibus, quo ad tuſſim ſunt indubia, ſaltim in homine eo retuli empl. de Takamahaca vertici capitis adplicatum, unde tuſſis: tuſſim a denudatione capitis in hieme; ſedatam tuſſim per compreſſionem verticis capitis, manu factam: nec non per pulveres, adſperſos capillis. An ſitus erectus trunci & capitis humani facilitat tuſſim ad minimum, quoad conſenſum inter verticem capitis & pulmones? Ut adeo multa eveniant aliter in animalibus, quæ prona incedunt. Omnia remedia, quæ contra tuſſim proſunt, venarum ſectiones, laxantia, diaphoretica, pediluvia ſ. non directe valent contra tuſſim: ſed ſi, uti eſt credibile, ſedes tuſſis eſt in pulmonibus, medicamenta arteriaca directe oppoſita erunt tuſſi. Dum valde laborarem tuſſe cum ſtrepitu ingenti in ſummo gutture; Practicus celebris

lebris hujus loci me invisens, mihi voluit persuadere, quod hepar, non pulmo in me esset locus adfectus: se tunc haud ita diu tres homines simili morbo laborantes curasse per theam. Inter *arteriaca* ergo, quæ directe agunt adversus tussim, itaque refero (1.) quæ vertici capitis adplicari possunt: (2.) aërem, liquores, gargarismata, linctus. Notum est, quod Practici commendent linctus, *lente deglutiendos* cum baculo liquiritiæ. In quem finem hoc? Ego linctubus, quos devoravi, facile dolium implerem. Quæsivi, quo fine? Unus Medicorum putabat, quod illa oleosa, sic lente deglutita, transsudarent per œsophagi tunicas & tracheæ. Hoc mihi videtur omni verisimilitudine carere. Dixi, quod aër certis qualitatibus refertus, quod liquores & linctus possint lente diffluere in tracheam, & immediate venire ad locum adfectum. Eo me perduxit experimentum celebre, quod habetur in scripto Hippocratis de Corde, in sue cum atro liquore institutum, ubi inter bibendum semper aliqua portio defluxit in tracheam. Quamvis noverim, D. Mery illud, rogatu D. Dodart, repetiisse, & verum deprehendisse, adtamen, si me amas, Vir Optume, fac, ut illud reiteretur & verificetur. Nam expresse habetur in illo scripto Hippocratis, quod non quivis aptus sit illi experimento faciundo. Celeberrimi nostri Medici repudiarunt hanc meam explicationem. Addo, quod illud valde memorabile phænomenon observarim, quod constanter exspuerim atra, vel atris filamentis distincta. Rebus omnibus finitis, ut aliquid de tusse

tuſſe edas, quod omnia hæc complectatur, rogo; vel ſi id repudies, ut mihi omnia, quæ eo de argumento habes communices, quo omnia queam ordinare, & hic in lucem mittere, adlegato tuo, uti decet, illuſtri nomine.

Petropoli d. 1. Martii 1751.

487.

JOAN. FRID. MECKEL.

Hæc Tibi imprimis Pottii noſtri perutile ſcriptum, nec minus difficile, tradere volui, quod ipſe autor Tibi offert, mihique ut Tibi quamprimum transmitterem, miſit, ſimul benevolam ejus recenſionem in novellis Göttingenſibus ſibi a Te repetens. Non equidem credo, tanti Viri tanto labore elaborata ſcripta, laude ſua carere poſſe, quippe quæ nomen jam commendat; neque aliquid huic operi derogare videtur, quod W . . . . . . errores emendare, fraudesque detegere ſimul intenderit, nimis enim ipſe expertus es, quantum & id juſtiſſime, doleat bene meriti ac diligentis Viri animum, ſi pro ſuis inventis, nequidem nominato autore, venditant, artis ſæpe, uti & hic factum eſt, plane inſcii, quæ tamen poſt immenſos labores ac innumera demum experimenta in lucem edita ſunt. Quare aliquam adhuc, uti mihi videtur, W . . . . . mereretur cenſuram, qui aliqua quidem petrefacta ac foſſilia collegit, minime tamen ſyſtemati horum accu-

rato conficiendo ſufficit. Lectionibus academicis hoc opus dederat autor, ſed & ejus prolixitas, & quod minus bene judicantibus videbatur inter libros potius quæ bella litteraria movent pertinere, quam ut continuationem lithogeognoſiæ & emendationem aliorum per innumera experimenta demum factam æſtimare debuiſſent, hæc inquam impediverunt, ejus in Acta Academica inſertionem, ut itaque, ne periret tantæ utilitatis ac tanti laboris liber, aliorum rogatu, germanicam verſionem ex latino ſcripto confecerit, ac publici juris fecerit autor. Hæc Tibi, Optime Præceptor, omnia ſcribo, nollem vero alios ſcire, ex me Te hæc didiciſſe, imprimis cauſam neglectæ inſertionis in Acta noſtra academica, quam ſecundo loco ſuperius indicavi. Commendatus in novellis litterariis hic liber ſufficiet refutando horum judicum errori.

Berolini d. XII. Martii MDCCLI.

488.

JOH. GESNERUS.

Vacillantem eſſe ſanitatem tuam, non ſine dolore intellexi. Utinam lætiora de Te brevi accipiam. Senſus moleſtiæ ex utroque noſtro morbo fere idem eſt, ſed cauſam in ſingulo diverſam putem. Oppreſſionis circa præcordii ſenſus raro abeſt, & impr. tempore matutino cum frigore accedit, ex quo demum ſudor levans cum calore;

re; quæ quidem ab aliquot annis apud me alternant, ſæpe etiam dum majori impetu urgent, vomitus & febres excitant exanthematicas; ad ubique ſenſus aëris audi cum rancido exurente. Lenio malum, divino auxilio, diæta & regimine ſudoris; grato in Hiſtoria naturali labore, & imprimis memoria & conſuetudine amicorum, inter quos Te numerare me poſſe ſumma mihi oblectatio eſt, tum & amabilis conjugis converſatione. Ex carnium eſu minime lædor, nec facile ab ullo ciborum genere, niſi qui duræ ſunt coctionis. Alcaleſcentiæ vero ſtatum Tibi impr. moleſtum eſſe docent ſymptomata, in quo genere Syrupus Cydoniorum, qui ex aquæ Cinanomeæ cydoniatæ reſiduo poſt deſtillationem paratur, plurimos juvit. Sed impr. putem ſeri lactis uſum in aëre puriori & patrio adverſus hujus morbi vim plurimum valere. Amiciſſimus Gillerus nunc melius iterum valet, ſeque orthoſtadium factum ſcribit.

Tiguri d. 16. Martii 1751.

489.

SAMUEL AURIVILLIUS.

Vereor ut pervenerint ad Te litteræ, Vir Magnifice, quas longo abhinc tempore Gottingam miſi. Quod ſi acciderit, vehementer doleo occaſionem ex eo datam de meo Tibi inſerviendi ſtudio aliter longe quam optarem ſentiendi. Adhuc

menſes aliquot hic loci commorabor, & forte usque menſem Auguſtum: nec absque quodam tædio hinc diſcedam, ſi nulla in re Vir Magnifice, dum in celebri urbe verſatus ſum, obſequia mea Tibi probare potuerim.

Indicavi in ſuperioribus meis litteris, Tarinum me adiiſſe, ipſique ſignificaſſe ea, quæ tuæ mihi litteræ mandabant. Jam tum anthropotomiam ediderat, quam in adjunctum retulerat catalogum librorum, Pariſiis ab initio anni præterlapſi impreſſorum & ad rem medicam pertinentium. Ineunte vero hoc anno adparuerunt ejus Adverſaria Anatomica de cavitatibus & cerebri & cerebelli, nitide impreſſa, charta magna & forma quadrata: Tabulæ plurimæ adjectæ ſunt, quarum aliæ auctori propriæ, & hæ quidem duplices, alteræ coloribus ornatæ, alteræ absque coloribus: aliæ mutuo ſumtæ, quæ omnes ab Anatomicis unquam editas cerebri figuras collatas ſiſtunt, ut adpareat, quam una melius altera naturam expreſſerit. Opus laboris, ut videtur, non minimi, neſcio an æque ſit proficuum.

D. Ferrein ſæpius in ſuis lectionibus honorificam Tui mentionem injecit, Vir Magnifice: & in multis phyſiologicis quæſtionibus tuas ſententias ſuas facit. In partium compoſitione expiſcanda multum ſe roboraſſe profitetur, microſcopiis maxime uſum. Celluloſum textum ubivis prædicat, & in illo adipoſo veras ponit veſiculas, ad ſimilitudinem glandularum ſimpliciſſimarum

marum ſtructas, conſpicuas microſcopio, recipientes pinguedinem. Membranam omnem ut celluloſam compactam deſcribit: & partes quascunque molles eo plus habere celluloſæ fabricæ, quo ſunt molliores. Ruyſchii demonſtrationes ex partibus injectis & deſiccatis nihili æſtimat. Plurimum contra fidei addit Malpighio, cujus ſtudium ad interiora partium examinanda inſigniter extollit, non diſſimulans tamen, Malpighium ex fallacibus nonnunquam obſervationibus glandulas poſuiſſe, ubi detegi nequeunt: ut in hepate præſertim & liene, de quorum viſcerum fabrica in intimis ingenue confitetur ſe nihil ſcire. Maxime ſibi placet in obſervatione albarum arteriarum, quas ex conjecturis admiſerunt antea Anatomici, ipſe, ut ait, primus diſtincte vidit, ſæpius & diſtinctiſſime in oculo tum vivo tum mortuo, aliquoties & obſcure in utero; ſed jucundiſſimo ſpectaculo in renum corticali ſubſtantia, ubi miræ harum arteriarum implicationes; dein in teſticulis, in quibus ſerpentinos flexus faciunt. Interim tamen ſeries vaſorum Boerhaavianas, & cum his connexas ſeries globulorum ſanguinis, ad infirmas relegat hypotheſes. Rejicit aërem inter pleuram & pulmones inter medium; ſed quod ad intercoſtalium muſculorum actionem Hambergero aſſentitur. Suum de voce experimentum ſucceſſiſſe, ait, Jallaberto, Italis Medicis, quin & D. Hales. De nervi intercoſtalis origine a D. Meckel deſcripta prius nihil comperti habuit, quam diſſertationem ipſi exhibui, poſteaque nervos auditoribus demonſtrans deſcriptionem a Meckelio datam ex-

 poſuit.

posuit. Rogavit me, ut si fieri posset, dissertationes quasdam e Germania huc transmitti curarem. Si Tibi placuerit, Vir Magnifice, hoc ipsi amicitiæ genus præstare, ad paria se officia pollicetur fore paratissimum. Sunt dissertationes istæ, una de *Lepra* habita Erlangæ: altera de *Cardialgia*, non longo abhinc tempore edita, quamque vel tuam vel cujusdam ex tuis discipulis esse dicit: 2a. de *Tenuitate fluidorum*, de qua pariter non bene meminit, an Göttingæ tuo sub præsidio an Jenæ prodierit.

Electrica miracula, quæ divulgarunt Itali, procul dubio in Germaniam jam dudum transtulit fama. Id forte novum, Dm. Nollet, in Itinere Italico, eum in finem suscepto, ut de istorum experimentorum fide convinceretur, nunquam vidisse illorum successum, ne quidem apud eorum auctores: immo ne invenisse quidem ullum fide dignum, qui eadem experimenta unquam successisse testaretur. Jam hæc retulerat in narratione sui Itineris coram Academia Regia scientiarum: & nuper eadem retulit in monito, quod novæ editioni libelli „ *Essai sur l'Electricité des corps* subjunxit. Aucta pariter est eadem editio responso ad ea, quæ contra theoriam Dni. Nollet sunt publicata, vel potius responsione iis data, qui contra scripserunt, nam de injurioso disputandi modo tantum, de re nihil agitur.

Dabam Parisiis A. MDCCLI. d. 22. Mart.

490.

490.

D. LUDWIG.

Quam vellem, Vir Generosissime, humanissime Hallere, Te de restauranda valetudine, omnibus bonis adeo chara magis cogitare. Cognoscis quidem, ut Medicus & Philosophus necessitatem facti, sed consuetudo laborum, gloria quam quæris, & inimicorum insidiæ Te cogunt, ut præcipiti cursu aut vitam brevi finias, aut diutius misere vivas. Cur quæso inimicis ensem præbes, quo Te jugulare possunt? Cur adeo gloriam quæris, quæ nunquam Te fugit? Cur consuetudinem depravatam laborum tuorum non vincis Philosophus? Noli credere hos inimicos vitæ tuæ unquam Te relinquere, etsi in Patriam redires, vel ad ultimos Europæ fines tenderes. Qui ligna findit, & miserrimo labore panem lucratur, de nocte dormit quietus, viresque recuperat amissas, Tu, qui minimas & nobilissimas corporis tui partes studiis continuis exagitas, speras tamen cum agrypniis continuis Te diu adhuc subsistere posse. Perpendas quæso Physiologus, quanta beneficia nobis præstet somnus, quibus si cares, tristissimam vitam geris. Nutrimento pauco sustineri potest, sed parcior somnus adeo debilitat, ut vires resarcire nequeat nutrimentum, neque medicina. Evites itaque continuas tuas curas, continuaque studia, quibus efficitur, ut cum velis somnum capere nequeas. En studium amas, quod delicias cum laboribus conjunctum habet,

 elige

elige ad tempus delicias, quo eo alacrius ad labores redire possis. Non gratulor Tibi de novo honore Præsidis in Societate vestra splendidissima, quoniam præsidia plus damni afferre soleant, quam emolumenti. Pauca dixi, sed vera, plura tamen non dicam, sed persuasum habeas velim, me inter illos, qui Te amant, primarium locum mereri velle, merebor forte, si jocosus Te ad gaudia vitæ excitem. Flora, amicissima Tibi Flora, Te invitat, & cupit, ut vernale hoc tempus ei sacrum sit. Solvitur acris hyems grata vice veris & favonii &c. Horatiana hæc Oda me exhortatur, ut laboribus hyemalibus superatis, in gratissimis plantarum deliciis otium quæram. Fugias & Tu labores, qui & in otio nunquam invenies ignaviæ opprobrium. Annis ferme pares sumus, vides quæ Tu hactenus præstiteris, vix sequi possum tua vestigia, erubesco & subsisto, interim studia non urgeo sanitati contraria. Vale & me ut soles ama. Dabam Lipsiæ d. XXVII. Martii 1751.

491.

J. G. GMELIN.

Accepi, quas ultimo Martii benevole ad me exarasti litteras. Gaudeo de nova societate & curabo, ut quoad possim, illi non prorsus sim inutilis. Sed quomodo ei me societati addicere potero, nisi aliquod ejus rei habeam testimonium.

An

An diploma dabitur, an nomina Membrorum alicubi typis exſcribentur, ut diplomate non opus ſit? Non deero mittere omne quod habeo materiæ pro itinerario meo intra tria ſemeſtria, ſed quod ſpectat ad hoc ſemeſtre, mitto jam initium, ſperoque omne me miſſurum intra ſpatium duorum menſium. Icones perpaucæ erunt, uti jam monui. Si velit van den Hœkia quartum Itinerum tomum ſimul excudere, non impediam. Vellem primum antea excuſum habere, ut ſcirem quousque pertingeret. Si alium, mei non ordine ſequentur. Spondeo autem, ex mea parte me non eſſe defuturum, quin unus tomus ad nundinas usque autumnales paratus eſſe poſſit. Si ad ornamentum operis aliquas velit van den Hœkia addere figuras, qualescunque velit operi idoneas, per me licet. Deſine quæſo ægrotare! Præſes novæ Academiæ non ægrotet. Hoc monitum ſit voti inſtar. Spem nondum plane abjeci, fore, ut homines, quibus dediſti libros, tandem adventuri ſint. Quare ſi mittes alios, & hactenus diſperditi adventuri ſint, vendam hic, quorum itaque pretium ſignificabis. De meo itinerario mitto ad p. usque 172. Non eſt opus eruditum, veraciſſimum tamen. Initium continet ſatis vulgaria. Nolui omnia expungere. Parcendum eſt; varia igitur paſſim expungi, varia nimis dura moderatus ſum. Quasdam voces peregrini idiomatis commutavi cum germanicis, quarundam germanicas denominationes neſcivi. Quam ſuper res ejusmodi rogam, habeo neminem. Niſi nimis moleſtum ſit, gratus accipiam, ſi ubicunque

aliquid correctionis afferre poteris. Studui distinctæ scripturæ. Nescio, quid fieri debeat de columnis, in margine singularum exstantibus, ubi numerus leucarum, mensis atque dies annotata sunt, an hæc omnia omittentur? Mihi hactenus commodissima fuerunt. Ex summa leucarum in toto itinere semper congesta nihil adeo commodi in publicum redundare puto, pro quo utilius esset, minores illas distantias, ad marginem notatas, de summa leucarum ex uno insigniori in alterum insigniorem locum annotatas habere, quæ quidem ex ipso opere facile computari possunt; sed jam temporis penuria premor, nec van den Hœkiam diutius ex mea parte morari volui. Peto a Te consilium, qua ratione hoc faciendum sit. Adcommodabo reliquum, quod ad primum tomum spectat, ad nutum tuum, quem spero proxime mihi significabis. Jussi enim hoc manuscriptum Göttingam Francofurto mitti. Dum hoc perscribes, simul etiam peto, ut significes, quot circiter plagis meis adhuc opus sit, ut tomo uni integro sufficiat. Quo autem opus hoc longius protrahitur, eo semper melius fit. Celerrimum ab initio fuit iter per terras non adeo cognitas, deinde exercitio major ad faciendas descriptiones aptitudo paullatim comparatur. Vides in toto hoc scripto, quod mitto, nonnisi p. 80. tabella opus esse præter illas, quas forte van den Hœkia ad decorationem operis passim intersparget. Curabo autem, ne in reliquo, quo opus est, ad 1mum tomum, mora fiat, ut si quæ adhuc desiderentur, mature incidi queant. Si velit

lit van den Hœkia aliam orthographiam, reliquis tomis conformem, obſervare, per me poterit. Vellem tamen, ne exemplar meum perderetur, ex quo errores, ſi qui irrepant, corrigi poſſint. Nam licet pleraque non tamen omnium nomina propria locorum, inprimis non admodum inſignium, memoria teneo. Vale cum omnibus tuis caritatibus tuoque me porro favore complectere. Dabam Tubingæ d. XI. Apr. CIƆ IƆCC LI.

492.

J. F. MECKEL.

De libris ad Academiam miſſis, id quod a me reſcire cupis, non judicat Præſes de Maupertuis, ſed is cujusvis Claſſis Academiæ, quem aptiorem judicat, de Phyſicis, Medicis imprimis Practicis Ellerus, de botanicis Gleditſchius, de anatomia egomet, de phyſicalibus Ludolfus, de mathematicis Eulerus, de reliquis alii judicium ferunt, ut nil ſit, quod ipſe dijudicet, quam libros interdum aſtronomicos, aut litterarum elegantiorum; itaque de iis libris judicat, de quibus judicium ferre ſufficit.

In anatome obſervationem habui morboſi corporis, ſuppuratione cordis ex inflammatione extincti; tota nempe cordis ſuperficies cruſta purulenta obducta erat, vaſaque omnia cordis a ſuppuratione denudata, pericardium inflammatione pariter craſſius redditum, ichore purulento repletum

atque

atque cum pulmonibus connatum per inflammationem. Febre acuta septem dierum spatio hoc morbo periit æger. An talis observatio mereretur, quæ publici juris fiat; si dignam æstimas, academicis scriptis inseram.

Berolini d. 13. April. 1751.

493.

JO. STEPH. BERNARD.

Politissimas tuas litteras recte accepi Vir Illustrissime, mihique summopere gratulor, quod Te grato munusculo palpare potuerim. Non desii ab illo tempore amicos hortari, penes quos aliquid chartarum Boerhaavii delitescere suspicarer, ne Tibi & rei litterariæ hoc inviderent, neque omnino irriti fuerunt conatus mei, nam inveni nuper apud amicum apographum litterarum, quas Vir summus Leida anno 1716. a. d. 16. Nov. belgico idiomate exaravit ad Lœwenhoekium, in quibus varias machinas detorquet, ad impugnandam doctrinam Lœwenhoekii de animalculis seminalibus. Quanquam hæc epistola non faciat ad morbum quendam debellandum, nihilominus tamen eam Tibi obferre volui, ut si ita visum fuerit mantissa loco adderes, ac si jusseris eam in latinum sermonem protinus transferam. Pervenerunt etiam ad me eadem via contenta epistolæ Lœwenhoekii ad Boerhaavium, quas pariter nondum editas esse arbitror, tum etiam Viri amplissimi

ſimi A. v. Bleiswyck M. D. & Conſulis Delphenſis, amici Boerhaavii & Lœwenhoekii epiſtola, qua Boerhaavium certiorem facit eorum, quæ in cuniculo ſuriente (*ſic*) ac vivo diſſecto in ædibus Lœwenhoekii obſervaverit. Gratiora fortaſſe hæc Tibi adveniſſent tunc temporis, cum commentariis conficeres ad Boerhaavii Phyſiologiam, verum cum ſint epiſtolæ, poterunt etiam reliquis commode comites dari. Adgnoſces autem exinde ſtudium meum, quo benevolentiam tuam demerer usque adnitor, ac levia hæc boni conſules, donec mihi liceat gravioribus teſtatum Tibi facere, quantum Te ob ſingularem tuam eruditionem ſuſpiciam. (Non advenerunt.) Vale. Dabam raptim Amſtelodami A. D. XIX. Aprilis 1751.

494.

J. F. MECKEL.

Noviſſimam Tibi mitto hanc de variolarum ratione diſſertationem Hahnii, quam Academiæ noſtræ dedicatam dijudicandam accepimus proxime elapſo die Jovis. Nollem absque tuo meum exhibere judicium; faciam autem, quamprimum tuam de hoc libro ſententiam per litteras didicero. Mihi ſane videtur abſona plane opinio; primo quod corpus humanum cum planta comparaverit, atque hinc gemmis arborum variolas ſimiles eſſe contenderit, 2°. quod materiam irritatione ſua febrem efficientem blandum humorem vegetabilem nominare, ac ſua id declarare autoritate

non

non iniquum duxerit; tertio cicatrices potius vasorum sunt destructioni quam eorum evolutioni; & multi inveniuntur adulti, qui nunquam variolis laborarunt, neque tamen minus bene valent; & infantes variolis demortui longe difficilius aditum injectioni ceraceæ præbent, ac ii, qui juniores cutem puram, variolis nondum defœdatam possident, ut itaque potius ea vasorum hinc appareat subcutaneorum obliteratio ac destructio, quam evolutio. Addes rogo, Optime Præceptor, tuas de hoc opiniones, rationes, & certissimus ero de systematis hujus valore. Missa etiam nobis Wetzlaria est figura monstri infantis, ubi duo infantes abdomine & natibus ita coaluerunt, ut deficientibus ossibus pubis utriusque infantis, in regione pubis communis utriusque infantis fuerit umbilicus, idemque ac continuum ab uno ad alterum infantem abdomen; hinc nullæ partes genitales externæ, nulla urethra, unus saltem anus inter quatuor nates, pedes vero sibi ex obverso invicem implicati. Non memini me unquam simile vidisse monstrum. Duo hi infantes quinque dies vixerunt, & sex horas alter ab altero mortuus est, ejulans ab obitu fratris sui, donec ipse exspiraverit. Sectio ab imperitis proh dolor facta est, qui ne ureteres quidem invenire, vesicam urinariam inflare, aut intestina flatu turgescentia reddere potuerint; tres quamvis Medici ignarorum ignarissimi, & totidem adfuerint Chirurgi. Doleo sane me non monstrum hoc obtinere potuisse, & superstitiosam plebem obstitisse, quominus Patri meo, tre-

centos

centos imperiales illi offerenti, illud concesserint, quippe qui mihi illud transmittere voluerat. Structura enim satis meruisset accuratam inquisitionem, quæ vasorum ratio, quæ intestinorum, quæ ossium pelvis, quæ denique partium genitalium. Sic imperiti detrimento sunt Reipublicæ. Stahliani illi & ignari Medici W . . . ., negante quamvis matre ipsa, causam monstri in coalitis pomis duobus Borstorffianis quæsiverunt, quæ gravida vidisset, & cum nullus eorum in sectione ureteres invenire, aut vesicam inflare potuerit, Assessor Cameræ Imperialis ab Orthmann tandem intestina, ac vesicam per ureteres illos inflare docuit.

Berolini d. 27. Aprilis MDCCLI.

494.

G. A BUNAU.

Cum primum Illustrissimi Mæcenatis nostri de instituenda scientiarum Societate consilium intelligebam, mira jam voluptate perfundebar, ast tali tamen, qualis esse solet, quum dubii eventus timor temperat valde & veluti suspendit. Interim spem firmabat Magni Autoris incredibilis animi constantia, & indefessa prorsus ac insomnis pro litteris augendi contentio. Sustinebant mirifice opinionem hanc fallere nesciam gratissimæ tuæ litteræ, quibus feliciter decretum jam esse eximium hocce opus mihi indicabas. Et tunc voluptati successit gaudium, quod, ne plane in effusam

fuſam lætitiam degeneraret (noſti enim Tullianam hujus affectus cenſuram) dilata celebritas efficiebat. Nunc vero, ubi nuper certiorem me feciſti, auſpicatum eſſe, & quidem Te Sacerdote verba præeunte hanc egregiam doctiſſimorum virorum conſuetudinem, temperare animo meo non potui, quo minus exultaret prorſus, & Saliorum in morem ter ipſe terram pede pulſarem. Non tamen intra hæc externa lætitiæ ſigna res conſtitit, verum quod mireris, tanto incalui fervore, ut repente Poëta ſit factus, & jam Auguſti & Mæcenatis & tuas veluti his coævi Flacci laudes canam, utut forte non inſigni Camœna. Et quidem vix dubito, quin tuum nomen, quod uti frequentius, ita hoc præprimis tempore menti meæ obſervabatur, mihi hoc veſtrum excitaverit. Quis enim Hallerum Muſarum illud *κειμηλιον*, Viro potius *φιλτρον* vel cogitaverit ſaltem *ανενθουσιαςῶς*?

Mitto ergo Tibi, Vir Illuſtris, & amicorum optime, exiguum hoc carmen; tabulam materiæ dignitate maxime commendabilem, quam Auguſti & Mæcenatis ſumma veneratio delineavit, expreſſit vero rudi penicillo profana mea Muſa. Legas, velim, ut amicus. Judicem vero utrum Te expetam an recuſem, anceps hæreo. Illud enim amicitia noſtra ſuadet. Hoc *πεπαιδευμένα ὦτα, και τεχνικα ὄμματα* tua veluti imperant, quæ mediocritatis meæ conſcientia prope reformidat. Interim nec tuam ſententiam prorſus declinabo. Sive enim atrum adjicias lapillum, ſive album & candidum, ſemper a tuo tribunali doctior

doctior discedam, & vel ad corrigendum, vel ad iterandum paratissimus. Ut vero non plane indefensum tuo coram judicio me sistam, causam meam orabunt materiæ difficultas, & audacia non penitus illaudabilis, quippe quæ in magnis a bona voluntate non raro solet excusari. Denique & nosti illud Callimachi: ὁ πολλων ου παντι φαεινεται; imo & Athenæi lepidam observationem: ὑδωρ τε πινων, χρηστον ουδεν αν τεκοις, quod bene exprimit Horatius:

Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus - - -

e quorum numero me tamen profiteor. Si vero penitus iratam mihi Minervam deprehenderer; Deam quæso mihi placares tua Camœna, gratissima certe sacrificatrice atque mysta.

Cæterum ne nimis longa epistola tua tempora morer, & in commoda publica peccem, gratulor nunc Tibi, amantissime Hallere; gratulor doctissimis tuis sociis; imo & potius orbi erudito: & Tibi quidem nova immortalitatis nominis incrementa; illis Te Præsidem & suavissimum Adjutorem, simul ac honores noviter adeptos: isti vero egregium emolumentorum thesaurum, quem insignis & haud fallax expectatio jam spondet, & cujus autor quam secundus tua intercedit & autoritas & eruditio.

Venerabitur semper animus meus illustrem hunc consessum pia mea, ut συνεδριον φανερων αν-

 δρων,

ϑρων, & verum Alexandrinum Musæum, in quo tamen non, ut satyrico sale aspersos illos socios vocat Timon sillographus.

πολλοι βοσκονται
βιβλιακοι χαρακειται απειριτα δηριοωντες
Μεσεων εν ταλαρω.

scilicet meri Philosophi, seu potius Sophistæ, ut bene explicat Athenæus: sed εκλογιμοι ανδρες και πολυμαθεις conveniunt. Macte virtute estote, doctissimi socii! & mox vestrum Musæum erit altera illa τραπεζα αιγυπτια συγκαλεσα . . . τες εν παση τη γη εκλογιμους, uti scribit Philostratus in Vita Dionysii Milesii.

Et quid non sperandum foret sub auspiciis & tutela magni Mæcenatis? quid non exspectandum inclytæ Societati ab incomparabilis sui Præsidis solertia, autoritate, fama? Quid non ab famigeratissimæ urbis, Regiæ Apollinis & Musarum sedis celebritate? Ipsum summum Georgium amantissimum numen, quod ejus sapientissima pacis & belli consilia exoptato semper beavit eventu, imo & expectationem antevertit & superavit, etiam hocce immortalitatis monumentum fulciet, ornabit atque augebit. Quæ est summa voti mei. Hoc ut boni omnes & eruditi lætabuntur vehementer; ita, certe ego vestris nominibus deditissimus & gaudebo semper & exaltabo.

Quod superest, ut me, quod facis, ames, Vir eximie! meque subinde amœnissimis litteris tuis

exhilares

exhilares recrees rogo, iterumque rogo, amo enim mutam hanc abſentium amicorum λογων ὁμιλιαν: & ut habeas, quod aurem Tibi vellicet quandoque, ſequens epigramma ex Anthologia adſcribo.

Η Φυσις ἐξευρεν, Φιλιης θεσμους αγαπᾶσα
  τῶν αποδημεντεων οργανα συντυχιης
τον καλαμον, χαρτην, το μελαν, τα χαραγμα-
  τα χειρων.
Συμβολα της ψυχης τηλοθεν αχνυμενης.

Hoc ſæpius perlege. Et ſic vale. Dabam e Muſeo, Cellis Luneburgicis; ipſis Calendis Maji, ſt. v. CIↃ IↃCC LI.

P. S. Reſtat, ut ſummas gratias Tibi peragam, pro inſigni dono, quo meas Muſas ditaſti nuper, ſcilicet egregiis tuis carminibus. Nondum quidem tam beato mihi eſſe licuit, ut ακριβως legere potuiſſem. Quæ vero legi, tanta profecto dulcedine aures oculosque deliniverunt, ut eorum a lectione ægre ſemper avulſus fuerim.

Subnatæ mihi ſunt inter legendum ſubitaneæ quædam cogitationes, quas huic epiſtolæ placuit jungere, non veluti Te omnino dignor, ſed ut teſtimonium ferant, quantum & Te Tuaque ſuſpexerim.

Adjeci quorum epigrammata, quæ nuper in mortem ſummi Herois Gallici luſi. Acriter enim rideo ſtultum zelum Gallorum, qui, cui ſacra ſua vivo non inviderunt, hunc mortuum & merum cadaver quaſi exilio multant, damnatæ ſcilicet religionis ergo.

Carminis mei levidenſis, ut inprimis celeberrimis tuis Sociis copiam facias, eosque largiter meo nomine ſalutes, rogo ac obtendo.

Inveni nuper libellum Galeni volumini cuidam inſertum *ακαιρως* & incongrue. Hic, ſi tuis uſibus inſervire, vel ſaltem editio non ubivis obvia aliquatenus placere poſſet, vehementer extarer. Vale, iterumque vale.

495.

A. G. KÆSTNERUS.

Diſſertatiunculam, quam judicio Regiæ Societatis ſubmittere audeo, ut benigne ſuſcipias precor. Quod de me narraverunt nova litteraria Berolinenſia & Hamburgenſia, eam vim habiturum non ſpero, ut benevolentiam tuam Vir Generoſiſſime, tantam felicitatis meæ partem, mihi adimat. Quo honore me dignatus ſis, ſcripſi lætabundus Mylio novorum Berolinenſium editori; non expreſſe adjeci inter extranea membra me eſſe adlectum, ſed nec ſcripſeram ut publicaret. Ille egregie de me meriturum exiſtimans, rem in novis ſuis narrat addens plura de ſuo, quæ ego etſi vera fuiſſent publicari noluiſſem, nam ſi gloriolam falſis ejusmodi hiſtoriolis fingendis captaſſem, poteram ante annum & quod excurrit, veriora multo edere. Maupertuiſius enim, quod Germano nulli adhuc credo contigiſſe, omnem dedit operam ut Berolinum me traheret conditionesque

nesque obtulit, qua opimiores ex mei ordinis Academicis habiturus fuiſſet nullus. Neque Patriæ amor me retinuit, qui mihi eſt, ut meretur patria mea, prorſus exiguus, ſed quod malui, Gallum amicum quam Dominum habere. Hæc autem non jactantiæ cauſa ſcribo, ſed ut perſpicias Vir Generoſiſſime, quantum abfuerim a falſis edendis, qui vera tacui. Mylio quamprimum novellas ejus vidi (accipio autem illas paulo tardius) revocationem miſi, quam credam jam prodiiſſe. Zinkio vero ſcripſi, mirari me quod de rebus Göttingenſibus narrationes ex aliis novellis exſcribi patiatur. Recenſionibus duabus adjectis ſi locus aliquis in novis litterariis Göttingenſibus concedi poſſet, gratiſſima mente id agnoſcerem. Schoberus ſcripti, de theoria præpondii auctor Borlachium Conſiliarium Regium metallicæ rei, & inſignem in iis quæ ad machinatricem ſpectant omnibus artificem, in Poloniam ſequutus eſt, ad ſalis fodinas Wieliczkenſes, & adhuc apud eum degit Korſenii prope Numburgum, ubi ſal Borlachio Directore coquitur. Conſequutus vero eſt tanto ſub Magiſtro egregiam rei mechanicæ peritiam, theoriæ ſolidæ, & ſublimioris etiam matheſeos cognitione fultæ junctam. Credo, ſi innoteſcere poſſet occaſione quapiam homo rerum metallicarum hercyniarum directoribus, non inutilem ejus operam futuram; apud nos res metallica fere languet, nec facile emergunt, quibus nulla alia ſunt merita, præter ea quæ homini eſſe dixi. Tranſactionum anglicanarum vertendarum conſilium ceperam ego cum Kœnigsdorfero, qui

Acta Edinburgensia germanice edidit: dum vero bona fide propositum indicamus, Hamburgenses ad illud mutilata quam minantur editione evertendum suscitavimus. Mihi quidem typographia & commercium librarium ita non saltim prodesse nil scientiis videtur, sed etiam nocere, si lucrum solum quæritur, & qui integros germani tradituri erunt Anglorum thesauros, ne id faciant excerpta publicando impediuntur. Si castrandus erat liber aliquis, antequam Germanis traderetur, id fatum merebantur sæpe non transactiones, sed Bufonii somnia.

Quod superest, benevolentia tua, Vir Illustris! ut porro me digneris summis quibus possum precibus contendo: eam si nulla realis certe sincero Tui cultu, & indefesso studio efficiendi, ut non pœniteat Te honore tanto me exornasse demerebor.

Lipsiæ d. 12. Maji 1751.

496.

JO. STEPH. BERNARD.

Ne defuissem officio meo erga Te Vir Illustrissime, nisi varia negotia, quibus per aliquod tempus fui districtus, me inde avocassent. Lætor, quod Tibi se probet studium meum conquirendi Magni Boerhaavii epistolas, & quod gratas Tibi fore scribis illas, quas Tibi nuper obtuli. Accipis

pis jam A. van Bleyswyck epiſtolam ad Boerhaavium, tum excerpta ex litteris Leuwenhoeckii ad virum ſummum, & hujus ad Leuwenhoekium litteras, quas ipſe verti: neque arbitror, ullum errorem a me commiſſum eſſe in verſione, cum ſatis bene belgice calleam. Uteris illis pro lubitu, ac ſi ita viſum fuerit, publici juris facies mantiſſæque loco reliquis practici argumenti addes. Gratulor Tibi de commentario in Boerhaavii methodum ad umbilicum perducto: noli dubitare, quin apud omnes eruditionis æſtimatores æquos maximam gratiam iniveris. Non recordor an memineris Satyræ in Medicos ſcriptæ Leonhardi Agoſti: eſt penes me verſio gallica hujus libri MS. unde cognovi, auctorem inducere Philippum medicum loquentem cum Alexandro Magno, cujus Syrupos narrat & electuaria aliaque, quæ Arabum demum ſagacitas in medicinam invexit: tum culpat ſophiſmata & quæſtiones ſcholaſticas medicorum. Miror quod non addiderit Thomam Aquinatem Alexandro M. coævum fuiſſe. Vellem tamen ſcire, num gallicæ verſionis editio ulla proſtet nec ne. Egregium eſt quod ſcribis, cœpiſſe conſeſſus ſuos Academiam ſcientiarum, quæ ſub tuo Præſidio Göttingæ floret. Decebat omnino primum conſeſſum a Te auſpicari præcellenti quadam diſſertatione, qualem illam fuiſſe præſagio, quam de Hermaphroditis habuiſti. Tecum in eadem ſententia eſſe videtur Cel. Kaau Boerhaave, qui in diſſertatione, quæ in Actis Petropolitanis Acad. novis exſtat, clitoridem prægrandem tragœdiam illam ludere merito tuetur. Non vane

jam augurantur eruditi, fore ut Reipublicæ litterariæ pomœria plurimum ſit promotura Academia Göttingenſis; quo vero id magis innoteſceret, vellem Tu curares inſeri diario gallico Wetſtenii ſociorum nomina & ſtatuta Academiæ. Sed is ego non ſum qui Te doceam, quid ad Academiæ incrementum laudesque ſit agendum, quapropter hic deſino. Vale Vir Ampliſſime ac mihi Tui obſervantiſſimo favere ut facis perge. Dabam Amſtelædami A. D. XVIII. Maji 1751.

497.

J. G. GMELIN.

Non exiguo mihi fuit ſolatio, quod perceperim, non diſplicuiſſe Tibi transmiſſas ſchedas: poſſent enim eſſe doctiores, poſſent etiam plura memoratu digniora continere, ſed ejusmodi ſcopum mihi non præfixeram. Petiiſſem ſponte, ut corrigeretur ſtilus, niſi id mihi a ván den Hoekia vitio verſum iri metuiſſem. Ego certe nunquam vitio vertam, & gratus accipio correctionem a quocunque ſuſcipiendum, modo ſenſus non pervertatur. Nomina Ruſſica vix relinqui poterunt, alphabeto enim Ruſſico carebit van den Hoekia. Forte oblitus ſum expungere. Puto tamen, latinis characteribus me adſcripſiſſe. Nullas Tabulas habeo ad I. tomum præter jam miſſam. Inſero nonnunquam voces Ruſſicas peregrinas Sibiricas, quæ in Ruſſia ignotæ ſunt, Ruſſicis litteris ſcriptas. Neſcio an placeat has in tabula ſculpere.

pere. Id ſi fieret, haberem unam vel alteram. Forte & hi ſumtus evitari poſſent, ſi latinis characteribus ſcriberentur Ruſſicæ voces, quod quidem ego ex juſſu veſtro præſtabo. Paucæ vero illæ facies Tunguſicæ nec merentur ſingulare folium, ſed poteſt parva ejusmodi Tabella inter textum imprimi. Ego paratus ſum, tantam textus copiam transmittere, quanta opus habebitis pro tomo I. Et jam plurima parata & reviſa habeo, ſed mittam omnia ſimul. Optarem unicam tantum habere plagulam impreſſam, aut duas, ut calculum ſubducere poſſem, quot opus foret mearum ſcriptarum ad 30. aut 36. veſtrarum impreſſarum. Rogo itaque, ut prima occaſione unam vel alteram impreſſam mittas. In Itinere Irtenſi diſtantiæ particulares, quia incertæ, non additæ ſunt. Ideo ibi hiatus aliquis eſt in methodo incepta. Sed redit poſtea. Mihi videtur, diſtantias particulares, ſi quæ ſunt, in textu addi poſſe, & generalem poſt aliquam moram. E. g. quando iter Tobolio ad arcem usque Uſt Kameno-gorenſem ad finem perductum eſt, ita fiat.

Tomi quatuor admodum fient. Vellem utrumque volumen. Si vero vertentur in linguam mihi notam, expectabo, donec hoc fiat. Accepi aliqua commoda ex morte Maucharti, faviſſem autem longiorem vitam. Ipſo die paſchatos inopinato, nec prævio multo doloris aut morbi ſigno, diem obiit ſupremum. Cathedra vacans nondum reſtituta eſt. Vale. Dabam Tubingæ d. XXI. Maji MDCCLI.

498.

J. F. MECKEL.

Responsio, quam pro Academia nostra, ad inutile scriptum Dni. de Hahn de variolis, dare me oportuit, impedimento fuit, quominus justo tempore ad gratissimas mihi honoratissimasque litteras tuas respondere potuerim. Satis mirari sane, bene pensitata dissertatione illa, temeritatem non potui, viri, qui non indoctus ceterum videtur. Evolutionem definivit partium corporis præexistentium incrementum, & ei proinde omnia decrementa senectutis, omnisque figuræ ac proportionis corporis mutationem adnumerare non dubitat. Evolutionem vasorum subactaneorum continuo quidem demonstrasse gloriatur, sed nullibi per experimenta probat, nisi ab analogia plantarum, cum tamen gemmæ plantarum sint minime vasa subcutanea, sed nova, ut ita dicam, arboris proles. Pustulam apertam in fundo lanuginem exhibentem pro demonstrandis vasis tanquam indubitatum addunt testimonium, cum tamen ex erosione cellulosæ cutis omnia ulcera tali fundo lanuginoso gaudeant. Serum & pus variolarum, simillimum illi, quod in omnibus ulceribus, ut in panaritio primi gradus ovulorum succo, amnii liquori & uvarum succo simillimum prædicat; cum tamen ovulorum & amnii liquor diversissimi, in loco calido stagnantes nunquam mutentur, sed albumini ovorum similes semper persistant. Chordulas illas, ad explicandam depressionem

preſſionem variolarum in medio puſtulæ aſſumtas, initio vix potui concipere, & deliraſſe mihi videbatur. Nam unde hæc chordula, quam nemo demonſtravit cuticulæ adeo adhærentem, cur in medio puſtulæ & non in lateribus & omnibus punctis hæ chordulæ adhærent, cur in aliis ulceribus ſubcutaneis, in veſicis a cantharidibus &c. hæ chordulæ non apparent. Cutis non exiſtentes tendineas fibras pro cauſa confluentium adducit, cum tamen in ſuperficie cutis ſint nova illa vaſcula, non in ipſa cutis ſubſtantia. Caſus ad probandas hypotheſes adducit nil omnino probantes; & veteribus hunc morbum æque vulgarem ac notum fuiſſe ac nobis aſſerens, Hippocratem accuratiſſimum obſervatorem, quovis anili medico reddit imperitiorem, qui morbum omnibus infeſtum & quovis tempore præſentem plane neglexerit. In curatione XI. dies alvum obſtructam relinquens, tabum ingeſtorum in inteſtinis contentorum putridum, in ſanguinem reſorberi cogit, & tamen ex his humoribus blandum producit variolarum ſuccum. Epilepſiam pro neceſſario auxilio & febrim, ad expellendas variolas ſive vaſa ejus, affert, quæ a natura hinc initio inſtituerentur, quæ Stahlianorum eſt ſententia, a qua tamen ſe longe differre putat, neque verum eſt, bona methodo variolas cum epilepſia ac violenta febri, ægros aggredi, ſi inteſtina contentis ſuis nimiis ac corruptis privantur, antequam eorum putrefactio ex rarefactione epilepſiæ originem dare queant; ſimulque reſolutione materia corrigitur. Nil ſane magis ratione deſtitutum de variolis

lis potuiſſet conſcribi, quam hoc ſcriptum, quod morbum peſſimum, ac contagioſum naturalem efficere conatur, itaque plures homines eo laborantes, neglectis bonis remediis, morti daret. . . . . . videtur autor: Tuum avidus exſpecto, Optime Præceptor, judicium; neceſſe enim eſt, ut temeritati ejusmodi aliquid detrahatur.

Obſtetriciæ illius ſcholæ, mihi imprimis cura demandata eſt; hiberno ſemeſtri duas quavis ſeptimana horas inſtructioni earum impendere, atque tum anatomicam partium huc inſervientium ſtructuram, tum theoriam totius artis obſtetricæ illis tradere juſſus ſum; reliquum, quod eſt in noſodochio Charité dicto, ipſæ manum applicare edocentur. Bene hac ratione inſtructis, ac iis quæ diligentiæ artem edidicerunt, teſtimonium ſolertiæ ac ſcientiæ exhibeo, ut artem proinde exercere permiſſum illis ſit. Difficile erit mulieres, uſu rationis valde deſtitutas, artem hanc addiſcere. Gleditſchii noſtri pugnam cum Mylio experiri nondum potui, illo hinc profecto; quamprimum reſciverim, ejus Te certiorem reddere non deſinam. Gleditſchius nuper de palmarum fecundatione in academica conventione legit. In colligendis plantis occupatur, plurimis elapſo anno deperditis.

Gallia peſſimis nos libris obruit, quorum vidi duos, alterum cui titulus Specimen novi medicinæ conſpectus, ſimillimum Hahniano ſcripto;

to; omnes enim morbos in æquilibrio ſyſtematis phrenico epigaſtrici & cerebri inſanientis modo ponit; alius quidam, nomine Marquet, obſervationes morborum dedit omni ſana ratione deſtitutas.

Berolini die 1. Junii MDCCLI.

499.

J. F. MECKEL.

Materiam diſſertationis aliam, de actione venenorum proponit in ultimis litteris ſuis Sprögelius. Non abſoluta eſt hæc materia in tot libris Autorum, qui de veneno ſcripſerunt, ut parum ſit quod addi poſſet? ſin minus, materiam non crederem indignam diſſertationi. Magis fere Patri Sprögelio illa de inteſtinorum contractione ac dilatatione præternaturali placet, quod plurima hinc in morbis occurrentia ſymptomata poſſint luculentius explicari; ſed nec eam de venenorum actione materiam rejiciet, dummodo quæ nova dici poterunt reſciverit.

De Ungero & Maupertuſium & Eulerum & Formeyum & Kieſſium interrogavi; reſponderunt, ante 5. annos eum machinam obtuliſſe Academiæ, quæ ſyſtema Copernicanum illuſtraret, ex orichalco confectam, nullius momenti. Hominem eſſe minime doctum, ſed mechanicæ artis peritum, & ad inſtrumenta ejusmodi paranda aptum; pau-

pauperem & hinc dono dato cum instrumento suo mechanico sive machina illa ab Academia esse dimissum; neminem de recipiendo illo cogitasse; similis illi fuit Bruknerus mechanicæ artis peritus, qui apud Comitem de Schmettau degens, varias exhibuit machinas, sed eas, artificiosas quamvis, nullius tamen præstantiæ in Mathematicis, Physicis aut Astronomicis invenerunt, & ideo neque is Membrum Academiæ receptus est. Quod valde gratum mihi eventurum spero, Tibique pariter esse acceptum, hoc est: Proposui Dno. de Maupertuis inter Membra nostræ Academiæ recipiendum Dnum. de Bergen, optimum certe & eruditissimum Virum, inter omnes reliquos Universitatum nostrarum Professores tum Hallenses, tum Francofurtenses tum Regiomontanos. Certus spero successurum; & lætus denunciabo illi, quippe conquestus fuit in litteris ad me datis, se in nullam Academiam adhuc receptum, stimulo ad studia magis excolenda destitui. Quamprimum factum fuerit, Tibi scribam. Adhuc omnis illi spes defuit, ad hunc honorem perveniendi, quippe inimicum sibi satis valentem in Academia nostra habet virum, quamvis immerito.

Zinnius ad nos rediit, tum praxeos tum botanices tum anatomiæ causa; exquisitam promittit diligentiam, neque dubito, eum omnem adhibiturum solertiam. Anatomicam Professionem Anspachii ambivit, summaque cum laude demonstrationes anatomicas publice habuit, sed spe excidit;

cidit; alio, eoque parum docto, hoc munere ornato. Egregium est de vasis lacteis, eorumque arcubus inventum, ego eadem vasa nuper repleta in homine vidi, & merc. vivo replevi, ad ductum usque thoracicum; cujus cisternam tres rami verè constituunt, mesentericus, hepaticus, & iliacus.

Berolini die 8. Junii MDCCLI.

500.

J. F. SCHREIBER.

Respondeo ad Tuas, Vir Optime, die 17. Maji ad me scriptas, & ideo exoptatissimas, quod mihi valetudinem tuam satis bonam nuntiant, quam ut Tibi Tuisque Numen sartam tectamque diu servare velit, in notis habeo. Krugero stationem suam novam non invideo. Interim videtur ea effectum dedicationis Illustrissimo a Munchhausen factæ, & quod incomparabilis Halleri versus elegantissimos aliquot, Prologi instar, Pathologiæ suæ præposuerit. Mire crassum plagiarium! quam belle exscripsit Tua, Swietenii, & aliorum; homo nullarum linguarum, nullius bibliothecæ, cui tamen Italorum, Gallorum & Anglorum inventa perspecta sunt omnia. Quoties ei publice objecerunt, quod Hambergeri Physicam germano, & sæpe theatrali certe habitu induerit.

Quod tussim persequutus, nihil inveneris, doleo & miror. Felicior fuit *D. Schlichting* si vera

ra ſunt, quæ ſcripſit in ſua diſſertatione *de motu cerebri*, in qua modo lego ſequentia: *Canes, ore & naribus compreſſis, acribus ori ac naſi injectis, ſternutare, tuſſire, atque ita fortiter reſpirare curavimus.* De ratione verticis capitis ad tuſſim alia experimenta non habeo, niſi ea, quæ jam diu ſcripſi: (1.) a denudatione verticis capitis in hyeme oritur tuſſis, in multis *C. Piſo.* (2.) A compreſſione capitis manu facta, ſedatur tuſſis *Bagliv.* (3) Ab adplicatione emplaſtri de Tacamathaca ad verticem capitis, excitata tuſſis *Kæhlerus* in Act. Nat. Cur.

Quæcumque de tuis, Vir Illuſtris, in ſalutem proximi, & veſtræ Academiæ gloriam, cum ſuſceptis, tum ſuſcipiendis laboribus memoras, ea potius admiror, quam imitabor. Sed ante omnia multum gaudeo, quod magnum phyſiologiæ opus, ſtilo faciliore & continuo ſcribendum, jam inceperis. Sed operam da, quæſo, ut ſpes noſtra ſit, quantum poteſt, breviſſima. Scriptum Nobil. de Hahn, variolarum ratio, legi. Sæpius cogitavi, deſiderari in phyſiologia propoſitiones determinatas circa evolutiones, ex regno vegetabili & animali petendas, in quarum doctrina exceptiones feciſſe videntur obſervationes D. Tremblay. Defectum illum notavi ante annos aliquot, quum legerem argumentum Lemeryanum, ab hac evolutione in doctrina pro via ſanguinis per foramen ovale deſumtum. Ex ejusmodi propoſitionum adplicatione facile pateret, an variolæ in cenſum evolutionum admitti queant.

Vale,

Vale, meque favore tuo ulterius prosequere. 17 8/6 51. Petropoli.

Quod Tibi Nobiliss. D. D. Tralles Vratislaviensem meliore de nota commendem, id facio, ut ipsius voluntas hac in re obsequar. Nemo enim Te melius novit præclara ipsius in rem medicam merita. Iterum vale!

501.

G. A BUNAU.

Locum inter eruditos tuos sodales, quem illustris Societatis nomine tam humaniter & benevole mihi obtulisti, amantissime Hallere, lubentissime, profecto, in me suscipio. Peculiaris tui erga me affectus & amicitiæ insigne τεκμήριον hic agnosco, idque animo gratissimo. Te enim Auctore atnam Suasore hunc mihi decretum esse honorem nullus dubito, imo confido. Avidissime igitur exspecto Diploma vestrum acceptissimos illos amœni officii codicillos. Et quamvis mediocritatis meæ nimium quantum sim conscius, curabo tamen, ne, quam in me conferre voluistis, dignitas, quieta plane, ut cum Cassiodoro hic loquar, sit, & otiosum cingulum.

Progressus, quos doctissima Societas per singulos menses feliciter facit, vobis gratulor gaudeoque Te, Vir Illustris, tam docte facem prætulisse eruditis sociis. Ejusmodi exemplum & lucem accendit & animos, nobili æmulatione alias

jam calentes. Cæterum valde optarem, ut legere mihi liceret, quæ egregie de Androgynis es commentatus. Hermaphroditos ego quidem semper pro monstro potius vel si mavis pro ostento habui. Dari enim, qui utrive sexui possint inservire, vix credo; qui vero uno saltem prævalet, androgynus dici non meretur, sed potius, uti vocat Lucianus, αμφιβολον ἄινιγμα διπλῆς φυσεως. Eleganter in Anthologia Hermaphroditus dicitur habere: μαζους σφρυγοωντας, και σχῆμα φυτοσπόρον ἄρσενος αιδὂς, ξυνῆς ἀγλαιῆς κεκεραμένα σηματα.

De elephanti ossibus quod dubitas, Tecum sentio. In nostras enim frigidas oras quemadmodum vel olim pervenerit ejusmodi animal, vix hariolatione est assequendum. Qui omnia inextricabilia diluvio magno tribuunt, forte huc recurrent. Ast ego hisce nugis non faveo. Repertus jam circa finem præteriti seculi dens fuit animantis cujusdam immensi & incogniti propter Brunsvigam, quem elephanti fuisse vulgus tunc temporis voluit. Ast & hanc conjecturam recte in dubium vocavit Leibnitius, uti patet ex epistola hac de re ad Reginam Borussiæ gallice perscripta, quam exhibet Ludovici in Historia suæ Philosophiæ Leibnitianæ, P. II. p. 205. Inclinat vero potius eo, ut bovis marini, quales in Mari Balthico conspectos quandoque esse testatur, dentem declararet, utut incertus adhuc hæserit & circa hanc sententiam. Cur *Boves Lucas* Itali olim dixerint elephantos, vellem ex Te scire. Solini

enim

enim explicatio hujus appellationis, & cui inhæret quoque doctiſſimus ejusdem commentator, ὁ πανυ Salmarius in Oceanó ſuo eruditionis, mihi profecto non arridet. Quid enim, ſi nos vel hodie Rhinocerotem, quod primum Germani in Rhætia hoc animal viderint, urſum rhæticum vocaremus? Inepta foret hæc a loco, nec animantis originario deſumta denominatio. Nec placet, quæ hanc in rem Salmaſius pro explicanda voce *Lucas* profert, utut mire & docte uti ſolet, quandoque, ſe torqueat. Num forte boves Lybicos, & poſt contracte Lykos & Lucas dixerint Itali, nil definio. Interim ridicula omnino & ſalſe ridenda eſt Baronii Cardinalis conjectura, cujus & meminit Salmaſius l. c. ad cap. 25.

Cl. Kæſtneri diſſertationes quid docti argumenti contineant, ſcire vellem; ab hoc præclaro ingenio nil niſi exquiſiti proficiſci poterit. Vir eſt profecto multiſcius, & elegantioribus litteris inſigniter tinctus, & Mathematicus humanior; nec uti plerisque his abſconditis ſcientiis dediti repeřiuntur contracti ſupercilii.

De numero & Membris reliquis omnibus Societatis egregiæ proxime ut mihi quoque ſcribas, rogo abs Te atque peto. Quod ſupereſt, vale, Amicorum Optime, & me amare perge. Dabam Cellis Luneburgic. d. 15. Junii 1751.

502.

JOH. GESNERUS.

Pergratæ fuere humaniſſimæ litteræ, quibus præclara facta & molimina Academiæ Göttingenſis me doces, & præprimis utiliſſima tua in vivis animalibus experimenta, quæ ſane egregia nec ſatis hactenus tentata ad veram Phyſiologiam via. Ex primis Phyſiologiæ tuæ lineis, quas Studioſis medicinæ explico, intelligo quænam in majori tuo opere exſpectanda ſint. Det Deus Tibi ſanitatem & otium, quo præclarum opus abſolvas. Perplacuit tuus in Crouſazii opere labor, & ea quæ præfatus es, & plurimum inde ad Dei honorem veramque pietatem fructum præſtolor; placet etiam noſtris Theologis eximium opus & præfatio.

Linnæi Philoſophiam botanicam legi, plenam doctrinæ & experientiæ botanicæ, cum multis & novis & mutatis vocum determinationibus. Erunt quibus ſibi multa vel nimia, aliis nimis pauca tribuere videbitur. Vale. Tiguri d. 19. Junii 1751.

503.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Si ea, qua ſemper me uſus benevolentia non plane indignum me exiſtimes, ſpero fore, ut excuſes

excuſes meum plusquam ſemeſtre ſilentium, ex eo forte profectum, quod iniquum eſſe ducerem, Virum tot tantisque negotiis obrutum, litteris exigui momenti ſæpius interpellare. Berolinum vero nunc redux non poſſum, quin paucis hiſce affirmem, quam obſtrictum me Tibi, Vir Illuſtris, ſentiam, quod me abs Te amari, laboresque meos non plane Tibi diſplicere, publice teſtari volueris. Tanto enim teſtimonio ornatus cum redirem, contigit mihi, ut, occaſione data, cadaver humanum publice diſſecandi, & coram Medicis aulicis demonſtrandi, honeſtiſſimi illi Viri, unanimi conſenſu, dignum me judicarent, quo muneri anatomiam Onoldi docendi admoverer. Inſtitutum nempe eſt a Sereniſſimo Principe, ut conſtitueretur Medicus, qui Chirurgos aliosque harum rerum curioſos in Anatomicis & Chirurgicis inſtrueret, quem in finem, quotiescunque ſeſe offerret occaſio, cadavera in theatrum anatomicum inferri juſſit quam clementiſſime. Etſi vero quidem machinationibus quorundam Aulicorum res eo ceciderit, ut, refragante licet Collegio medico, munus hoc in alium per aliquot jam annos Onoldi degentem, conferretur, laudi tamen mihi duco, quod a laudatiſſimis & honeſtiſſimis illis Viris laudari mihi contigerit. Ne autem fumum me Tibi vendere velle videar, aut in ſuſpicionem vanæ oſtentationis incurram, nonnulla, quæ a Medicis aulicis in diſcipuli tui commendationem ad Sereniſſimum Principem ſunt perſcripta, brevi transmittam, quo Tibi conſtet, me, quod hac in re ſpe exci-

 derim,

derim, ignorantiæ turpi non debere. Interea quasdam his litteris subjungere volui obſervationes tam anatomicas, quam diſſectionem illius cadaveris, quam botanicas, quas excurſiones quædam in vicinum agrum ſuppeditarunt, leviuſculas quidem, Præceptori tamen hanc ob rationem fortaſſe non ingratas, quod his in rebus diſcipulum amplius progredi velle doceant. Botanice certe ſemper ſummum mihi erit ſolatium, quum adverſa fata ab anatomicis laboribus ad praxin me depulerint. Tu vero levidenſia hæc comis accipias, favoreque tuo & in poſterum me complectaris. Velim quod reliquum eſt, gratulor Tibi, gaudeo mihi, quod vires tuæ, ex iterato morbi inſultu imminutæ, fuerint redintegratæ, & in poſterum ut propitium Numen Te ſalvum vegetumque ſervet, opto. Scripſi Berolini d. 21. Junii 1751.

Obſervationes anatomicæ

ex femina circiter quinquaginta & quinque annos nata.

Vena cordis coronaria magna inſigni erat munita valvula, lacertulis quibusdam carneis ab altero fine ad alterum extenſis, more valvularum cordis arterioſarum, firmata. In parte vulvulæ dexteriori ſtructura erat reticularis, ita quidem, ut fibræ a columna ſiniſtra fornicis foraminis ovalis ortæ plurimas inter ſe relinquerent areolas vacuas, qualis fabrica jam quoque fuit obſer-

vata Morgagnio & Glaſſio. Paulo ſuperius patebat in auriculam vena illa innominata, deſcripta in Diſſert. Præceptoris ſumme venerandi §. XV. n. 6. de vaſis cordis propriis in Comm. Boerh. Vol. II. §. 83. p. 109. not. m. Vena ad minimum dimidiam partem coronariæ magnæ æquabat, valvula vero quoque lacertis carneis munita. Aliæ plures venulæ per unum tantum orificium, valvula communi tectum, patebant, quæ fabrica jam deſcripta in Diſſ. cit. de vaſis cordis propriis §. XX. not. c. d. Valvula foraminis ovalis, parieti venæ pulmonalis nondum plane agglutinata, ſacculi inſtar ſcalpelli manubrium ſatis alte admiſit. Valvulæ cordis arterioſæ magna ex parte calloſæ & quaſi cartilagineæ, ita quidem, ut durities illa cartilaginea a corpuſculo arantii deſcenderet, & per triangulum illud curvilineum, in figura Morgagniana T. IV. f. 3. expreſſum, quaque verſum diſpergeretur, cum limbus ſuperioris valvulæ adhuc eſſet membranaceus. Orificium tubæ Fallopianæ altero in latere ligamento præternaturali plane conſtrictum, ut nonniſi illo ligamento remoto flatum transmitteret. Ovaria veſiculis erant pleniſſima, quarum plures repletæ liquore turpi opaco, aut paries illarum interna erat obducta pigmento quodam nigro, uti fere choroidea oculi. Quædam imprimis turgebat veſicula coagulo quodam ſanguinis & materiæ, pus craſſum æmulante, referta. Pars poſterior vaginæ omnino levis, maculis multis nigricantibus, planis diſtincta. Maculæ hæ in fœmina provectioris ætatis adhuc obſervatæ certe non ſavent

 opinioni

opinioni illorum, qui ex his maculis obſervatis, menſes ex vagina fluere, probare ſtudent. Uterus mucore repletiſſimus.

In anteriori parte duræ matris ſub oſſe frontis ad utrumque latus ſinus longitudinalis duæ apparebant maculæ oſſeſactæ, unguis fere magnitudine, quibus fovea in ipſo oſſe erat aptata.

Obſervationem quandam inſignis ani annectere libuit.

Vir quidam juvenis, triginta circiter annos natus, faber doliarius, antea per aliquot annos miles, hæmorrhoidarius, in itinere febri corripitur intermittente. Brevi tamen morbo hoc liberatus iter proſequitur. Paulo poſt inteſtinum rectum in dejectione fecum aliquoties illi procidit, ut tamen ſemper ipſe digitis illud reponere poſſet. Cum vero in agro Onoldino alvum vellet exonerare, inter magnum in excretione nixum inteſtinum rectum ita protruditur, ut ad ſpithamæ fere longitudinem propendeat, accedente ſimul enormi hæmorrhagia. Infortunium hoc pauperi homini, panem oſtiatim petenti, ſub dio in foſſa contingit, quo viſo, femina itineris comes, in pago vicino, Lehrberg dicto, barbitonſoris auxilium implorat, qui decocto ex herbis quibusdam roborantibus inteſtinum fovere digitisque reponere ſtudet, ſed incaſſum. Interlapſo abhinc ſex hebdomadum ſpatio contigit mihi miſerum hunc hominem videre, jacentem in tugurio ventis perflabili; ſub fine Octobris tempore pluviali

pluviali jam imminente. Inteſtinum propendebat ad ſpithamæ longitudinem, valde tumefactum, ſed nec gangræna, nec cancro infeſtatum, ut motus periſtallicus perfecte poſſet conſpici. Præterea tam in perinæo, quam ad latus ani aderat fiſtula, quæ perpetuo ichorem fœdum acrem ſcillabat, ut non ſolum partes vicinæ excoriatæ apparerent, ſed etiam corpus jam exhauſtum plane extabeſceret.

Nonne probabile eſt, ab inflammatione ex difficultate dejectionis hic nata, fiſtulam fuiſſe productam, ut, deſtructis ſenſim ligamentis inteſtinum rectum magno a nixu plane potuerit inverti, ſphinctere adhuc integro?

Plantarum paucas tantum nominabo, aut non ubique vulgares, aut in quibus aliquid dubii mihi ſupereſt. Præter Herniariam, Iberin fol. ſinuatis, aliasque ſabuloſi ſoli amantes, inprimis gaudio affecit Polygaloides, quam in coryleto inveni. Certe non video, quomodo planta hæc ad genus Polygalæ poſſit referri. Non ſolum enim Polygaloides fimbriato illo ornamento, ſed etiam petalo illo bifido, quod loco vexilli eſt, deſtituitur; & Polygaloides ſemper ex paucioribus conſtabit floris partibus, ſive Polygalæ calicem trifidum, ſive quinquefidum dicas. Alæ & carina plane differunt. Præterea ſtaminum filamenta in Polygala ſunt connata, in Polygaloide libera. Miror, quod neque Linnæus, neque Ludwigius conſilium tuum fuerint ſecuti. In Pulmonaria anguſtifolia flore cæruleo, contra morem gentis ſuæ, ſæpiſſime

me duo tantum reperi ſemina, & quidem flore nondum delapſo, ut nullus errori locus ſit. Cur Linnæus & Ludwigius in Statice limbum calycis proprii dicunt eſſe integrum, qui ſemper in quinque acutos graciles dentes deſinit? Reliquæ non adeo vulgares ſunt.

Chryſoſplenium in ſylva abiegna montoſa. Ariſtolochia; in loco gramineo horti patris. Muſcari latifolium, ſummis floribus in longis petiolis erectis, in ſylvis Sagittaria.

Papaver erraticum capitulo longiore hiſpido; in apricis. Ranunculus aquaticus folio rotundo & capillaceo. Nonne folia peltata rotunda vetant conjunctionem cum reliquis aquatilibus folio capillaceo. Butomus flore roſeo. Geranium pedunculis ſimplicibus unifloris; in coryleto. Caryophyllus prolifer, ubique in macilentis. Alſine fol. gramineis, petalo ſemibifido, in dumetis. Lycopſis ad margines agrorum. Bugloſſum in apricis dumetis.

Alyſſum fruticoſum incanum; in arenoſis apricis. Iberis fol. ſinuatis caule ſimplici, cujus jam mentionem feci, vulgatiſſima eſt planta. Cardamine fol. pinnatis ſubrotundis anguloſis Enum. Helv. 558. in foſſis frequens. Fumaria radice bulboſa ſolida, fol. inter flores digitatis; non rara in dumetis. Chondrilla juncea; in macilentis. Lactuca fol. ſemipinnatis, coſta ſpinoſa; nil frequentius. Hyoſeris maſcula; ſubinde inter ſegetes.

getes. Lichen pyxidatus ramosus acetabulis fimbriatis.

Omnes fere hic dictæ plantæ ineunte hoc vere sunt repertæ. Priori enim æstate nil fere temporis his deliciis tribuere licuit, variis itineribus aliisque negotiolis districto. Excusabis ergo paupertatem discipuli.

504.

J. F. MECKEL.

Repeto gratiarum actionem, quam Tibi imprimis Optime Præceptor, pro honore receptionis in numerum sodalium exterorum Academiæ vestræ Regiæ, debeo. Symbolum tradere non negligam, quamprimum dignum tuo judicio, aliquid elaboravero. Observatio Tarini de anastomosi vasorum chyliferorum cum mesentericis neque inaudita est, neque tam certa. Nam sæpe mihi in infantibus contigit hac hyeme universali injectione, repleta villosa intestinorum & ipsis intestinis, vasa chylifera cum ductu thoracico integre replere. Sed id ex regurgitatione materiæ ex intestinis fit, non vero ex anastomosi cum mesentericis, alias longe frequentius fieret. Miror elegantem Brouningii disputationem.

Traditum nunc est Hahnio de libro suo judicium meum, in publica lectione omnibus Academiæ Membris comprobatum.

Elegans

Elegans eſt de ovis in tuba inventis die 13. obſervatio. Lieberkühnius omnia videt, & hinc & ſe aliam globulorum ſanguineorum figuram, & in ſemine hominem vidiſſe gloriatur quidem, aſt apud illos tantum, quibus phyſicarum & phyſiologicarum rerum nulla eſt cognitio; admonitus autem a Præſide noſtro & permultis aliis, ut publici juris obſervationes ſuas, diu jactatas, faciat, plane ſilet, & loquacem ac glorioſum, minime vero prudentem ſeſe obſervatorem prodit. Id enim ei moris eſt, ut hodie alteri dicta, craſtina die ſeſe dixiſſe neget; quare his experimentis, donec in publicum eadem proferre auſus fuerit, fides tradenda non eſt.

Berolini die 22. Junii 1751.

505.

J. C. RAMSPECK.

Dubius hæſitabam, quamnam proprie plantam intelligeres, cum verba epiſtolæ tuæ mihi ſatis clara videbantur, ita enim ais: *Rhamnum ſeu Frangulam f. ſerratis ſupra Dornach creſcentem, cujus maſculos flores deſidero depictos etiamque ramos ſiccatos.* Quum Auctores botanicos præſertim vero Enumerat. Helv. evolviſſem, nullam plantam reperire potui nomine Rhamni, cujus ſynonimum eſſet Frangula, excepta *Frangula ora*

folii

folii integra Enum. Helv. p. 164. quæ a Linnæo *Rhamnus inermis* &c. vocatur. Sed Rhamnus & Frangula in eo differunt, quod illius plantæ aliæ flores solos mares habeant, secus ac ista, cujus flos semper androgynus: suspicabar tandem omnibus rite pensitatis Te nihil aliud, quam Rhamnum catarcticum seu Cervispinam intelligere, quæ in quibusdam plantis solos flores masculos habet. Sed aliam ob causam dubitabam Te Vir Generosissime! Rhamnum catarcticum desiderares, quum ubique fere crescat in Germania in sepibus juxta Ruppium p. 94. & probe recorder, non procul Göttinga eum aliquando a nobis fuisse repertum: porro mirabar, cur supra Dornach solum crescere eum asseras, cum circa Munchenstein, Muttenz, aliisque locis magna copia reperiatur. Omnibus autem hisce dubiis postpositis jussui tuo Vir Perillustris! qui immortaliter de me meritus es, obsequium denegare religioni ducens jam præterito mense Majo Dornaco versus sum exspatiatus ibique cum sat magna copia reperi verum flore adhuc destitutum, quam heic locorum per totum Aprilem atque Majum tempestas pluviosa ac frigida regnaverat, reverti vero illuc præterita hebdomada læteque florentem deprehendi tam eum qui flores habet androgynos, quam qui masculis solum est præditus, cujus posterioris figuram secundum jussa tua hic mitto, quemadmodum a pictore ope lentis simplicis delineata est. Si forsan icon ista Tibi non satisfacit, persuasus sim velis culpam meam non esse, quum omnem curam pro officii ratione adhibuerim.

Ramorum

Ramorum ſiccatorum proxima occaſione cum libris deſideratis Te Præceptor Colendiſſime! compotem reddam præter nonnulla gramina haud vulgaria, in quibus enodandis adhuc laboro, nil obſervatu dignum reperi præter *Alſinam tetrapetalam foliis peranguſtis leviſſimis* Enum. p. 390.

Quod ad conſtructionem templi Göttingenſis attinet, Archigrammateus noſter Dom. Paſſavant, quem hanc ob rem inviſi, ſpem mihi injecit, Magiſtratum noſtrum æque ac Bernenſem Tigurinumque nummos ad pium hoc inſtitutum largiturum, Teque Vir Perilluſtris meis verbis plurimum ſalvere cupit. Ego juſſa tua ulteriora exſpectans lubentiſſime hoc in negotio quocunque potero modo, inſerviam.

Celeberrimo Joh. Gesnero nuper Commercium epiſtolicum Stæhelini (quod poſſideo) litteras nempe, quas ab aliis eruditis accepit, lubentiſſime, quum id a me petierit, perlegendum transmiſi, nolui autem, quas Tu Vir Perilluſtris! ad Stæhelium dediſti, epiſtolæ cum alio quocunque prius communicare, quam Te prius compellaverim juſſaque tua cognoverim; talia enim ſæpius ad amicos ſcribuntur, quæ nulli niſi inter quos commercium epiſtolicum intercedit, nota eſſe debent; itaque certiorem me ſi placet facias, anne faſciculus litterarum tuarum ipſi concedere auſim nec ne? Laudatiſſimus iſte Vir, de cujus erga me benevolentia mihi mirifice gratulor in epiſtola ad . . . . . ſcripta, quam ipſe vidi,

di, multis encomiis me meumque ſpecimen mactavit, quantumque optaret ut ego ſpartam vacantem obtinerem, ipſi nuntiavit, verum humaniſſimus iſte Vir ſurdo fabulam narravit, is enim . . . . animus, ut quantum laudis ac dignitatis ad alios præclaros Viros accedat, tantum de ſua detrahi credant.

Seelmatterus haud ita pridem laurea doctorali coronatus fuit, quum de morbis circa Tobinium familiaribus prius diſputaſſet.

In agro Müllhuſino Scirpus quidam a Medico Hofero nuper repertus eſt, cujus exemplar huc transmiſit, quod obiter tantum & per tranſennam conſpicere mihi licuit; parvulus eſt, ſemipollicis ferme magnitudine; audio nullibi niſi in Michelio exſtare deſcriptum nomine *Scirpi ſtellati &c.* Dominum Pharmacopæum Risler amicum meum per litteras heri rogavi, ut exemplar mecum ſi poſſidet communicet, quod cum aliis ad Te Vir Perilluſtris! transmittam.

Dabam è Muſeo d. XXIV. Junii 1751.

506.

J. G. GMELIN.

Diploma accepi, gratias ago maximas, & curabo, ut alicui veſtræ exſpectationi ſatisfaciam. Accepi etiam ſchedam impreſſam, & vidi, magnam

gnam omnino textus quantitatem requiri. Vix mihi perſuaſum eſt, duos tomos ante hiemem abſolvi poſſe. Scopum in itinerario mihi præfixum in introitu operis judicavi, quem non facile in totum mutare potero. Scripſi pro omnis generis hominibus, qui, licet re litteraria non valde ſint imbuti, intelligere tamen poterunt, quæ conſcripſi. Icones piſcium, quadrupedum, aviumque omnes relictæ ſunt in Ruſſia. Ergo nullam ex iis communicare potero. Inſpergam autem in poſterum aliquas naturalium rerum deſcriptiones, etiam de frigore & calore, ut & de gravitate aëris paſſim quædam commemorare potero. Eo tamen mihi annitendum eſt, & ſcriptio ea ratione inſtituenda, ne vitio mihi vertant Ruſſi, quibus muſcum in elephantum transformare æque facile eſt, quam Siverſio fortuitum molecularum concurſum in lapidem muſicum. Ruſſica nomina corrigo omnia, niſi prætervideam. Qui ſtilum curat, quando perlegit meum exemplar, poterit vel rudi penicillo illa adumbrare, ut facile intelligam, & corrigam.

Aſpera, hirta, ſtrigoſa facies Africanorum minus ſufficiet pro charactere, quam capilli nigri, lanæ ſimiles. Orchis militaris humilior Tourn. qualem depingit Vaillant, apud nos copioſiſſima eſt; quam vero Tu ſub eodem nomine habes, ſpinula ex diviſione cruſculorum præditam, eam etiam apud nos inveni, ſed multo præcociorem. Spinula in illa ſemper præſens eſt, in altera in ducentis exemplaribus nullam vidi. Nulla ceterum

rum differentia. Hieracium, ni fallor, apud nos copiose crescit, sed speciem eruere nondum possum. Vide aliquot folia de infimis mediis & summis. Flores paniculati, parvi, lutei, circiter 20. flosculis constantes. Calix glaber, simplex, infra funda exceptus. Planta ramosa, bicubitalis, attactu leviter viscida, lanuginosa. Pili seminum rari, molles. Quæ quæso species? Affinitas est cum Hieracio montano latif. glabro minori B. & propter parvos flores cum Hieracio montano altero λεπτομακροκαυλῳ. Vale & in perfectam sanitatem redi.

Dabam Tubingæ d. XXV. Junii 1751.

507.

JOAN. FRID. MECKEL.

Vehementer doleo cari Sprögelii morbum, satis, pro generoso venæsectionis & remediorum usu, magnum; quem tamen hoc octiduo ad meliorem valetudinem rediisse & spero, & ex animo opto. Eodem modo, paulo tamen vehementius laborantem, ante quinque annos habui, plethora tunc morbum faciente. Febris erat acutissima, unius diei spatio ad delirium evecta, quod post adhibitas venæsectiones, & plurima resolventia, asthma convulsivum excepit, suffocationem minans. Præter copiosa resolventia nitrosa, ac copiosa diluentia nil dedi, declinante vero morbo, tenuibus jusculis, iisque acidulis, aut ex fructibus horæis

ſiccatis præparatis, ac in fine pauco vini dulcis cum pane eodem madido vires refeci, brevi tunc recuperatas. Pectus ejus vel pulmones non plurimum valent; ægrotavit hic pleuritide ante 7. annos, in veram ſuppurationem abeunte, ulcere tamen optime iterum curato, ex quo verum flavum pus per plures ſeptimanas exiebatur.

Novi nil habeo quod addere poſſem, ſed id tantum rogo, ut ægrotantem Sprögelium Tibi habeas commendatiſſimum; quem plurimum ex me ſalutes oro. Sæpius jam, & hodie adhuc Ill. Sprögelius Tibi reſpondere voluit, ſed ob nimios labores plane impoſſibile illi fuit, & ab hora matutina ſeptima ad veſpertinum tempus domum nondum rediit. Officioſiſſime Te ſalutat, & fauſta quævis ex animo apprecatur. Thema diſſertationis, quod de veneno optimum crederem, non tam placet Sprögelio Patri, ac illud de expanſione inteſtinorum præternaturali, & ejus in reliquum corpus effectu; ſub quo omnes a flatulentia, & nimia repletione exortas inteſtinorum dilatationes complectitur. Eandem materiam Ellerus probavit, & fertiliſſimam, ad bona inde in theoreticis & practicis eruenda opinatur, quare theoretice explicare ex ſtructura inteſtinorum nimiam dilatationem & inde orientem effectum poterit, iisque practica ſubjungere.

Vale venerande Præceptor, viveque cum Tuis feliciſſime ac tranquilliter, me vero favore, benevolentia ac amore tuo dignari ne deſinas, enixe rogo. Berolini die 29. Junii 1751.

508.

508.

J. F. MECKEL.

Exoptatus mihi, per gratissimas litteras tuas, fuit nuntius, de secunda & meliori valetudine Sprögelii nostri, maximasque Tibi gratias ago, pro summa tua in illum bonitate ac benevolentia, quem indefessa cura ac saluberrimis consiliis tuis salvum reddidisti; ut & pro tuo in me favore ac amore, quod litteris tuis de convalescentia dilecti juvenis me certiorem atque tranquilliorem reddere volueris. Non memini eum unquam de pressionis sensu in sede sterni, eo tempore quo cum illo post morbum degi, questum esse; & & nisi a suppuratione pulmonis hic Berolini ante 7. annos perpessa vitium & adhæsio remanserit, vix poterit ab eo morbo, quo ante quadriennium Göttingæ laboravit. Is enim acutus tantum fuit, insequente tamen violento asthmate convulsivo. Optime sese ab hoc morbo habuit, & robustissimus redditus est. Plethora vero adeo aucta in dies fuit; ut dolores capitis & sanguinis profusiones vehementer venæsectionem copiosam requirerent. Hinc a plethora nimium aucta poterit aliquando factum esse, ut pressionis sensum sub sterno persenserit, remanente & præsente simul pulmonum adhæsione a morbo illo suppuratorio. Quare hunc pressionis sensum nil aliud indicare, quam repetitionem venæsectionis in corpore summo plethorico, fere putarem; nil vero, ad resolvendas, quæ forte in pulmone superesse

 possint,

possint, obstructiones, & ad diluendam sanguinis massam, magis prodesse potest, ac usus seri lactis, quo etiam hic post vehementem illum morbum convaluit; nam roborantibus robustum juvenile corpus egere, vix puto, quæ facile, si opus fuerit, ex amaris dari poterunt; repetitionem vero venæsectionis convenire, ac utilem fore crederem. Præsens optime judicabis, quid necesse sit, ad integram valetudinem recuperandam, neque tuis consiliis aliud quid salubre magis esse potest. Si debilitas venæsectionem dissuaderet, copioso seri lactis usu, junctis additisque simul laxantibus, idem fere effici & obtineri poterit. Plura Opt. Pater, si tempus ad scribendum sufficiet, addere non negliget.

Vera esse, quæ de Lieberkühnio scribo, ex eo colligere potes, quippe nunc iterum de se jactitavit, se ex semine & spermate virili, extra uterum, fœtum humanum solo fotu producere posse; qui rumor totam urbem pervagavit; ipseque Maupertusius mihi dixit, Lieberkühnium imprudenter hæc de se gloriari. Paracelsicum forte homuncionem imitari vult, ex quo commenta sua sumsisse videtur; sed nihil horum artis peritis dicere audet, tantum abest, ut scriptis paradoxas suas sententias evulgaverit.

Berolini die 6. Julii 1751.

509.

509.

G. A BUNAU.

Accepi Vir Illustris amoenissimas tuas litteras & simul his junctum Diplomatis vestri exemplum. Spirat hoc fateor, undique amorem tuum erga me, & communem vestram benevolentiam, & egregiam, quam de me fovetis existimationem. Et sicuti tantis Viris placuisse saltem non ultima laus est, ita certe nihil honorificentius accidere mihi potuisset, quam a talibus laudatissimis & doctissimis Viris tam eximio encomio publice mactari. Debeo pro hoc præcipue Tibi, Amico optimo, & præterea omnium, qui litteras amant & colunt, fautori. Mihi vero nunc & imposterum nihil erit antiquius, nihil magis curæ, cordique nisi, ut me vobis vestro delectu haud prorsus indignum, & socium, utut meritis & eruditione, tamen cultu & amicitia vobis neutiquam inferiorem, probarem.

Cæterum remitto Tibi, Vir Illustris, Diploma, ut, quamprimum fieri poterit, amicissimo & celebratissimo tuo nomine & roboratum & ornatum recipiam. Si verbis: *Collegam exterum* addere placeret, & *Honorarium* grata mente agnoscerem. Amicorum & exterorum quorumcunque, quibus copiam solemus facere ejusmodi testificationem, hæcce fiant causa. Ad me enim quod attinet, honori vestri sodalitii per se nihil amplius adjiciendum vel scirem, vel cuperem. Et cum

iter Saxonicum, quod facere quotannis ſoleo, intra proximos XIV. dies mihi eſt ſuſcipiendum, augebis, amice optime, beneficium, ſi hujus temporis rationem habere velles. Gratior enim & ornatior erit hæc, quam paro, profectio, ſi hoc docto veſtro veluti commeatu munitus ſum. Præterea in animo mihi eſt Illuſtriſſimum Comitem Bunavium inviſere, apud quem, inſignem omnium Doctorum Mæcenatem, uti de meritis tuis non ſilebo; ita & benevolentiam erga me deprædicare, tantoque ſpecimine probare vellem.

Dabam Cellis Luneburgic. die 1. menſis Julii 1751.

510.

FRANC. MARIA ZANOTTUS.

Cum illud Academiæ noſtræ propoſitum ſemper fuerit, ut litteratiſſimos quosque Viros ſibi adjungeret, ſibi ipſa defuiſſe videretur, niſi Te Virum omni doctrinæ genere ornatiſſimum, in Collegas ſuos, quod nuperrime fecit, cooptaſſet. Ego autem & mihi, & Academiæ deeſſem, niſi id Tibi, quod libentiſſime facio, ſignificarem. Tu velim Tibi perſuadens, & Academiam noſtram prorſus tuam eſſe, & me in primis. Vale Vir litteratiſſime.

Bononiæ Kal. Quintil. A. MDCCLI.

511.

J. F. MECKEL.

Dissertationem de Venenis nunc approbat Sprœgelii Pater, postquam prolixius cum eo locutus repetito monstravi, quantum præ ratiocinio solo valeant experimenta, quæ in hac materia omnem dubitationem tollere possunt; nova vero demonstrare sic valet, cum de repletione primarum viarum dissertationum immensa vis exstet, & præter aliquot peculiares casus ac methodos addi quicquam novi vix possit. Plurimi vivorum animalium dissectionem facit Maupertuisius Præses noster, & cum sola sit dein dissertatio, quæ venenorum species & effectus explicet, usui esse poterit & inclarescere, cum practicas dissertationes, jam ob ipsius materiæ vulgarem cognitionem nemo fere perleget. Incipiet ergo experimenta in vivis animalibus capere Sprœgelius; ego itidem plantas rariores experire tentabo, & de effectu scribam ad Te, forte sic addi quid poterit.

Berolini die 13. Julii 1751.

512.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Litteras tuas humanissimas, Vir Perillustris, eo majori cum gaudio accepi, quo certiori sunt

argumento tuæ erga me benevolentiæ, qui, inter turbam negotiorum, diſcipulum abſentem inſtruere, & de iis, quæ in alma Göttingenſi Academia contingunt, certiorem facere volueris quam humaniſſime. Summo mihi honori ducerem, ſi diutius hoc favore frui tuo, & ex litteris tuis doctiſſimis proficere contingeret.

Aloide, vulgari hic planta examinata, animus mihi erat, illius deſcriptionem a Linnæana diverſiſſimam Tibi transmittere. Sed audivi a Cel. Meckelio, plantam illam Tibi jam fuiſſe allatam, hancque obſervationem a Cl. Gleditſchio jam fuiſſe publici juris factam. Etſi plane ſim perſuaſus, plantam illam, Pulmonariam mihi dictam, non fuiſſe Cerinthes ſpeciem, cujus capſulæ binæ ſeminales, pedis biſulci figuram exprimentes, a ſeminibus illis duobus plane differunt; dubitatio tamen tua me incitabit, ad plantam illam accuratius examinandam, ut detegam, quid in hunc errorem me induxerit. Nullas ab amiciſſimo Oedero accepi litteras, ex quo Schlesvicum diſceſſit. Num fortaſſe ſpes eſt, occaſionem mihi eſſe naſcituram, illum inde reducem videndi? Adjunxi his litteris (quod venia tua factum eſſe velim) excerpta quædam ex iis, quæ a Collegio medico Onoldino in diſcipuli favorem ad Sereniſſimum Principem ſunt relata. Patebit ex illis non ſolum veritas illorum, quæ a me dicta ſunt, ſed fortaſſe etiam, quod ſperandum ſit, quum fata invita in patriam me retraxerint. Ut dicam, quod res eſt, cogitantem de reditu in patriam, horror

fere

fere me invadit. Animum adplicui ad medicinam a teneris jam annis, amore ſtudii anatomici & botanici captus. Poſtquam vero mihi contigit, ex ore tuo pendere, & ſuavitatem utilitatemque harum medicinæ partium ſub tuis auſpiciis propius intueri, ita in illas ardere cœpi, ut indies majori cum ſtudio ardeo, ut omni muneri, ſummas licet divitias promittenti, præferam; qualia vero fata mihi imminent, in patriam, ab his ſtudiis alieniſſimam, olim reduci? De deliciis anatomicis ibi ne cogitandum quidem erit, nec ipſam ſuaviſſimam innocentiſſimamque Floram viſere licebit, niſi horis ſubſecivis, & furtivis excurſionibus, ne aut deſidiæ aut imprudentiæ ſuſpicionem incurram. Utinam vero nunquam in mentem veniſſet, medicinæ operam dare, niſi liceat ſtudio hoc innocentiſſime amabili ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ. Vita enim medici ab omni conſortio virorum doctorum ſemota, librorumque ſuppellectili deſtituta, mihi ſumme tædioſa videtur, & ſi auream promittat praxin. Expertus loquor quantæ ſit moleſtiæ, artem omnibus pro vili habitam ea, qua par eſt, induſtria exercere. Expertus imprimis, dum neglectam Floram amavi.

Berolini d. 19. Junii 1751.

513.

GEORG. CHRISTIAN. OEDER.

Planta lecta in inſula Fœhr d. 21. Jan. 51.

Calicis folia quinque, ovato acuminata, con-

cava, fructum amplectuntur nunquam patentia, ova alba cum ceterum viridia ſint. *Coroll.* petala 5. minima, obverſa, ovata, unguiculata, diu perſiſtentia. *Stamina* bis 5. duorum ordinum, majora & minora. *Tubæ* tres breves, ſtigmata flexa. *Fructus* capſula membranacea, obtuſa conica, unilocularis, continens *ſemina* 5 - 6. orbiculata cum cuſpide, compreſſa. *Habitus* Planta 2 - 3. unciarum ramoſa, & quaſi in umbellam deſinens, caulis teres. Folia ovato acuminata, ſeſſilia fere amplexi caulia, conjugata, alternatim ſuperiora inferiora decuſſantia, craſſula, glabra, ora tenui, aſperula, alba. Tota planta ſucculenta.

Plantago maritima foliis gramineis, &

Plantago foliis linearibus pinnato dentatis Linn. Coronopus dicta, quas Ruppius p. 89. conjungit, utique ſunt diverſæ ſpecies. Plantago *graminifolia*, quam accolæ maris vocant *Saden* & in acetariis comedunt, folia habet integerrima, nunquam laciniata, non dentata, ſpithamam longa, lineas 6 - 8. lata, carinata, graminea, tamen cum nervis ut ſolent plantaginis, obſcurioribus, non hirſuta. Caules hirſuti, flores tubuloſi, tubus flavus, dentes cum ſtria rubra. Rariſſime invenias in foliis denticulum unum alterumque. *Coronopus* autem tota hirſuta eſt, multis pinnis inciſa. Planta graminifolia creſcit im Slyk, h. e. in pratis, quæ hieme inundantur æſtu & fluxu maris.

Statice caule nudo ſimpliciſſimo cum plantagine graminifolia eodem loco creſcit, atque etiam

etiam in agris montanis ſabuloſis incultis circa Thorn.

Jacobaea paluſtris, altiſſima, ſuaveolens, foliis integris Rupp. 178. neſcio an pro varietate Senecionis foliis longiſſime mucronatis, ſerratis ſubtus incanis, floribus umbellatis, an pro diverſa ſpecie habenda ſit. Inveni copióſiſſime bey Lek, beym Anfang der Timariſchen Marggr. Caulis tripedalis, craſſus, ſpongioſus, canaliculatus, circumſeptus quaſi verticillatis foliis, & ramis ramoſis, in eorum denique umbellam deſinens. Folia amplexicaulia, longiſſime mucronata, integerrima, piloſiſiſſima, quemadmodum caulis & calix. Calicis ſquamæ neceſſariæ nullæ. Odor ſuavis, melleus.

Hydrocharin non inveni niſi androgynam, nullum ſexum diſtinctum exemplum, ſed convenientem exacte characteri, qualem adſcribit Microleuconymphææ Boerhaavius, nempe tubas tres, a quo charactere Linnæanus multum differt. Non intelligo quomodo potuerint Gundelsheimerus (concivis meus Feuchtwangenſis) & Ill. Trewius conjungere Hydrocharin cum *Aloide*, cujus etiam characterem pulcherrime Boerhaavius dedit, cui addo ſtamina eſſe ſupra triginta, quæ cum antheris multis quaſi pali circumſtant tubas ſex duplices; & habitum quod attinet, ex tenuibus teretibus radiculis ſurgit denſus aſper ceſpes foliorum pedalium anguſtorum, in acumen exeuntium, carinatorum, marginibus ſerratis

ratis & acumine ſpinoſis, ut verbo, totius habitus aloiticus ſit. Cum Hydrochari non aliis notis convenit quam Calice & Corolla trifoliis, ovario ſexpartito, & pediculis florigeris, ſpatha involutis, inter ima folia plantarum acaulium prognatis. Reliquus totus & fructificationis character, & habitus penitus differunt, neque patiuntur proximo genere has plantas conjungi. Habitum autem in tota re botanica & ad diſtinguenda genera & ſuperiora & inferiora plurimum valere, quotidie magis intelligo, (quod non ægre ferat Linnæus) atque illum pro intelligenti & perſpicace Botanico habendum, qui poſſit has ſpecificas ex habitu notas abſtrahere, ut ajunt, notas autem non numero, non ſitu, non proportione clara plerumque determinatas, & non niſi ſimilitudinem & convenientiam habentes. Equidem certus ſum, nunquam ad perfectionem methodi naturalis perventum iri, niſi habitu inter notas genericas accenſito. Hydrocharin & Aloidem in eadem foſſa inveni in prædio nobili Schönweide uno milliari diſtante ab urbe Ploen. Hydrocharis autem ubique fere in foſſis creſcit.

Sequitur Catalogus aliarum plantarum.

Kali geniculatum.
Kali ſpinoſum cochleatum.
Chenopodium ſedi folio annuum.

Kali geniculato & Chenopodio annuo veſcuntur in acetariis & comprehendunt nomine Quellern accolæ littoris maris in der Marg . . . creſcunt im Schlit.

Penta-

Pentapteris ſcapo florigero nudo, in plerisque foſſis der Marggr. Tota androgyna, folia ex uno nodo quaterna, flores etiam quaterni in ſcapis nudis, ſuſtinentur ſinguli foliolo fortiori, qui calix minimus quadridentatus.

Empetrum, in Torfaceis.

Theſium in inſ. Foehr.

Nymphæa, alba & lutea, in plerisque foſſis.

Ranunculus longifolius paluſtris major. C. B.

Ranunculus foliis capillaceis, omnibus circumſcriptione rotunda.

Saxifragia, foliis reniformibus lobatis, caule ramoſo, radicibus granulatis. Sax. rotundifolia alba. Copioſiſſime ubique circa Schlesvic.

Rorella foliis rotundis retuſis. In torfaceis.

Andromeda.

Ledum hirſutum. In torfaceis.

Phellandrium copioſiſſime in der Marggr. bey Lek.

Cicuta aquatica Gesn. copioſiſſime auf Schönweide. Pecori inimica; ideoque exoſa planta.

Galium caule ramoſiſſimo foliis quinis obverſe cordatis. Schleßwig im Kloſterholz.

Hottonia, in allen Gräben des Graf- und Markgrafiſchen Landes.

Bugloſſum anguſtifolium majus.

Veronica anguſtifolia ſcutellata. Schönweide.

Cardamine caule & foliis hirſutis. Lindau an der Schley. it. Kloſterholz bey Schleßwig, ſed raro.

Heſperis maritima anguſtifolia incana. In ſabuloſo littore inſ. Foehr.

Trifolium anguſtifolium ſpicatum. Foehr.

Gnaphalium foliis anguſtiſſimis, caule non ramoſo, ſpica brevi nuda ſubfuſca terminato.

Gnaph.

Gnaphalium caule non ramoſo, umbella tomentoſa, longis foliis inſidente. Utraque in inſ. Foehr.

Millefolium nobile Tragi in inſ. Foehr.

Arnica, copioſiſſime ubique circa Flensburg.

Plantæ Thoriunnſes.

Herniaria glabra.

Knawel perenne cocciferum, copioſiſſime.

Quinquefolium min. rep. lut. inveni cum coccis; quales in Knawel.

Sedum minus luteum folio acuto.

Rorella rotundifolia.

Phalangium parvo flore non ramoſum.

Thalictrum anguſtiſſimo folio.

Viſcago foliis imis petiolatis, floribus verticillatim ſpicatis, flore viridi androgyna. Tubæ quidem adſunt, ſed ovarium eſt ſterile.

Tunica petalis profundiſſime laciniatis.

- - - - - - ſerratis in fine unguis lanuginoſis.

- - - - - - latifolia.

Pimpinella ſanguiſorba major.

Bugloſſum anguſtifolium majus.

Veronica foliis ternis. Spicata longifolia.

- - - - ſpicata minor. C. B.

Coronilla herbacea.

Alyſſum fruticoſum incanum.

Pedicularis caule ramoſo erecto, calice bifido.

Statice caule nudo ſimpliciſſimo.

Elychryſum ſylveſtre latifolium capitulis conglobatis. C. B.

Aſter montanus ſalicis folio glabro.

Slesvic, d. 19. Julii 1751.

§14.

514.

PETRUS WARGENTIN.

Funestissimum illud incendium, quod, ineunte mense Junio, magnam hujus metropoleos partem delevit, & ædem quoque in cineres redegit, in qua ego habitaveram, tam vehementer meos turbavit circulos, ut omne fere commercium litterarium ab eo tempore a mea parte substiterit, binisque tuis litteris humanissimis respondere non potuerim. Bibliotheca quidem Academiæ, pariter ac instrumenta mihi concredita, maximam partem salva sunt, sed cum commodam fixamque sedem nondum invenerim, in cistas reposita, ut ipsi vix mihi aditus ad ea pateat. Neque enim in novum observatorium adhuc immigrare licet. Ignoscas itaque precor moræ litterarum, & noli succensere, quod historia Academiæ tam diu promissa, incondita tamen & omnimodo imperfecta mittatur. Quæ tamen narravi, vera sunt. Forte proposita tua ista sufficiunt. Si diaria Academiæ pervolvere licuisset, plura fortassis relatu digna invenissem. Et, ut, quod res est, dicam, ipse bene nosti, quod Academia hucusque magis egregia bene de scientiis merendi voluntate, quam præstitis jam officiis se commendaverit. Voluissem etiam dicere, quod præcipue adhuc obstare videatur, quominus Academia ulterius proficiat & plura præstet; sed hæc reticere satius duxi.

Gratulor

Gratulor toto corde ſcientias de nova & certiſſima proficiendi ſpe ab Academia veſtra Göttingenſi, cujus ſingula Membra & poſſunt & volunt operas ſuas conferre ad propoſitum finem obtinendum. Apud nos in Linnæo fere ſolo ipſiusque diſcipulis Academiæ ſpes, quoniam alii quamvis in Mathematicis, Chymicis, Medicis, peritiſſimi, raro ſua inventa communicant. Ne itaque mireris, quod quandoque Linnæum impenſius laudemus. Hæc ipſius unica eſt merces pro tot laboribus.

Tibi etiam, Vir celeberrime, plurima debemus, quod labores noſtros non prorſus contemnendos judices, & in recenſionibus novisque litterariis exteris commendes. Hoc non potuit non calcaria nobis addere ad alacriter enitendum. Vale & usque fave.

Datæ Stokholmiæ, die 23. Julii An. 1751.

515.

G. a BUNAU.

Cinctus jam ad iter meum has litteras ad Te exaravi Illuſtris & amiciſſime Hallere, partim memoriæ meæ, dum abſens ero, commendandæ cauſa, partim quos ut Tibi adjectam epiſtolam transmitterem, qua inclytæ ſcientiarum Societati gratias egi ſolennes pro collato in me honore eximio, & Diplomate hanc in rem conſcripto elegantiſſimo. Agnoſco iterum iterumque ideoque grate,

grate, totum muneris hoc Tui eſſe, qui non ſolum Autor Suaſorque fuiſti hujus rei, ſed & indefeſſa plane cura in id incubuiſti, ut inſignis honor honorificentiſſimis verbis exprimeretur. Nihil igitur mihi erit antiquius, nihil magis curæ cordique, quam ut veſtro præclaro judicio & ſimul tuo amore me ſemper dignum præſtarem. Cæterum ut hæc mea epiſtola in proximo veſtro conventu atque conſenſu legatur, rogo atque contendo; quo magis omnibus & ſingulis inclytæ noſtræ Societatis Membris conſtaret, quanti fecerim a tantis Viris amari, laudari & in ordinem adlegi.

Calenbergenſium Statuum liberalitatem, cujus in prioribus litteris mentionem feciſti, equidem probo ac laudo, vellem tamen placuiſſet Illuſtri huic & opulentiſſimo corpori pinguiora paulo præmia adſignaſſe. Ut ut enim honori, non lucro ſtudent, qui tali in ſtudio decurrunt docti agoniſtæ: ſpectatorum tamen & imprimis exterorum in gratiam coronæ dignæ ſunt adornandæ, ne ludibrio ſit, quod honori erat conſecratum. Interim & hoc Catone contenti ſimus. Vale & me ſemper amare perge.

Dabam Cellis Luneburg. d. 23. Julii 1751.

516.

PETRUS WARGENTIN.

Mitto, pro more ſolito, ſecundum Trimeſtre Actorum hujus anni, quod nuper prodiit, cui ad-

jungo tres orationculas. Clasonus, cum Magistratu abiret academico, limatum, &, pro brevitate, elaboratissimum habuit sermonem, historiam commerciorum regni Succiæ, ab antiquissimis temporibus ad nostra exponentem, una cum oratione Doctoris Gissler, de Medelpadiæ & Angermanniæ Geographia physica, quam nuper habuit ad primum suum in Academiam introitum mittam, quando typis prodierint.

Idem Gisslerus sua Tibi me offerre jussit officia, nihil magis optat, quam ut Tibi in aliqua re inservire queat. Herbas quasdam Norrlandiæ & Lapponiæ rariores paratas habet, quas Tibi offero, si Tibi arriserint. Si qua semina ex iis, quæ Kalmius ex America attulit, desideras, lubentissime mittam, dummodo mihi indices, qua via ad Te venire possint. Catalogum stirpium utiliorum, priori epistola dedi. Sed præter eas, plusquam 300. habet, quarum ignoramus usum œconomicum, & quæ nonnisi Botanico gratæ esse possunt. Et sane Linnæum, jam hypochondrico malo & doloribus podagricis agonizantem, quasi e mortuis resuscitavit, ostendendo solummodo insignem numerum plantarum rarissimarum, & quæ nondum ab aliquo Botanico fuerunt descriptæ. Tantus amor florum. Vivificatum deinde Reginæ nostræ incomparabilis plenariæ restituit valetudini, accersendo eum ad palatium Drottningholmense, ad redigendam in ordinem & describendam locupletissimam collectionem cochlearum, insectorum, aliarumque rerum naturalium, quam magno

magno acquisivit pretio. Kalmius quoque Reginæ illud Musæum plurimis auxit a se collectis. Regina, quæ his rebus magnopere delectatur, suo exemplo non poterit non excitare alios, ad fovendam historiam naturalem, quod faustum utique scientiis augurium. Libros nonnullos recens editos vellem ad Te mittere, si portatorem invenirem. Ex. gr. Alterum iter Harlemanianum; Historiam Bibliothecæ Regiæ Stokholmensis a Magno Celsio traditam &c. Ipse mihi modum mittendi indices precor. De Geerii Historia Insectorum Sueciæ, quod opus erit splendidum, jam sub prelo sudat. Vale Vir Illustrissime & fave. Dabam Stokholmiæ d. 2. Aug. 1751.

Acta Societatis Upsaliensis, majori jam volumine, utpote quod septem annos simul comprehendet, nunc quoque imprimuntur.

517.

J. F. SCHREIBER.

Lætissimus mihi nuntius fuit, Te in physiologia magna jam duo capita absolvisse. Vita brevis spes vetat inchoare longas: ad me olim scripsit Hænelius, incitaturus me ad persequendum id, quod olim inceperam. Et revera nunc cotidie aliquot horas illi operi tribuo, neque cunctabor, posteaquam tuam & Hambergeri physiologiam legero, quam vero recipere necdum potui. Sed de eo argumento proxime ample scribam, quod pro

tua ſumma humanitate mihi facile concedes. Quid, & ubi, ſcripſcrit Burggravius junior de vermiculis ſeminalibus, data occaſione a Te doceri pervelim. Valde miræ ſunt obſervationes tuæ circa motum ſanguinis. Vereor, ne in caſtra Weitbrechti tandem tranſeas, qui ſtatuebat arteriam in pulſu de ſede ſua integre moveri, atque oſcillari. Miratus ſæpe ſum, quando diu jam e lucio piſce vivente una cum portione aortæ exſectum cor irritavi, ex. gr. acicula, quod, ad quamvis contractionem cordis ab apice verſus baſim, aorta, in tunicis ſuis, cæteroquin immutata, ad inſigne ſpatium fuerit elevata. In mentem tunc venit ſententia eorum, qui vaſa magna, cordi adpenſa, pro hujus tendinibus habuerint. Schlichtingio neque ego multum tribuo; adtamen ipſum audio. Si quod eſt experimentum, quod repeti & continuari meretur, & cujus Ipſe uſum certo facies in phyſiologia, eſt illud Molinellii, cui permultum tribuo, quod ligatus arcte nervus, prout hoc fit, dum cum arteria in operatione aneuriſmatis devincitur, motum & ſenſum, initio amiſſum, cum tempore recuperet, immo vero auctum, licet per 40. dies, prout in vivis canibus id factum, ligatus fuerit; quod in ſubſtantia ſua, præſertim ſi duobus locis ab invicem diſtantibus, ligatus fuerit, & præcipue in nodorum intervallo, inſigniter craſſeſcat, ganglii in modum. Suſpicatur, crebra repetitione hujus experimenti, nervos inſignes pluribus in locis in animalibus vivis, junioribus ligando ſtructuram nervorum ipſorum forte patefactum iri. Merito Tibi, Vir acutiſſime, idque ſincero

ſincero animo, gratulor, quod Londinenſes icones tuas recuderint, illisque Euſtachii miſcuerint. Nobiliſſima natio teſtatur publice, quod mereatur conſortium. Gratulor de publicato opere circa methodum ſtudii medici; quod, teſtibus pluribus tuis litteris, multum laboris, & aliquando tædii, Tibi auctor fuit. Vale, Petropoli 17 3/8 51.

518.

JOH. GESNERUS.

Ob abſentiam quandam meam ab urbe tardior ſum in reſpondendo ad humaniſſimas litteras d. 1. Julii ad me datas. Curavi interim ut Hortus Florentinus ad Te perveniat, qui ante has 5. hebdomadas Tiguro miſſus eſt ad D. Renier Francofurtum. Plurimæ in eo varietates pro novis ſpeciebus proponuntur, & plantæ ab aliis olim propoſitæ ut novæ exhibentur, ut Acacia Americana non ſpinoſa, Arum Americanum, quorum hoc Calla, illud vero Gleditſchia eſt; prout enim ex tabulis & deſcriptione, tam ex plantis e ſeminibus ad me miſſis enatis conſtat; ſpinæ enim triplices ad foliorum alas deciduæ ſunt, ut inermis dein videatur. In Florentino tamen Horto hinc inde illuſtrationes & obſervationes non indoctæ. Quid vero de filicinis floribus, quos in villis prodeuntium frondium quærit Michelius? Viridarium Florentinum enumerationem continet 1214. plantarum, quarum ſemina anno

1750. collecta cultoribus Botanicis offeruntur. Varietates maximam partem omittuntur, ut & bulbiferæ, oleraceæ, cucurbitaceæ, succulentæ, gramineæ, dorsiferæ &c. Humanissimus Manetti supplementum dabit proxime, quod quamprimum accepero ad Te mittam. Quæ ex iis semina desideraveris significa, sunt enim in communicandis viri admodum liberales.

Pulcherrimam Poëmatum editionem, anatomica opuscula, dissertationes anat. vol. VI. cum aliis liberalitatis tuæ speciminibus rite ad me pervenerunt. Rogo vero ut pretium addas, quo me tot debitis exsolvere possim. Optarem imprimis Physiologiæ folia impressa ad me mitti, si ferat occasio, possem enim utilior fieri auditoribus meis, lectis hisce doctissimis commentariis. Mirari vero satis non possum, unum hominem tot tantisque & elaboratis scriptis, quæ cum orbe erudito communicas, posse sufficere.

Poëmatis Jacob & Joseph auctor est Cl. Prof. Bodmerus, cujus historiæ diluvii continuationes proxime prodibunt. Diversa hæc scripta apud nos judicia experiuntur. Sub ejus directione Societas, quæ florentem die blühende Gesellschaft se nominat, scriptum periodicum exhibet Critonem, quo critica & poëtica potissimum recensentur.

Post obitum Archiatri D. Landolti nova negotia mihi intentantur, quod Archiatri munus a Canonicis & Prof. Physicis subinde fuerit administratum.

niſtratum. Ego ſtrenue adnitor ne eligar, imbecillitatis meæ conſcius, idemque pluribus negotiis, quæ vix expediam, jam obrutus.

Ex nupero itinere in Præfecturam Andelfinganam pauca retuli memoratu digna. Pullatillam florentem, quæ circa Tigurum non occurrit; Confervam fontanam lubricam; tum etiam Ranas illas caudatas reportavi. Eo tempore lues pecorum funeſta ibi accidit, qua boves intra bihoriam mortui ceciderunt, in diſſectis animalibus ſplenem inflammatum & octo ℔. ponderis invenerunt. Qui animalia diſſecuerunt, puſtulis maligni moris infeſtati fuere, quæ in ulcus ſerpiginorum, vel gangrænoſum cito abierunt, niſi antiſepticis & erodentibus tractarentur. Fuerunt etiam qui ex hoc morbo intra paucos dies obierunt. Malum nunc Dei gratia miteſcit.

Illuſtr. Acad. Berolinenſis nuper ſuo cœtui me adſcripſit. Vale Vir Illuſtris cum nobiliſſima familia & mihi ut ſoles favere perge. Raptiſſime Tiguri d. 17. Aug. 1751.

519.

J. F. MECKEL.

Nimis vehemens continua febris, qua laboravi, adeo vires meas deſtruxit, meque debiliſſimum reddidit, ut nunc demum, & id ægre, ſufficiam ad reſponſionem ad litteras tuas, quas gratiſſimas duabus vicibus ad me benevole dediſti.

 Vidi

Vidi ex eis, quas ad ſocerum meum dilectiſſimum Illuſtrem Sprœgelium dediſti, benevolum ac benignum animum tuum, qui amoris inſignis tui in me innumeris teſtimoniis, illud etiam benevolentiſſimæ recordationis ac memoriæ addidiſti. Gratias Tibi pro tuo hoc inſigni favore ac amore maximas ago, precorque Deum, ut ſanitatem Tibi perfectiſſimam in ſummam uſque ſenectutem conſervet; quem in finem pyrmontanarum aquarum uſum ſaluberrimum Tibi ex animo apprecor. Sprœgelium noſtrum, ex morbo ſuo nunc aquarum Selteranarum uſu reconvaleſcere ſummopere lætor, neque dubito de integra ejus reſtitutione, dummodo aquarum uſui, eum laxantium addiderit, ut libero ſanguinis per vaſa abdominalia circuitu, copioſus nimis affluxus ad pulmones & caput prohibeatur. Bonum erit, ſi experimenta nunc ad diſſertationem ſuam perficere poterit.

Valde queritur Dnus de Hahn ob reſponſionem meam in ejus diſſertationem de variolis, & injuriam ſibi illatam putat, ob rejectam hanc ſententiam. Chordulas nerveas illas in centro variolarum ab illo ſuppoſitas, in quibus character confluentium ſimul ponitur, valde defendere annititur. Annon idem liber in novellis Göttingenſibus recenſebitur, ut videat, æqualem ſententiam aliis de libro ſuo ac nobis eſſe. Gloriatur enim, neminem alium doctum de hoc libro ſuo aliter ac optime judicaſſe.

Berolini d. 17. Auguſti 1751.

520.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Est omnino, quod verear, ut litteræ meæ d. d. 13. Julii ad Te fuerint perlatæ; cum ab illo tempore nihil plane litterarum abs Te acceperim. Insignis vero tua humanitas vix credere me sinit, silentium tuum aliunde fuisse profectum. Enixe, omnique, qua par est, reverentia, abs Te peto, ut hunc scrupulum mihi eximas, paucisque certiorem me facias, an, quod metuo, mihi accident. Adjunxeram litteris illis, quæ animum nunc suspensum tenent, excerpta quædam ex iis, quæ a Collegio medico Onoldino in discipuli favorem ad Serenissimum Principem sunt perscripta, rationesque exposueram, cur reditum in Patriam timeam. Prolixius de illis agam, si, quæ litteris contigerint, percepero, adjectis quibusdam observationibus de Aloide & Hydrochari femina aliisque. Accepi litteras ab amicissimo meo Oedero, ex quibus perspexi, se meditari aliquid de irritabilitate. Paucula quæ addidit de causis perpetui motus respirationis, inprimis cupiditatem accendunt, reliqua videndi. Interea, ut excuses sortem discipuli, si litteræ plane fuerint amissæ, neve credas, me reverentiæ, quam Tibi debeo, esse adeo immemorem, etiam atque etiam abs Te peto. Vale, & ut soles ama. S. Berolini d. 31. Augusti 1751.

521.

J. F. MECKEL.

Integra nunc iterum, quæ Dei est gratia, valetudo mea est, & quæ ad labores redire permittit, ac debita munera exsequi; sed sequar monita tua, faciamque, ut cum viribus corporis eæ mentis tanto aptiores sint laboribus cum alacritate peragendis. Tantum enim, quod optime mones, corporis infirmitas laboribus detrahit, quantum robur ejusdem iisdem exsequendis favet; & lente procedendo idem efficimus, acsi nimiis laboribus sanitatem destruendo, animum agilitate & aptitudine sua ad labores necessaria privamus. Facias & Tu Venerande Præceptor, ut robur corporis tui in dies augendo, morbos avertas, qui nimiam industriam sæpe sequuntur, omnemque curam in eo ponas, ut quam diutissime incomparabili tua eruditione orbi erudito, benigno vero animo tuo amicis atque iis supersis, qui Te mecum venerantur, atque ex felicitate ac diuturna ac longæva vita tua summum percipiunt gaudium.

Sprœgelii morbum tam diuturnum esse tamque pertinacem plurimum doleo; tussis sicca, & facies flavo colore tincta latentem hostem certe produnt, nisi flavedo illa a deficiente copiosa antea pinguedine dependeat. Sicca tussis cum oppressione sæpius adhuc infestante scirrhositatis pulmonum indicium si foret, lugendum certe esset. An vero ex animi tristitia, quam de illo describis, ex

ex morbi contemplatione, an vero ex alia caufa oritur? Dandum interdum animo ejus aliquid eft, quod jucundiorem reddere poffit. Refutatur his experimentis fententia quædam, quam fibi imaginatus eft, Schlesvici degens Oederus, & quam mecum communicavit, ita tamen, ne aliis patefacerem. Putavit refpirationem ex alternante contractione irritatæ pleuræ oriri, quæ pulmones conftringeret, antea ultra limites dilatata. Errorem facile illi monftravi, talem non effe huic tunicæ firmitatem afferens, ut conftrictione fua tanto effectui edendo fufficere queat, tenuiffimam enim reperiri in anatomia, quæ vix præparari cultro queat, quin dilaceretur; fecundo vero nervis fere deftitui, ubi pulmones ambit; & experimenta fenfibilitatis hujus membranæ adhuc deeffe. Confecta nunc lis eft, fenfibilitate, per experimenta, huic membranæ denegata.

Berolini die 7. Septembris 1751.

522.

G. A BUNAU.

Sero ad me perlatæ funt amœniffimæ tuæ litteræ, Illuftris Hallere. Hinc veniam dabis tarditati, quam nunc demum refpondendo commififfe videri poffem.

Gesnerum noftrum e gravi, quo hactenus decubuit, morbo in integrum fere reftitutum vehementer gaudeo. Optarem ut in pofterum firmiori vale-

valetudine uti poſſet celeberrimus Vir, & non dubito, quin rediret interceptus ſaltem veluti poëticus genius. Horatium avide exſpecto e manibus talis editoris, qui & Poëta eſt inſignis & Criticus egregius. Multa adhuc latent menda, multa ſunt obſcura loca in hoc Lyricorum principe, quæ vel Dacierii εὐϛοχίαν vel Bentleyi lynceos oculos effugerunt. Scire vellem, quid de Sanadoni mira & anxia diligentia in ordinanda carminum Horatianorum χρονολογία ſentiat doctiſſimus Gesnerus. Inanis, ni fallor, labor eſt, qui quid præſtare poſſet, vix poſſum perſpicere.

Perplacuit mihi lemma nummi veſtri, cujus fit mentio tuis in litteris. Conſpirat quaſi cum meo, quem nuper meditatus ſum, & Tecum communicaturus eſſem, ſi tuum ingenium meas cogitationes non antevertiſſet. Exhibere ſcilicet debebat hic nummus caput auguſtiſſimi noſtri corona partium quernea partim laurea cinctum, additis ad laterum utrumque cornu copiæ & caduceo cum inſcriptione:

Locupletatori orbis.

Averſa in parte collocabam fluvii ſignum, ſenem nimirum barbatum ad flumen ſedentem, de urceo aquam effundentem, cujus ad unum latus ſiniſtrum ſcilicet, inſignia urbis Göttingæ eſſent poſita, in dextra vero manu urbis Hannoveræ: in extrema nummi parte quod Exergue vocant Galli, ſubſcribi debebat nomen fluvii noſtri, nempe

Linius

& lem-

& Lemmatis loco hæc verba legenda dabam:

Aurifero jam ditior Tago.

Cum enim ad Linii ripas Urbs regia & celeberrima Musarum nostrarum sedes sita est, vix Gangi ditissimo cessurus est Linius noster.

Lusus hæc sunt ingenii, amicissime Vir & genio quandoque indulgendum est, ut vires quas austera studia Themidis præsertim nostræ exhauriunt atque frangunt, recolligamus quasi cum musis amœnioribus jocando, nosque refocillemus parumper.

Bene mereberis de orbe erudito, Medicis inprimis naturæque curiosis, si Physiologiam, quam promittis, majorem proxime dias in auras es emissurus. Placuit hactenus satis Bergeriana: ast hisce luminibus quin tua aliquando officiat, nemo dubitabit, Te qui penitus noscit. Hambergerianis deliriis, quæ nuper prodiere utilibus multis permixtis, ut quædam opponas, vix erit, alias uberrimam segetem crassiorum errorum sine dubio offenderes.

Gaudeo quoque Te Germanicorum ingeniorum causam contra Gallos eorumque stupidos non raro admiratores proxime oraturum. Non deerit profecto materia fabro, nec in Te faber materiæ. Etsi tuum nomen nostratibus & Germanis penitus accensere licet, hoc solum opponam hisce alienæ gloriæ obtrectatoribus.

De

De Buſonio quæ ſcribis, recte ſe habent meo quidem judicio. Multa enim ſuggerit ſuis in libris, quæ nimis fœcundæ imaginationis magis, quam judicii vel indubitatæ experientiæ partus haberi debent. In Phyſicis vero ſemper a poſteriori ad minimum demonſtranda ſunt, quæ a priori & rationaliter penitus ad oculum non patent. Sed mos eſt Gallorum patrius & inveteratus laureolam in muſtaceo quærere, & aucupandæ vel temporariæ gloriæ magis ſtudere, quam veritati. Interim campum Tibi præbent hæc Buſoniana ſcripta, ubi lacunas ſuppleas, & alienos errores refellendo tuam oſtendas profundiorem eruditionem. Hinc tuæ præfationes lectori perito magis arridebunt, quam ipſum opus, & bene de illis prædicari poterit, quod dicunt παροιμιακῶς Galli.

Ego quoque de Munchhuſio noſtro cogitavi. Et puto non ingratam fore noſtro Mæcenati ejusmodi venerationis noſtræ ſignificationem. Interim hoc tuo prorſus permitto judicio. In Gallia certe ſtatus Miniſtri non pauci, & ipſe quidem Protector, Societati Membris adnumerantur.

Vale, Amicorum Optime, & mihi reſcribe, & ſi Tibi ita videtur, Diploma Bunavianum verbis conceptiſſimis perſcriptum, litteris tuis adde. Vale iterum iterumque & me ſemper amare perge. Dabam Weiſſandii Anhaltini d. 6to. Septembris 1751.

§23.

523.

J. G. GMELIN.

Solverunt quidem Ruſſi aliquam pecuniæ ſummam, ut poſſim jam ſatis quietus eſſe ſuper ejusmodi rebus. Sed uti ſunt homines imaginationi ſuæ nimium confidentes, ita facile evenire poteſt, ut de primo tomo (itinerum) auram habentes tentent reliquos ſupprimere. Id vero quidem ratione ſufficienti præſtare non poſſent. Sed non ſemper ratio illos ducit ad agendum. Interea hæreret aliquantiſper Bibliopola, de quo valde dolerem. Quod ſi ergo omnes tomi ſimul fere eodemque tempore prodirent, omnium mihi eſſet gratiſſimum. Nam ſemel evulgata non poſſunt ſupprimere, quin evulgentur. Nullam ex hac ratione moram facio, propero, quoad tempus & reliquæ circumſtantiæ permittunt. Vidi 10. ſchedas excuſas. Non valde multa ſunt ſphalmata typographica. Sunt tamen quædam, & forte plura deprehenderem, ſi meminiſſem omnium nominum propriorum. Valdopere itaque optarem, ut remitterentur ſchedæ meæ ſcriptæ, ut ex illis corrigere poſſem, quod forte ſupereſt ſphalmatum. Non enim illius, quod jam miſi Göttingam, ullum apographum, vel illud exemplar, quod primo conceperam, amplius poſſideo. Si itaque id recuperari poterit, forte in officinis typographicis diſtractum, cum quæſo ut & ego recuperem. Ergo circulum nondum intelligis? Animalia ad illum intelligendum occidis? Chenopodia,

dia, de quibus ſcribis, non ſunt Perſica tantum, ſed etiam Sibirica. Puto eo potiſſimum differre a reliquis Chenopodiis, quod plures flores ad unum thalamum eumque cylindricum ſint collecti, Axyridis characterem nunquam aſſequi licuit, ut in flora Sibirica agnovi. Felicem Te, ſi adſecutus ſis, uti nullus dubito. In noſtra facultate medica ex morte B. Maucharti aliquis irrepſit error. Nondum in ejus locum ſuffectus eſt Anatomicus, variis ex cauſis. Plerique vero medicinæ ſtudioſi noſtri detorquent colla & fronte aliquantum torva incedunt, quod id nondum factum ſit. Nunquam ejusmodi exiſtimationem etiam vivente Maucharto, habuerunt ſtudii anatomiæ. Si tres & quatuor anni ſine ſectione alicujus cadaveris præterierunt, nec muſſitarunt de hoc, multo minus querelas effuderunt. Jam vero res eſt conclamata. Medicinam ſine anatomiæ ſtudio brevi hic perituram ſtatuunt. Accingunt ſe itineri aliorſum. Vale, Vir Illuſtris & Optime, Tibique me porro commendatum habe.

Dabam Tubingæ, d. VIII. Sept. ClƆ IƆCC LI.

524.

JO. B. MORGAGNUS.

Cur duabus epiſtolis tuis, Illuſtris Hallere, alteri d. 31. Aug. 1750. alteri d. 10. Junii 1751. non ante hunc diem reſponderim, cauſam eædem ipſæ epiſtolæ præbuerunt. Prior enim, in faſciculo

culo librorum inclusa, aliam per Hibernum juvenem a me expectandam indicabat. Altera autem fasciculum alterum in via jam esse, significabat, sed neque Hibernus ille adhuc venit, & alter iste fasciculus non per mercatores, sed per tabellarios ex Helvetia, opinor, usque missus, horum socordia vix tandem his diebus in meas pervenit manus. Primum igitur humanitati, & liberalitati tuæ gratias ago, quas possum, cumulatissimas, cum pro omnibus, quæ sive in epistolis nunciasti, sive in fasciculis misisti, tum præsertim pro honore insigni, quem jure meritoque plurimi facio, quo me ornatum voluisti, librum tuum doctissimum inscribendo: cujus Tui erga me summæ benevolentiæ officii oblivifcar nunquam. Deinde & Tibi, & mihi plurimum gratulor, quod priores illas, & has ultimas litteras comparando, intelligere mihi videor, Te valere, ut qui haud amplius de ventriculi, viriumque languore, & de vigiliis conquueraris; imo interim plura a Te facta, & suscepta significes, quæ pristinam salutem redditam, nisi me amor fallit, non obscure testantur. Ego quidem valeo, nec minus quam olim juvenis, in observando, in scribendo, in legendo sum totus. Lego autem persæpe Tua, aut a Te missa, in quibus cum animadverterim, tomum secundum Meadii in morbis, qui in Bibliis memorantur, a pagina 78. usque ad tomi finem mancum esse, rogo Te, ut si quæ desunt paginæ, a Bibliopola haberi possint, ad me, id quod commodo tuo fiat, mittere ne graveris. Volumine quoque careo dissertationum

anatomicarum, a Te collectarum V°. quod a Te petere nunc audebo, cum libros aliquos a me Tibi in Italia viciſſim comparandos indicaveris. Nam quæ de monſtris Venetiis & Neapoli edita optare Te, ſignificaveras, pauca, & parva ſunt Veneta illa, ut opinor, Planci, in faſciculo acceperis, anno ſuperiori miſſo. Neapolitana autem, id eſt Ruberti lectionem, vix tandem ut librorum commercia per Italiam rara, & lentiſſima ſunt, hoc menſe per amicos nactus, in eo faſciculo ponam, quem intra hunc autumnum ad Orellios Bergomum perferendum curabo, nihil ægrius ferens, quam librorum, qui Te digni ſint, nimis raram apud nos editionem. Quod reliquum eſt, fac, alias diſerte ſcribas, Te egregie valere: quo ſoſpite, ſtudia noſtra magis magisque profectura, certo ſcio. Dabis igitur operam, ut valeas: meque, ut prorſus tuo, Vir Illuſtris, omni tempore uteris. D. Patavii Idibus Septembris cIɔ Iɔcc LI.

525.

NICOLAUS ROSEN.

Aquas Pyrmontanas ut eo commodius biberem, totam æſtatem ruri exegi, & hæc fuit cauſa, cur nihil ad Te, Vir amiciſſime, perſcripſerim. Spero, Te dudum a me miſſa recte accepiſſe: inter alia fuit fida relatio de corpore gl. m. Regis noſtri Friderici poſt funera aperto. Scias me ardentiſſimo teneri deſiderio Diſputationum,

quæ

quæ ſub prelo Göttingenſi ſudant, atque imprimis tuarum commentationum in Boerh. de methodo diſcendi medicinam, nec non novæ editionis Phyſiologiæ tuæ. Addo diſputationem de Irritabilitate mihi admirabilem eſſe viſam, nec diffiteor fore, ut illa multum negotii Hallenſibus & Gallis faceſſat. Dn. Taylor nunc temporis Stokholmiæ vivit, & quamprimum huc adventabit. Ds. Linnæus ſub feriis æſtivis, in Palatio Regio Drottningholm, catalogum conficit eorum, quæ in Muſæo Auguſtiſſimæ Reginæ reperiuntur, non exiguæ molis, ad hiſtoriam naturalem ſpectantia. De cetero, ut firmæ Tibi adſint vires & valetudo & ingenium publico & quidem litteratorum bono, pro more ſolito, deſerviendi, eſt, quod toto animo omnique mente voveo, futurus. Upſal d. 24. Aeptembris ſt. v. 1751.

§26.

J. F. MECKEL.

Iterum, qui has litteras affert, tuo favori tradi cupit, ex Ruſſia adductus vel potius redux, ut ex tuis præceptis ſapere, ſuamque felicitatem ſtabilire queat. Weſtphalus eſt, nomine Kullmann, qui ante ſeptem aut octo annos hic degens chirurgiæ ac anatomiæ ſeſe dederat, ſimul apud defunctum Schaarſchmidium Profeſſorem alia collegia ſedulo audiens. Hujus opera in Ruſſiam pervenit, ibique ſex annos Præfectus chirurgorum legionis (Regiments-Feldſcheerer) fuit; nunc tædio

 hujus

hujus muneris captus, ac medicinam addiſcere ardens, Univerſitatem adire optat, quæ ſcopo ſuo obtinendo optime conveniet; non potui meliorem ac perfectiorem præ Göttinga, nec ulla ſalubriora, præ Tuis Venerande Præceptor præcepta & eligere ac conſulere; Halam enim adire decreverat, quam nunc tranſibit in itinere ſuo. Non dubito de diligentia ejus ſumma ac laudabili, non enim niſi diligentem eum hic novi, & pro ſua ætate abhorret a dementiis juvenilibus, ſatis compertus, quam difficile ſit pecuniam acquirere, tantum abeſt ut dilapidet. Conſiliis tuis unice nitetur, Anatomiam hac hyeme, & ſequenti anno Phyſiologiam, & quæ alia illi ſuadebis collegia, frequentaturus. Faveas rogo, Optime Præceptor, deſideriis juſtiſſimis, idque felicitati ejus addas, ut ſit ex Tibi commendatis, quibus patrocinio ac favore tuo frui datum eſt. Annos ſtudiorum emenſus, Doctoris gradum ibidem aſſumere vult, neque, tua adjuvante illum benevolentia, ſuaque ſimul diligentia, de felici votorum tuorum eventu ullus dubito.

Addo his litteris Friſchii avium icones, quæ jam paratæ exſtant. Reliqua, tum in ultimis meis litteris comprehendere reperies; tum aliis ulterioribus ſervo.

Berolini d. XXVI. Sept. 1751.

527.

527.

J. F. SCHREIBER.

En, Vir Perillustris, quæ habeo, ut scias ad ea, quæ Tibi placuit, mihi perscribere d. 14 Septembris. Quando scripsi meam de promulganda medicina sententiam, non is mihi est animus, ut credam, me non nisi nova promulgaturum, sed id volvo animo, ut propositiones determinatas, & cum vera Philosophia connexas exhibeam, quas puto inniti observationibus & experimentis certis. Opusculum, a me Lipsiæ a. 1731. editum, potest aliquo modo meam declarare sententiam, quamquam verum sit, me post tot annos in permultis jam aliter sentire. Ita & lubens abstinebo a pompa externa Mathematicorum. Nondum vidi hucusque multos fructus a subtilitatibus Mathematicorum, uti nec a subtilissimis anatomicis observationibus, quæ plerumque non nisi variationes indicant: & de permultis experimentis forte verum est: experimenta fallere. Ego me in omnibus in mediocritate aliqua continebo. Physiologia tua est opus omni laude dignissimum, ex quo multum profeci. Sed quando, vel ubi, meum opus sit proditurum, id ignoro.

Petropoli 17 $\frac{1}{10}$ 51.

528.

J. C. RAMSPECK.

Novam obſervationem botanicam Præceptor Colendiſſime! hic Tecum communico cum icone. En Peloriam Linnæi, quam præterito menſe in agro noſtro reperi inter ſegetes demeſſas circa Gundeldingen. Sæpius mecum cogitabam, annon etiam in ſolo noſtro Helvetico iſta planta creſceret, quum enim non unumquodque exemplar Elatines ſ. Linariæ debita cum ακριβεια examinetur, haud impoſſibile eſſe ſuſpicabar, quo minus & in temperatis regionibus proveniret. Hunc itaque in finem plusquam ducentas Elatines conquiſivi & examinavi, donec tandem d. 21. Septembris prima vice eam aſpexerim, præ gaudio fere exultans, curavi ſtatim delineandam, quam hic mitto. Unicus iſte Peloriæ flos erat in *Elatine folio ſubrotundo* C. B. Flos erat monopetalus infundibili formis vel hypocrateriformis, calyce multo longior ac ſupra eum prominens. *Limbus* in ſex lacinias inæquales diviſus, quæ non penitus ſe contingebant, ita ut quiddam relinqueretur ſpatioli (videatur icon). Harum tres macula fuſca erant præditæ, quemadmodum labium ſuperius floris Elatines ſemper fuſcum eſt, quod Pictor bene expreſſit. In medio harum laciniarum 6. pariter erant corpuſcula, quæ protuberantias appellare licet, colore ſaturate flavo, pulvere flavo pariter conſperſa, ſimilia protuberantiis iis, quæ in labio inferiori Elatines adſunt: in medio

dio exigua apertura relinquebatur in tubum floris ducens. Post sequebatur tubus cylindricus coloris ochroleuci, quum limbus contra saturate flavus esset, multo angustior limbo, duas circiter lineas longus, qui vero iterum multo fiebat amplior, ventremque nanciscebatur, in calyce magnam partem reconditus, in 6. calcaria desinens, infra quæ tubus iterum decrescebat, cujus pars infima a pistillo clavi adinstar perfoditur. *Stamina* erant 6. e fundo floris enata, corolla multo breviora: *filamenta* tenuia, *antheræ* inter se connatæ, ut vi divellere eas oporteret, obsessæ pulvere s. polline spermatico cæruleo cum macula alba. *Pistillum* germen subrotundum in calyce reconditum. *Stilus* simplex longitudine & situ staminum, *Stigma* obtusum. Calix erat quinquefidus, in lacinias inæquales divisus (a pictore non bene expressus) quod mirum, cum alias numerum senarium in hoc flore natura observaverit. Ita se habet flos Peloriæ, quem prima vice reperi, & aliquot diebus post iterum a me est inventus, nullusque dubito, quin ubique crescat, si debita cum patientia Elatine conquiratur atque examinetur; sed differentiam notabilem a priori in quinque post repertis vidi. Limbus quippe corollæ solummodo in quinque lacinias erat divisus, cum totidem protuberantiis in medio, nullæ porro aderant maculæ fuscæ, pariter solum quinque calcaria totidemque stamina. Ita sese habebant quinque reliqui flores Peloriæ, a priori diversi. Nisi tempestas pluviosa obstaret, adhuc plures conquirerem. A juniori quodam Medico nomine Stæ-

helin etiam reperta fuit Peloria, quæ in omnibus a me repertis ſimilis erat, excepta prima. In genere circa Elatinem iſtam obſervavi, eam plurimis variationibus eſſe obnoxiam. Plures earum vidi, quarum labium ſuperius erat ſimplex, non bifidum, inferius vero quadripartitum, non tripartitum, quo in caſu vero calcar ſimul ſemper duplex vel bifidum erat. Porro obſervavi in ordinario Elatines flore, non tantum quatuor adeſſe ſtamina, propter quod a Linnæo Didynamiis annumeratur, ſed revera quinque, quintum latet in medio duorum breviorum, anthera eſt deſtitutum, iisque ipſis eſt brevius, hinc hactenus prætervisum. In iis vero floribus, qui calcar duplex cum labio ſuperiori ſimplici, inferiori vero quadripartito habent, quintum iſtud ſtamen æque longum eſt ac reliqua duo breviora, pariterque anthera inſtructum.

Addidi primum tomum Actorum noſtrorum Helveticorum, quorum ſecundo obſervationem iſtam de Peloria inſeram. Semina Rutæ caninæ nonnullasque diſputationes ſimul cum libris accipies. Scirpi illius in vicinia Mullhuſii reperti, de quo in noviſſimis meis locutus ſum, etiam nonnulla exemplaria, quantum nanciſci potui, incluſi, mihi quidem nullus alius eſſe videtur, quam *Scirpus omnium minimus capitulo breviori* J. R. H. 528. Scheuchz. p. 358. An *Scirpus ſetaceus capitulo ſingulari ſetaceo* Michell.

Baſileæ dab. VIto. Octobr. 1751.

529.

J. F. MECKEL.

Conscribam, quam a me desideras, raram quandam a me factam observationem anatomicam, vel plures eodem contentas scripto, & mittam, quamprimum absolutæ erunt.

Observationes tuæ certe, falsis in theoria physiologiæ refutandis sufficient, quorum plurima & magna copia irrepserunt. Dura mater insensibilis æque est, nil enim sentit homo attacta illa & titillata ope instrumenti metallici, quod experimentum in nosodochio charitatis cum D. Zinnio cepi. Animalia enim, aut continuo ejulatu, aut silentio plenario ex terrore, experimentum adeo validum non permittunt. Ex pleuræ insigni tenuitate nunquam sensilitatem imaginari potui, & error ex tendinea, quam peritoneo & pleuræ plurimi affingunt, structura, ortus esse videtur.

Dabam Berolini d. 6. Octobris 1751.

530.

J. F. MECKEL.

Hæsitavi, Optime ac Humanissime Præceptor, libellos Tibi mittere, quos nec videre nec legere volui, quia legendo eosdem & tædium & ira mihi certo movetur. Infames sunt pessimi Autoris libelli famosi, qui jure merentur hac ra-

tione tractari. Ipſe interrogatus, numne ullum veri in libello hoc contineretur? nil, ne verbum quidem veri ineſſe reſpondit, ſed ſe finxiſſe injurioſas hiſtorias, tantum ut maculam famæ tuæ inureret, eo ſe, adverſus tuam de l'homme machine in libro Bibliotheque raiſonnée datam recenſionem, vindicaturus. Præſes noſter, lecto libello, illi dixit, triremem eum ejusmodi libello in Gallia meruiſſe, cui reſpondit, gratias Deo ago, quod neque in Gallia ſim, nec triremes hic adſint. Hæ Tibi confidenter ſcribo, rogatus, ne ullum quid horum ſermonum privatorum aliis patefacias. Sed mitto Tibi duo exemplaria libelli iſtius petit homme, & unum eorum Munchhauſio Hannoveram mittere poſſes, qui libellum ejusmodi & proſcribere, & uti libellum famoſum decet, punire poterit, idem vero Miniſterio regio noſtro hanc ob cauſam ſcribere, ac libelli hujus proſcriptionem, nec minus juſtam ejus ac publicam punitionem deſiderare poterit, eodem enim modo ſe in illos acturos, qui libellos infames ejusmodi de ſubditis Boruſſicis conficient, famæque eorum, mendaciis & ignominiis, detrahere ſtuderent. Certe credo impetraturum illum & a miniſterio & a Rege libelli proſcriptionem & authoris forte etiam punitionem. Summopere vero optimum lætabor querelæ illius effectum, & rigoroſam condemnationem ac pœnam, ſumme enim inquietum me adhuc libellus his famoſus reddidit, & multum iræ movit, ubicunque de eo audierim, & inique ſentientes viderim. Sunt enim qui fidem tribuunt falſis hiſtoriis, qui pro-

ſcriptione

ſcriptione & juſta libelli punitione melius ſentiet.

Berolini d. 12. Octobris 1751.

(Nusquam de his libellis conqueſtus ſum, niſi in familiari epiſtola ad Ren. M. de Maupertuis.

531.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Quod ſemper fuit in votis, contigit tandem mihi, ut in ipſo vivo homine experimenta circa ſenſibilitatem duræ meningis, inſtituere liceat. In noſodochio nempe Charitatis Berolinenſi, cujus frequentandi cauſa, inprimis huc redii, decumbit femina, cui pars oſſis frontis carie venerea ita exeſa eſt, ut dura mater ipſa ſpecillo poſſit attingi, id quod, ea vi intruſum, ne perſoratio duræ matris eſſet metuenda, huc & illuc ſuper illam agitavi. Femina interrogata, num dolorem inde ſentiat, repetito teſtatur, ſe plane nihil ſentire. Caro quidem luxurians, quæ ſuper duram matrem increſcit, dolorque perpetuus ex illito liquore mercuriali partium vicinatum, obſervationem nunc parum turbat, impeditque, quo minus experimentum, ea, qua antea fieri poterit, certitudine, nunc poſſit inſtitui; ſpero tamen, fore ut majori oſſis carioſi parte ablata, duraque matre nudata, accuratius hanc in rem inquirendi, occaſio mihi naſcatur. In cane experimentum repetii heri præſente Cel. Meckelio. Trepano ablata parte cranii, vario modo irritavi

irritavi duram matrem, nullam vero plane inde ſecutam fuiſſe conſtrictionem, certe affirmare, hujusque veritatis teſtes auſim evocare Cel. Meckelium, aliosque, qui aderant, amicos. Quam parum vero poſſit ſuperſtrui clamori aliisque ſignis doloris animalium iterata experientia fui edoctus. Alia hac occaſione ſeſe obtulerunt phænomena, etſi huc non pertinentia. Vulgare experimentum in nervo diaphragmatico repetiturus prehendo volſella nervum reſectum (animale jam mortuo, & diaphragmate plane quieto) conſtringitur diaphragma: prehendo eundem nervum ſupra locum volſella jam compreſſum vel liberum, nulla inde illius muſculi conſtrictio, prehendo infra locum prehenſum, muſculus contrahitur. Nonne, ut in Morgagniano experimento, qui ligato & poſtea laxato nervo idem fieri teſtatur, ſubſtantia medullaris nervi mera volſellæ preſſione deſtrui videtur? Nonne, dum nervum infra locum jam compreſſum prehendo, muſculus movetur, quod ſpiritus in nervi parte reliqui in muſculum propellantur, ſemper enim dubitavi, num ipſi nervo per ſe ſpectato tribui poſſit irritabilitas, ſeu proprietas ex irritatione ſeſe contrahendi, qualis eſt definitio irritabilitatis. Docet quidem experientia, nervo irritato conſtringi, quos ille adit, muſculos, nullæ autem adſunt obſervationes, quæ nobis perſuadeant, ipſum nervum irritatum contrahi. Senſibilitas ergo pro irritabilitate non ſumi poteſt. In meſenterio præterea quædam adhuc erant conſpicua vaſa lactea, quæ crebras inter ſe habebant anaſtomoſes, multasque faciebant

inſulas.

insulas; ut vasa duo lactea frequenter inter se communicarent, priusquam multo superius in unum truncum confluerant. Sed credo, hoc jam aliis fuisse observatum.

Adjunxi his litteris siccum specimen Aloidis, cum icon illius nulla sit parata. Doleo, pulchrius quoddam non adesse ad manus. Potuisset quidem illius icon facile parari, potuissent plura & pulchriora servari specimina, Tibique mitti, nisi unus ex amicis persuadere mihi voluisset, plantam hanc esse Tibi jam notissimam, missam Tibi Berolino, a Te ipso inventam in Itinere Thuringiaco, accuratissimamque illius descriptionem a Cel. Gleditschio editam extare.

Nonnullas alias addidi plantas, non novas quidem, sed quarum descriptio manca videtur.

1°. Senecio radiis brevissimis. Cur dicitur Jacobæa Senecionis folio, cujus folia tamen neque sunt semipinnata, neque hirsuta, ut in Senecione vulgari. Quænam adfinitas inter folia Senecionis viscidi pinguis C. B. & hujus, quæ semper reperi viridia, glabra, ovata, sæpe integra, aut magnis rarisque dentibus sinuata? Num nostra, quam mitto, diversa est planta a Senecione rad. brevissimis?

2°. An Asteris prat. autum. Conyz. fol. varietas, sed inferiora fol. repugnant, minime sagittata, in medio latiora. Crescit locis gramineis, solo sabuloso, sicco, in sylva abiegna.

3°. Vi-

3°. Videtur Aſter ſalicis fol. hirſ. Si Aſteris ſcabioſ. fol. folia ſerris deſtituuntur.

Adnexas hic invenies obſervationes quasdam in noſodochio Charitatis natas, quæ, uti leves forte videantur, Tibi, fortaſſe tamen placebunt, quod animum diſcipuli his rebus attentum obſervandique cupidum oſtendant.

Dum hæc ſcribo, litteræ ad me adferuntur ab amiciſſimo Oedero, quibus omni modo perſuadere mihi cupit, ut Slesvicum me conferam. Addit ſimul, rem de Trans. Philoſ. Angl. fuiſſe confectam, iterque ante finem hujus menſis Hafniam ſe eſſe ſuſcepturum, ubi ſummam felicitatis ſpem ſibi adfulgere affirmat.

Teſtimonia quidem non accepi, ſed facile illa ex Patria mitti poterunt.

Vale, meque ut ſoles, ama. Berolini d. 16. Octob. 1751.

532.

D. LUDWIG.

Grates Tibi perſolvo decentiſſimas Vir Generoſiſſime, quod præter diſſertationes nonnullas etiam ſplendidum & ampliſſimum in ſuo ambitu librum (Methodum ſtud. Med.) mecum communicare volueris. Modeſtia tua prorſus ſingularis eſt,

eſt, quod defectus libri adgnoſcas, quos vix evitare poſſit ſapientiſſimus hominum. Ego certe in libro illo id invenio culpandum, quod magnam partem ſanitatis tuæ eripuerit. Unicum a Te peto, & forte plures idem exigunt, ut per medicinæ Candidatum indicem conficere jubeas, quem publici juris facias, ex rerum ordine enim quem ſervaſti ordo Auctorum non ſatis cognoſcitur. Maxima igitur difficultas in Auctoribus conquirendis poſita mihi videtur. Recenſio in A. E. tardius juſto accedit, dabimus itaque antequam hoc fiat, recenſionem in commentariis de rebus in ſcientia naturali & medicina geſtis, qui proxime edendi ſunt.

Quæ in phyſiologia ſuſcipis perficienda tuis ſtudiis digna erunt, & maximo cum deſiderio expectantur. Ego dabo libellum in uſum Auditorum, longius enim me detinuit, in legendo, explicando, tua phyſiologia, non fundamenta enim tantum ſed totum ambitum complectuntur. Et licet ego non idem præſtare poſſim; quod Tu præſtitiſti, tamen videbo annon impoſterum quædam phænomena in decurſu morborum obſervata ad explicationem phyſiologiæ convertere poſſim.

Nihil novi hic prodiit, quod Tecum communicare poſſem, vellem tamen Tibi in rebus botanicis inſervire, peto ideo, ut per filium in botanicis jam exercitatum catalogum deſideratorum exponas, alia enim in ſeminibus, alia proximo vere in plantis recentibus dabo. Hortulus meus

læta

læta cepit incrementa, & nonnullas plantas accurate delineare feci in uſus futuros. Sed vix audeo aliquid ſuſcipere eruditi, cum praxis clinica otium non permittat eruditum, ſine quo maturitatem non attingunt ſcripta.

Dabam Lipſiæ d. 16. Octobris 1751.

533.

J. G. GMELIN.

Curſor publicus nudius tertius Berolino duas epiſtolas attulit, alteram ab Authore diſſert. Petropolitanæ, alteram ab amico ibi degente, quorum uterque pericula indicavit & diſcrimina, in quibus ego verſor propter editum iter meum. Fieri poſſe, ajunt, ut propter amicitiam, quæ eſt inter aulas, Anglicam, Cæſaream, & Ruſſicam, a priore ſuppreſſio libri jubeatur, & ab altera extraditio meæ perſonæ per aulam Cæſaream a Wurtenbergica deſideretur, niſi vero id ſuccedat, ut larvati homines veniant in regionem noſtram, meque clam ſuſcipiant, auctores mihi igitur eſſe, ut caveam a larvatis hominibus, inprimis autem a præfectis militum cæſareis, aut me ſubducam in locum tutum, e. gr. Berolinum. Mira certe narrant, cum neſciam, quid in hoc libro contineatur, adverſum Ruſſico Imperio, aut ejus gloriæ, & puto, totam iſtam rem ex ſolo rumore de libro, cujus contenta ignorantur, natum eſſe, nec ideo vel minimo metu perculſus ſum,

ut

ut potius in incepto opere continuo pergere in animum induxerim, eo magis, cum Russi quidam juvenes Berolini degentes ejusmodi rumores sparserint, ex amore Patriæ & ex ignorantia causæ, cum ipsum librum nec viderint nec legerint unquam. Sana enim ratio cuilibet librum perlegenti dictitabit, nihil omnino ibi contineri, quod dignum sit tanto supplicio, quo auctorem afficere volunt. Nemini eorum hanc causam, indicavi, & potius spe alor, illam vanam esse & nihil mihi malorum imminere. Ita in tuum sinum totam hanc rem effundere volui, ut vel forti tuo consilio vel & auxilio, si quod malum imminet, sustineas. Optassem, ut vel unicum exemplar istius operis ad me misisset van den Hoeck, vel serenissimo nostro Duci offerre vel Krafftio nostro tradere potuissem, ut uterque de innocentia meâ ante convictus fuisset, quam ex aula Russica vel Cæsarea litteræ pervenire possent. Secundo rogo, ut in recensione de opere isto instituenda, moneas, videri auctorem studio omisisse observationum innumerarum, quas feci, vel recensionem tantum dedisse, nihil tamen scripsisse, quod a veritate abhorreret, quod cum omne in gloriam Russici Imperii cedat, manifesto sit documento, quam reverenter & pie habet auctor regionem istam, in qua tot annos consumpsit &c.

A Schumachero haud ita pridem litteras accepi, in quibus scribit, misisse se cum posta curribus transportante Floræ Sibiricæ Tomi II. ad finem perducti. Eum si accepero, rescribam. Si vero

reliquorum exemplorum, quæ mihi debentur, potitus fuerim, mittam ad Te ſine mora. In locum Maucharti tandem ſuffectus eſt D. Sigvart, gener Maucharti, Medicus aulæ, jam ab octo annis praxin medicam Stuttgardiæ exercens: fundamenta anatomica nondum habet, quare in mandatis habet, ut per annum illuſtriora theatra anatomica frequentet, inprimis autem Pariſinum. Senatus Academicus obtento mandato ipſum eventualiter elegit in Profeſſorem, & in profeſſorium ordinem recipiet, poſtquam ſpecimina anatomica hic Tubingæ publice tam ſecando quam docendo ediderit. Hac hyeme frater meus, natu minor, vicarius operas præſtiturus Anatomiam docebit. Vale Vir Illuſtris, & quod ſtrenue adhuc egiſti, porro me amore tuo & patrocinio complectere.

Dabam Tubingæ d. 22. Octobr. 1751.

543.

J. W. ALBRECHT.

Ignoſcas mihi quæſo uberiores litteras quibus Te modo adire cogor, quando enim ex profundioribus tantæ tuæ eruditionis fontibus, toties jam hauſi, quid mirum, ſi ad eosdem propero, quoties quidem talia mihi occurrunt, quorum veræ ſolutiones in iisdem ſervantur: per incomparabilem igitur gratiam tuam, nonnulla in medium proferre, eorundem vero bonam explicationem a Te expectare, liceat. Primo itaque loco ponam hiſtoriam

historiam Herniæ (ut vocant) cerebralis. Scil. juvenis 20. circiter annorum per dimidium fere annum laboravit tumore, dextram capitis partem occupante, eam potissimum, ubi os parietale positum est: hic tumor primo nullius momenti, in dies singulos auctus, demum in tantam molem excrevit, ut ad scapulam usque dextri lateris pertigerit. Mortuo ægro, incidimus tumorem; vidimus os parietale totum liberum, longe multumque remotum; nec ulli etiamnum ossi cohærens; proinde ipsum encephalon in sacco delituisse, saniosum penitus atque putridum redditum; interim æger dum superfuit, nunquam deliravit, febre lenta depactus atque extinctus est. Frustra in variis auctoribus simile quidquam quæsivi.

Femina 30. annorum febribus omnis fere generis vexata, ægrotavit per quadriennium & ultra; semper laboravit febre; & aquis pyrmontanis, & cortice peruviano per sat longum tempus usa est, sed incassum; fluxus mensium penitus suppressus; & quicquid remedii adsumserit, nihil tamen effecit, nisi quod aliam produxerit febrium speciem; abhorruit ita ab omni medicamine cujuscunque nominis, demum icterica facta, ictetum vero stipavit semitertiana; intumuit abdomen mirum in modum, & lapidis instar durissimum redditum est: doloribus colicis diu noctuque crudeliter afflicta miserrime decubuit. Quotquot fuimus, mortem exoptavimus, terminum tanti cruciatus; verum, quod præter omnem expectationem cecidit, ægra vomitum cruentum ex-

perta; rejecit copiam ſanguinis ad tres libras ponderis civilis, pendentem; inde morbus ſolutus, inde omnia ſymptomata, ad oculum, levata; ſuaſimus uſum lenioris diuretici (aceti ſcillitici); obediit, convaluit, & modo perfecta valetudine gaudet.

An venæſectio in gravidis ſemper in brachio inſtituenda? an verum eſt, illam in pede adminiſtratam ſemper abortum minari? plurima equidem habeo, quæ huic ſententiæ opponam, ſed ad ea ſedulo attendam, quæ Tibi placebunt ad hæc reſpondere.

Anne quæ abortum avertunt, ea potiſſimum ſunt, quæ corpus ab omnis generis ſpasmis liberant?

Practici fœtum roboraturi, matri largiorem victum imperant, ſed niſi ipſum victum pariter determinent, quo conſilio, neſcio; an igitur quo mater delectatur, idem pariter tenellum fetum æque facile, æque feliciter nutriet? Novi quidem placentam, pulmonum veluti ſuccenturiatorum victu fungi, verum enimvero an hæc omnia ſimul ſumta non ſufficiunt immutandis alimentorum qualitatibus, ſi ad tenellum reſpicias, noxiis, ut plane non opus ſit, matrem interea ad certos cibos blandiores &c. alligare?

Librum Huxhamii de febribus magnam partem in latina lingua converti, & quando auctor cætera ſatis clarus Boerhaavium ejusque errores preſſo pede ſecutus eſt, non potui non acriores hinc inde ſubjungere animadverſiones tum pract.

tum

tum physiol. tum anat. cum enim hodie longe ſaniora proſtent, quæ huc ſpectant, in peſſimam utique partem accepi, auctorem talia vel ignoraſſe, vel etiam ignorare voluiſſe, injuſto & noxio Boerhaavii amore tractum; crederesne venerande Parens, me hæc, prius a Te emaculata, olim in lucem poſſem emittere.

Dabam Hannov. d. 15. Octobr. 1751.

544.

JO. STEPH. BERNARD.

Noli nimium ſollicitus eſſe, Vir Illuſtriſſime, de codice meo; etiam ubi is tuis uſibus inſerviit ac publici juris erit factus, mihi necquicquam ulterius prodeſſe poterit, unde eum Tibi ſerva, vel Bibliopolæ aut flammis trade. Neque de redhoſtimento velim anxie circumſpicias, ſufficiet enim mihi bene facti conſcientia, ac lætor in ſcriniis meis aliquid inventum fuiſſe, quo præclari tui conatus promoverentur. Gratias Tibi ago maximas pro cultiſſimo munuſculo, quo me mactaſti. Præclare teſtatum fecit hac diſſertatione Zimmermannus, ſe ab ore tuo pependiſſe, ac guſtum penes Te formaſſe. Præter rerum miram varietatem ubertatemque demiror ordinem concinnum ac ſagacitatem inſignem in rimandis naturæ arcanis. Hæc demum vera eſt ſemita, quam calcare oportet illos, qui ad perfectionis culmen graſſantur. Præclara ominantur omnes de nova Academia

mia ſcientiarum Göttingenſi, inprimis ubi recordantur, Te a Muſis ac Gratiis ipſis ejus Præſidem fuiſſe ſalutatum. Nolim vero Te arduo hoc munere ita occupari, ut tardius inde præcellentis tui ingenii fœtibus res medica ditetur. Verum, ſi bene Te novi Vir Illuſtriſſime, Tu utramque ſpartam egregie ornabis. Quæ de Trillero, Viro clariſſimo, ſcribis, vera ſunt: ſolus ille inter Germaniæ Medicos elegantiorum litterarum decus ac ornamentum eluit. Melius fortaſſe ſibi conſuluiſſet, ſi alto ſupercilio ſpreviſſet Springsfeldium: ſed noſti ingenia vivaciora vix ac ægre monitorem ferre, inprimis talem qualem depinxit adverſarium ſuum Trillerus; quanquam eum ſatis ſolari poterant tot laudes, inſigni ejus conjecturæ certatim a viris doctis tributæ.

Dabam Amſtelædami pridie Calend. Novembrium 1751.

§45.

G. a BUNAU.

Redux heri e Saxonia factus, quin pauca quædam ſtatim ad Te ſcriberem, Vir Illuſtris, a me impetrare non potui.

Amœniſſimæ tuæ litteræ, quibus junctum erat Diploma Bunavianum, non ita pridem Weiſſandii ad iter jam cincto mihi traditæ ſunt. Cum enim Ragewizii, quorſum eas direxeras, me non invenerunt. Dresdam a fratre meo miſſæ ſunt, & me

& me tunc temporis vel illic amplius non commorante rursus remissæ sunt, unde factum, ut nimis sero ad manus meas pervenerint. Interim dictum Diploma Illustrissimo Comiti nuper transmisi, qui societatis nostræ benevolentiam gratissima mente nunquam non agniturum mihi nuper præsenti jam fidem fecit. Multa confabulati sumus per aliquot dierum spatium de rebus eruditis, uti generatim, ita quoque in specie de Göttinga nostra imprimis doctis Incolis, & inclyta nostra Societate. Sentit præclare de his omnibus, inprimis vero tua merita & agnoscit & extollit.

Horatium Clarissimi Gesneri in dias auras nuper exiisse Lipsiæ inaudivi, librum ipsum nondum vidi, cujus desiderio tamen jam flagro. Præclara enim sunt omnia, quæ Vir doctissimus molitus, & digniorem interpretem invenire vix & ne vix quidem potuisset hic Lyricorum princeps. Rogo salutem ut nuncies eximio Viro, meoque nomine egregie navatam operam gratulari ipsi velis. Nescio quo factum est, ut epistolicum nostrum commercium interruptum prorsus fuerit. Mea, an amici culpa jam nolo inquirere. Vale amicorum optime, & me semper ama. Cellis Luneburgicis, d. 2. Novembris 1751.

546.

JOH. GESNERUS.

Dici sane non potest, quantum me exhilaraverit, cum ex humanissimis litteris tuis intelle-

xerim tuum in Helvetiam adventum, & ſpem exoptatiſſimam Tui ad me videndi. Utinam id iter fauſtum ne feliciſſimum ſit; tanto etiam gratias mihi & conjugi meæ (quæ Te plurimum ſalutat) futurum, ſi comites itineris ex nobiliſſima Familia tua Tibi adjunxeris).

Experimenta Stæheliniana imprimis cum repletione ductuum aëreorum ovi feliciſſime repetii. D. Lavaterus Pharmacopæus, in theoria chemica & medica apprime verſatus, medicamentum adverſus Tænias Herrenſchwandianum ſatis feliciter detexit, vel etiam hoc efficacius, quod tuto & omnis generis tænias expellit, illas etiam cucurbitinas Plateri, Herrenſchwandiano remedio invincibiles. Pulchra de hoc argumento diſſertatio D. Bonnet legitur in Hiſtoria monumentorum Soc. Reg. Pariſ. a Sociis exteris communicatorum.

Pulcherrima & utiliſſima veſtra experimenta anatomica veræ phyſiologiæ unicum fundamentum non ſine maxima voluptate cum litteris tuis tum ex egregiis ſpeciminibus academicis, quæ liberalitate tua ad me miſiſti, legi.

Scripſi Tiguri d. 5. Novemb. 1751.

547.

547.

J. F. MECKEL.

Nimius me impedivit labor debitam ad gratissimas mihi litteras tuas responsionem reddendi; hæc ratio tam diuturni & iniqui, si alia causa foret, silentii fuit. Ex eo enim tempore, quo artem obstetriciam trado, nullus superest a laboribus libera dies. Justum tuum ex ultimis litteris tuis percepi dolorem, quem calumniæ Tibi Metrianæ cierunt; sed morte luit pœnam, pridie enim, qui XImus fuit Novembris, matutino tempore e vita excessit; ipsum se perdidit; febri intermittente laborans quinquies venæsectionem adhibuit, hinc summopere debilitatus, paroxysmo novo correptus virium suffectu decubuit, inde ex effectu fluidi nervei & motu fluidorum denegato in lethargum incidit ipsi lethalem. Sic misere periit 40. anno ætatis suæ, corpusque cum anima sua terrestri, terræ dedit. In ædibus Legati de Tirconell obiit, neque ullam sententiam mutasse apparet, cum oblatum sibi sacramentorum usum denegaverit, uti sermo fert. Parum tribuunt futili scripto suo, & Galli ipsi injurias Tibi illatas & agnoscunt & detestantur, sic cum morte fama ejus....

Raram in corde inveni, annuli ossei circa orificium venosum ventriculi sinistri, in ipsa substantia cordis carnea hærentis, observationem. Similem nullibi invenio, neque in Ruyschio ne-

que alibi; id primis rarum, quod ipsis carneis inhæserit ab orificio venoso ventriculi ortis fibris. Numne Tibi similis in alio libro occurrit observatio? vel in ipso cadavere visa? ossescentias valvularum quidem utrorumque orificiorum varias video, & coram habeo, sed nunquam cordis ipsius.

Berolini die XIII. Novembris 1751.

548.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Gratissima adgnosco mente, quæ de tuo in me scripsisti amore, Vir Perillustris, qui, omni data occasione, quam charus Tibi sim, firmissime persuasum mihi esse cupiar. Avide nunc expecto, quid Optimo Parenti hac de re videatur, cujus jussa, qualiacunque fuerint, sequi pietas postulat.

Experimentum in nervo phrenico aliud quoque repetii, semper eodem, quo dixi, eventu. Optime idem apparuit in nervo ischiadico cuniculi, ubi nervo volsella prehenso, omni in parte illius infra locum prehensum sensus ita fuit abolitus, ut oleo vitrioli posset tangi, sine ullis aut doloris aut convulsionis indiciis. Aliquot experimentorum Cel. Meckel testis est autopta.

Quæ de irritabilitate nervi dixi, experimento confirmanda esse putavi, quod repetitis vicibus in

in cuniculo inſtituere viſum fuit. Nervum nempe iſchiadicum ad digiti longitudinem denudatum in infima parte diſcidi, illiusque diſciſſi partem ſuperiorem cum ſenſorio communi conjunctam, impoſui aſſerculo, cui aliquot inſculptæ erant lineæ transverſæ, ita ut unam ex lineis illis, qua parte erat diſciſſus, accurate tangeret. Hac enim ratione effici poſſe credidi, ut ſi vel minima nervi contractio ex irritatione contingeret, accurate illa poſſet obſervari, cum nervus contractus non poſſet non a linea recedere. Irritavi nervum punctim acu, maximæ convulſiones, omniaque doloris ſigna optimam integritatem nervi demonſtrant, pars vero abſciſſa plane immota ne capillum transverſum a lineola recedit. Irritavi nervum in origine, ubi ex medulla ſpinali provenit, priusquam in ramos abiit, quorum unus hic nervus diſciſſus fuerat. Omnes muſculi, quos rami adhuc integri adeunt, convelluntur, ſed ipſe ramus diſciſſus lineam, quam tangit, omnino non deſerit. Nec conſtrictionem aut immutationem diametri, ſumma licet adhibita attentione, obſervare potui. Si vel minima certe ex imitatione in nervo contingeret mutatio, oculum hac ratione effugere non poſſe credo. Sed & argumentis a priori, ut vocant irritabilitas nervi refelli poſſe videtur. Omnibus de irritabilitate nervorum inſtitutis experimentis rite penſitatis, denique apparet, nullam animalis partem eſſe irritabilem, niſi quatenus fibris gaudeat muſcularibus, illudque privilegium ſoli competere fibræ muſculari. Loquor autem ſemper de irritatione mechanica.

chanica. Quam fallacia enim experimenta cum oleo vitrioli ſimilibusque eſſe videantur, inferius patebit. Omnia præterea docent, nullas eſſe fibras in animali muſculares, quæ nervis non ſint præditæ. Si ergo nervus eſſet irritabilis, adeſſe deberent in nervo fibræ muſculares, quæ fibræ nervis ſuis gauderent, & ita res in infinitum procederent. Idem valet de cerebro & medulla ſpinali.

Ut pateret, quam fallax ſit experimentum cum oleo vitrioli inſtitutum, eodem tempore nervum & ligulam corii veteris a coriariis jam præparati guttula illius tetigi, quorum utrumque ita conſtringebatur, ut vermiculi inſtar ſe contorqueret.

Miror quemdam adhuc ſomniare poſſe de motu duræ matris, omnibus nervis deſtitutæ. Ante oculum habeo nonnulla duræ matris exemplaria, ubi innumerabilia filamenta in aqua fluitantia conſpicuuntur, quibus cranio adhæſit; obſervatio dudum nota.

Cum Winslowus de glandulis duræ matris dubitaverit, non video, quæ vere ſunt acinoſæ, omnibusque notis aliis glandulis ſimiles, quarum nonnullas in ſinu longitudinali ſitas ad ſecalini majoris grani magnitudinem accedentes, aliasque nuper in vetula nigras & duriuſculas, ut aliis hac ætate glandulis, accidit, obſervavi.

Semel hac hieme videre licuit ramulum, ex nervo quarti paris abſcedentem, qui muſculum levatorem palpebræ ſupergreſſus, ad frontalem ramum

inum quinti paris acceſſit, illique ope celluloſæ adhærens per aliquod ſpatium decurrit, poſtea vero iterum ab illo ſeceſſit, cujus Cel. Meckelius meminit in diſſ. §. 55. pag. 44. idemque ex orbita in faciem emerſit. Narrat amiciſſimus Meckelius, ſe ſemel quoque vidiſſe ramulum a quarto, in levatorem palpebræ deſinentem.

Dum litteras has ſigno, accipio epiſtolam Parentis, qua veniam Slesvicum adeundi mihi denegat. Obtemperandum eſt Patri, quem pie colo, & qui filium diligit. Vale, favore tuo, ut me proſequaris porro, enixe rogo.

Berolini d. 23. Nov. 1751.

549.

J. F. SCHREIBER.

Refers aliqua, Vir indefeſſe, de ſtudio tuo continuato in perſequendis organis femininis generationis. Sed quid eis nunc opus poſt inventa D. de Buffon? Legi opus ipſius, nec ſine multa voluptate. Quid de eo ſentis? Et ſi errat, quis ipſum refutabit? Jam eſt Phyſiologiarum ſcribendarum ſeculum, quia de Ludwigii Inſtitutis refers. Legi & Hambergerianam. Sed unde hic novit, quod Harveius Altorfium profectus ſit, ad trahendum C. Hofmannum in partes ſuas? Res eſt valde improbabilis, (vera eſt). Quæ de me, vel ſtatu meo, ſingularia referam, non habeo. Et ego ſum inſtar ſiſyphi, & inter adverſa ſæpius

ſæpius langueo. Et ſi omnia mutantur: hactenus nullo molimine obtinere potui, ut mea mutentur in melius. Salutat ignota uxor. Vale, Vir magne, & favere non deſine.

Petropoli $17\frac{26}{11}51$.

550.

JOAN. FRID. MECKEL.

Diu absque gratiſſimis humaniſſimisque litteris tuis fui, & me laborum immenſa congeries adeo tacere coegit, ut & litteris ſcribendis, & obſervationibus meis conſcribendis non ſuffecerim. Valde enim creſcit hoc anno diſſecantium numerus, ultra 50. quorum labores dirigere, corrigere, demonſtrare; measque demonſtrationes publicas & præparatione anatomica partium illuſtrare & angiologicis præparatis oportet. Quibus accedit Phyſiologiæ ad ductum compendii tui traditio. Hæc omnia toto die me maxime occupatum tenent.

Adfuit hic nuper aliquis, qui ſe ex numero amicorum tuorum eſſe dixit, nomine Springfeldt, Conſiliarius Aulæ Weiſſenfelſenſis, ac Medicus in thermis Carolinis. Juſſu regio Membrum Academiæ noſtræ ſtatim ab abitu ſuo receptus eſt, vividi ingenii homo, id ſolum habet, quod multa loquatur quæ neſcit. De aëre intra thoracem multa cum eo diſputavi. Ruditer paullulum credidit

credidit ideo adesse illum debere, ut resisteret externo aëri, quum thoracem crepare alias aut comprimi potius deberi putaret; non considerans, idem esse si pulmo repletus sit aëre, ac si ille in cavo ipso poterat fuerit; 2°. concipere non poterat, qua ratione pulmo expandere sese posset, si spatium absit, id quod dilatatus abire queat; neque id sibi imaginari poterat, idem esse, si partes cedentes expanso pulmoni, diaphragma nempe & mobiles costæ adfuerint, quam si vacuum in cavo ipso fuerit. 3°. Irresolubile credidit dubium, fœtus pulmonem non replere thoracem. Sed id etiam falsissimum est. Præparavi integram fœtus illæsam pleuram, cujus toti sacco totus pulmo adeo contiguus est, ut elevatam continuo sequatur, neque interstitium ullum adest. In alio thorax vel pleuræ saccus, aqua serosa plenus, elevatæ pleuræ in aliquo loco cavum continuo replevit; sed ne unica bullula aëris aquæ innatans videri potuit. Sic multos jam correxi, eosque strenuos Hambergeri discipulos & defensores, qui seipsos experimentis convincere coguntur, neque est quod regerant. Octo enim dissecantibus intersunt Doctores, & inter eos duo Hambergeriani, plane convicti experimentis a me factis, & disputatione discursiva. Eos forte ipsos aliquando, in scripto, quod de pleura molior, testes experimentorum adducam. Sed hæc Tibi confido; nollem enim alios, præter Te Venerandum Præceptorem meum, scire, quæ describo.

Ingentem reperi calculum pelvis renalis, cum rene indurato & membranaceo, eo vero alterius lateris

lateris ingentis magnitudinis. Cordis valvulas semilunares aorticas plane disruptas & scirrhosas in corde hydropici vidi; & asservo cor hoc, omni pinguedine integerrime destitutum

De libro illo la Metrii adversus Te scripto, audio Te ad Maupertusium nostrum scripsisse. Lætor si satisfecit desideriis tuis. Ellero nostro, quæ præsente Legato de Turconell & ejus uxori aliisque vivens dixerit la Metrius, roganti an veræ essent historiæ illæ quæ scripserit, nuper Tibi scripsi; inventa nempe & commenta esse, ficta, ut adversus tuum judicium de l'homme machine in Bibliotheque raisonnée datum sese vindicaret. Ubique nunc & palam hæc profitetur Te plurimum salutans Ellerus.

Dabam Berolini die 21. Decembris 1751.

551.

J. F. MECKEL.

Magno mihi gratissimæ litteræ tuæ fuerunt gaudio, ob eam quam continuerunt defensionem, adversus malignas Tibi illatas injurias. Continuo Maupertusio dedi, qui summa cum gratiarum actione scriptum accepit, plurimum Te salutans. Id optimus addidit, plura se de la Metrio voluisse litteris suis inserere, quæ pessimum animum viri clarius ob oculos ponerent; sed prohibitum id plane esse; . . . enim jussisse & velle, ut laudetur vir ille la Metrie. Summam animi sui in

Te

Te propensionem ac dedititissimum se Tibi profitetur, neque de se credas rogat, quasi improba facta stolidi demortui viri, vel minimum probaret. Id certum est, religiosus est Maupertusius, omnesque abhorret, ac detestatur, qui impie & contra bonos mores scribunt vel sentiunt. Planè alienus ab eo animo Voltairiano, qui avarissimus ac ideo omnibus detestabilis, neque pietatem nec bonos mores æstimat.

Berolini die 28. Decembris 1751.

552.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Felicissimum me prædico, quod mihi contingat, ex litteris tuis, Vir Perillustris, proficere, & longe licet abs Te remotum, tua frui institutione, qua ratione illud peractum ævum quodammodo remeare mihi videor, quo ex ore tuo pendere licuit. Eoque alacrius leviusculas quasdam his litteris Tibi affero observationes anatomicas, enixe rogans, ut, quale sit tuum de illis judicium, paucis edocere me velis.

Cum non solum in novellis litterariis Göttingensibus, sed etiam in Cl. Zimmermanni dissert. legerem, involucrum nervorum in omnibus hucusque pro propagine duræ matris habitum, meram Tibi videri cellulosam, excitatus fui, ut hanc in rem propius ipse inquirerem. Repetito autem labore rem sic se habere observavi.

Ubi nervus ſuum in baſi cranii foramen offendit, dura mater vaginæ in modum illum recipit, & cum illo ex cranio educitur, cui in craſſitie oſſium denſa quadam, brevi, rubella celluloſa undique arctiſſime adhæret. Quamprimum vero craſſitiem oſſium tranſiit, dura mater in duas ſecedit laminas, quarum altera conſervata indole denſa, tendinea, ſplendente ſtatim circa os reflectitur, illudque perioſtei nomine obducit.

Altera vero lamina nervum quidem ſtatim poſt exitum ex cranio ſic recipit, ut vaginam optime mentiatur, paulo autem cum illo progreſſa, ſenſim fit laxior & tenuior, uſque dum in meram celluloſam pinguem, inflabilem, telæ celluloſæ, quæ ubique muſculis interponitur, ſimillimam, reſolvitur, & cum vicina circumjacentibus partibus interjecta confunditur. Optime hoc adparet in nervo octavi & noni paris, & ramo tertio quinti. Involucrum quidem nervis præbet tela hæc celluloſa, in quam d. m. abiit, hac autem in re nervi neque a vaſis, neque a tendinibus, neque ab aliis C. H. partibus teretibus differunt, quibus omnibus tunica quædam ex celluloſa tela circumponitur. Aliter autem ſeſe res habet in nervo optico. Vaginam autem hujus nervi in ſcleroticam abire, accuratiſſimæ hac de re factæ obſervationes, quod pace tua dixerim, vix credere me ſinunt, & ipſa utriusque partis ſtructura nimis differre mihi videtur. Sclerotica enim compoſita eſt ex multis laminarum ſtratis ſibi incumbentibus, more ceparum, cum vagina nervi optici

opt. ſive ſit recens, ſive macerata, celluloſam ſimplicem naturam nimis facile prodat.

Scirrhum cerebelli ſecunda vice videre nunc contigit, qui duobus abhinc annis in theatro Berolini idem me obſervaſſe ex priori quadam ad Te data epiſtola notum Tibi eſſe ſpero. In infante ſeptem circiter annorum, cui omnes glandulæ conglobatæ erant obſtructæ & ſcirrhoſæ, maxima portio cerebelli in latere ſiniſtro degeneravit in multos ſcirrhos inter ſe cohærentes (quorum plurimi avellanæ magnitudine) duriuſculos, flavis glandulis conglob. ſcirrhoſis ſimillimos. Placet, quod conjectura tua, ſubſtantiam glandularum conglob. cortici cerebri Tibi videri non abſimilem, pulchre inde confirmetur. Excidit locus, ubi hæc Tibi dicta ſint, ſed legere me memini. Quæ ſcribis de tunica retina, interdum quoque vidi. Vale mihique ut ſoles favere perge.

Berolini d. 14. Jan. 1752.

553.

JOH. GOTTFR. ZINN.

En obſervationes circa connexionem tunicarum oculi cum involucris nervi optici, quarum feci mentionem in meis nuperrime ad Te datis litteris. Accipias illas velim ea, qua ſemper erga me uſus es, humanitate, greſſusque meos doctiſſimis tuis conſiliis dirigas.

Dura mater, ubi oculum intrat, in duas dividitur laminas, quarum altera evadit periosteum orbitæ, laxissime ossibus annexum. Altera vero cum nervo optico progreditur, illumque in vaginæ modum involvit, extus cincta multa laxissima cellulosa, uti omnibus C. H. tunicis ex cellulosa natis contingit, quæ, ubi accedit nervus ad bulbum oculi, super illum decurrit, & cum illa, quæ cum musculis & vasis advenit, confusa, bulbum extus obducit, qua ablata apparet sclerotica alba, solidior. Nec unquam aliud vidi involucrum scleroticæ a dura matre profectum, tunicamve adventitiam, ut Winslowius & Ravius volunt, nisi cellulosam illam laxam, qua in re sclerotica plane non differt ab aliis C. H. partibus, quibus ubique tunicam, ex cellulosa natam, circumpositam esse videmus. Ipse vero nervus bulbi parti interiori insertus oculo ita oblique se applicat, ut sub angulo versus nasum acuto oculum ingrediatur, cellulosa quadam densa ad bulbum revinctus, qua remota nervus eadem cum axeos opt. directione decurrit. Vagina ergo nervi optici, duræ matris propago, & ex illius natura ex tela cellulosa stipata, composita, & in cylindrum convoluta, laminis suis exterioribus inseritur statim stratis scleroticæ exterioribus: interior vero vaginæ pars progreditur inter crassitiem scleroticæ & nervum opticum, utrique multa cellulosa annexa, usque dum, omnibus fere suis laminulis in scleroticæ strata insumtis, in intimam illorum seriem desinat.

desinat. Rem ita sese habere, frequentissimæ dissecationes, & accuratissimæ omnique animi attentione factæ observationes dubitare vix sinunt. Sed & ipsa scleroticæ crassities, & diversa structura sententiam illam, scleroticam esse tunicam ab involucro nervi optici diversam, confirmare videntur. Semper scleroticæ pars posterior multo crassior deprehenditur vagina nervi optici, etsi multo manifestius id appareat in oculo bubulo, ubi ad lineam crassa est sclerotica, & in oculo balenæ. Nec non color differt, cum scleroticæ semper major sit albedo. Summum vero distinctionis signum esse videtur utriusque partis structura; sclerotica enim composita esse videtur ex multis stratis laminarum tenacium & densarum, quæ intertextis fibris transversis arctissime sunt constipatæ, cujus fere nullum aliud in C. H. exemplum est; cum vagina nervi opt. omnibus notis conveniat cum aliis membranis, natis ex tela cellulosa, compressis & concrescentibus inter se lamellis. Progredior nunc ad connexionem choroideæ cum pia matre nervum investiente. Pia mater, inter quam & vaginam per omne iter multa intercedit cellulosa, sæpe ante ingressum nervi optici in bulbum & omni in transitu per crassitiem scleroticæ paullulum nigricat, Morgagnio jam notante, quæ nigredo interdum ipsam quoque nervi substantiam, vel potius cellulosam fasciculos medullares distinguentem offuscat, id quod imprimis contingit in subjectis ætate provectioribus. Comitatur hac ratione nervi optici per scleroticæ crassitiem, ubique a vaginæ duræ matris facile separabilis, usque dum

ille summe contractus (quam contractionem ad dimidiam diametri partem accessisse sæpe vidi) in retinam explicari incipiat. Quem ubi pervenit ad locum, reflectitur pia mater a nervo optico retro choroideam, & ad scleroticam accedit, cui ita sese applicat, ut intimam illius laminam constituat. Laminam illam scleroticæ intimam esse piæ matri continuam, apparet, si vaginam cum sclerotica caute auferre studeamus. Pia illa mater a nervo reflexa, & ad scleroticam accedens, videtur esse albus ille circulus, origo choroideæ hucusque dictus. Intra hunc circulum choroidea, ut propria membrana oritur circa nervum opticum, multis vasis, & fibris cellulosis circulo illi albo annexa, quibus discissis aut maceratione solutis, choroidea integerrima ab albo illo circulo potest separari. Contigit id mihi in quibusdam oculis per medium discissis, ubi choroidea libera fluitat in aqua, nullibi nisi extremo limite circa nerv. opticum revincta, omnibus aliis vinculis, quibus scleroticæ posteriori parti adhærebat, solutis maceratione. Hæc sunt, quæ circa connexionem tunicarum oculi cum nervi optici involucris observavi. Ex animo mihi gratulabor, si benignum Præceptoris judicium conatibus hisce accedet.

Animus mihi est, observationes hasce, si dignæ Tibi videantur, quæ lucem videant, cum quibusdam aliis, tum circa oculi partes, tum circa alia C. H. organa observatis, in lucem edere, quibus nonnullæ icones ad faciliorem explicationem fortassis accedent.

Huma-

Humanitate tua fretus, ſpero, fore ut ſapientiſſimo tuo conſilio diſcipulum dirigas.

Obſervationi de ſcirrho cerebelli, cujus nuper feci mentionem, addere libet aliam non abſimilem hiſtoriam ſcirrhi corticis cerebri in femina adulta, ubi ſub oſſe bregmatis lateris dextri tres apparebant ſcirrhi corticis cerebri, quorum quilibet nucis moſchatæ magnitudinem æquabat; partes ſcirrhoſæ cum dura matre hic multo craſſiori ita erant concretæ, ut ſeparari non potuerint. Oſſa cranii illis ſubjecta non ſolum pro illorum forma erant excavata, ſed etiam hoc loco redacta ad chartæ papyraceæ tenuitatem, & foraminulis quibusdam pertuſa. Hemiſphærium cerebri hujus lateris multo erat altero mollius & fere diffluens, & multo latius, corpore calloſo paulum incurvato. Alterum hemiſphærium apparuit omni ex dote ſaniſſimum. Similem alterutrius hemiſphærii mollitiem obſervavi in infante ſex circiter annorum.

Summæ erga Te pietati, amorique, quo Tibi inſurgo, ferventiori, tribues, ſi ea qua par eſt reverentia abs Te petam, ut epiſtolam tuam ad Ill. de Maupertuis circa calumnias de la Metrie nuper datam, cujus illius reſponſoria mihi mittas. Interfui conſeſſui Acad. Berol. propediem, publice habito, ubi elogium de la Metrii regia manu conſcriptum publice legebatur. Sed de iis, quæ his ediderat, ne verbulo quidem mentio facta fuit.

Vale, commendatum porro Tibi habeas velim.

Berol. d. 22. Jan. 1752.

554.

JOH. GESNERUS.

Medicamentum Lavaterianum in ægris circiter x. expertus ſum. De his tænias feliciter expuli cum filamento, in eo tamen de papillis a Bonneto deſcriptis nil quicquam obſervavi. Qui tænia cucurbitina laborarunt, uſui ejus infuſum Tanaceti per paucos dies præmiſerunt. Unam obſervationem prætermittere nequeo. Nobili Viro circiter 5orio exhibitum fuit, de quo tæniam articulis brevioribus, vel primi generis, expulit 30. circiter ulnarum: poſt aliquot dies moleſtias in ventriculo ſenſit antea ſibi conſuetas, quaſi oberrantis & verſus œſophagum pergentis vermis. Aſſumſit novam medicamenti doſin absque effectu. Nunc vero fragmenta vermis cucurbitini ſ. alterius ſpeciei denuo excernuntur. Ut videatur non unum vermium horum genus in hoc corpore latitare. Tanaceti infuſum adhibebit, & denuo medicamentum repetet, quo effectu diligenter ad Te ſcribam. Medicamentum variat pro ætate & ſexu. Ex anthelmintico ſpecifico cum purgante vegetabili conficitur; hoc vero tum quoad doſin, tum quoad ſpecies pro natura ſubjecti innatare ſolet.

Tiguri d. 29. Januar. 1752.

555.

555.

PETRUS WARGENTIN.

Excuſes, Vir Illuſtris, quod diutius, quam par fuerat, litteras tuas, pro more, gratiſſimas, ſine debito reliquerim reſponſo.

Nova, quæ iisdem litteris tradidiſti, litteraria, Academiæ & imprimis Roſenio, Bæckio mihique fuere jucundiſſima, agimusque grates, quantas poſſumus, maximas, quod, in tot negotiis, nos tamen, noſtramque Academiam, ſæpius tuis inviſere ſcriptis non grave ducas.

Obſervationes Grantii, circa generationem piſcium, quas ex mandato tuo cum Academia communicavit Roſenius, ut ſunt perquam curioſæ, fuerunt quoque Academiæ acceptiſſimæ, quas proxime actis inſeremus. Litteras tuas & Maupertuſii, de cavillis de la Metrie, Bæckio primum & mox D. Roſenio legendas dedi. Miramur hominis imprudentiam & characterem ſane ſingularem, quem Maupertuis pulcre pingit. Ceterum gratulor Tibi plurimos adverſarios: Fama enim tua & veritas, quæ preſſa illuſtrior plerumque effulget, multum inde lucrabitur.

Gislerius noſter, tertio jam menſe hypochondriaco malo miſerrime vexatur, ita ut timeat medicus, quem optimo viro curandum Hernoſandiam miſimus, ne malum ad dementiam usque progrediatur. Dicere non poſſum, quantum me moveat amici

amici antiquiſſimi & integerrimi triſtiſſimus ſtatus. Ab ipſa pueritia fuit hypochondriacus. Dii meliora.

Roſenium huc expectamus, cum ægrotet alter principum, illi dabo novellas Göttingenſes, quas ad me miſiſti: nam ego Academiæ nomine, jam diu & regulariter quovis hebdomade illud accepi, iisque non mediocriter delector. Medici noſtri avide legunt. Vale & fave.

Stokh. d. $\frac{7}{18}$ Febr. 1752.

556.

J. GOTTFR. DE HAHN.

Medicus & æger magnum humani corporis cognitorem adeo. Teſtantur elegantiſſimæ icones tuæ abſconditas oculatiſſimis Anatomicis vias Tibi non eſſe abſconditas. Age! aperi, Vir Generoſe! quæ de meo ſanitatis vulnere ſentias. Etſi quæ animo tuo, uti aliunde novi, in mea commoda prono ſuccurrant, benigne eloquere! Vale, dabam Uratislaviæ 1752. die 26. Febr.

557.

JO. STEPH. BERNARD.

Quamvis non ita pridem litteras ad Te dederim, Vir Illuſtriſſime! non dubitavi tamen

men iterum ad Te ſcribere, ut teſtatum Tibi facerem, nihil mihi gratius accidere, quam ubi Tecum variis de rebus ad artem noſtram pertinentibus licet confabulari. Et ſæpius quidem hoc pacto animum oblectarem meum, niſi religioni mihi foret, negotia tua graviſſima ac in rei litterariæ & medicæ commodum ſuſcepta temere interpellare. Confidentiorem autem hodie me reddit caſus, qui ſe mihi ante octiduum obtulit, quique num ab aliis ſit obſervatus atque deſcriptus, plane ignoro; neque otio nunc ita abundo, ut Anatomicorum vel Practicorum volumina poſſim eapropter excutere. Ad Te igitur Vir Illuſtriſſime, ceu Apollinis atque Muſarum cortinam confugere conſultum duxi, ut non modo tempus compendifacerem, verum etiam edoceres clarius quid de caſu illo ſtatuendum: neque etiam variis verborum lenociniis Te rogabo, ut reſponſum edas, cum mihi & facilitas tua & animus erga me prolixus ſatis ſit cognitus atque perſpectus, tuo exemplo dudum probaveris eruditionem ab humanitate non exulare. Arceſſebar hora nona veſpertina ad matronam quandam, cujus ſanitati ab aliquot retro annis præfui. Deprehendi illam lecto compoſitam. Querebatur de doloribus in ima parte ventris lancinantibus, & addebat ſe animadvertiſſe per aliquot dies ſe ſanguinem emiſiſſe, parva quidem copia, ſed quæ nunc multum eſſet aucta: cumque noſſem gravidam, præſagiebam periculum eſſe ne abortum pateretur, quæ pluries ante abortaſſet. Pertentavi pulſum qui mollis erat & æqualis, ac ſicubi dolores remitterent

mitterent a majori ſævitia, bene ſe habere ajebat. Dum ad focum accederem, ut ei præſcriberem formulam, qua dolores mulcerem atque lenitem; vocat ad ſe fœminam quandam adſtantem, ac cœpit rogare ut ſibi jam abortanti opitularetur. Juſſi protinus ἔκτρωμα adferri, cumque illud adtente oculis luſtrarem, agnovi cuncta eliſa eſſe præter placentam, quæ & mox ſecuta eſt. Quo vero ſingula facilius conſiderarem, impoſitus fuit abortus patellæ ejus generis, quales ex India adferuntur, variis coloribus ac floribus diſtinctæ. Vidi tunc chorion membranam ſatis craſſam ac firmam, ſed in medio abruptam circulariter ac ſurſum tractam: Amnion vero turgidum admodum & liquore non ſubfuſco ſed limpido, qualis aqua fontana, diſtentum, per quem, tanquam per lentem cryſtallinam conſpicerentur, adparebant flores in patella picti vegrandes. Ubi Amnion lumini obvertebam, adparebat fœtus intus a vaſis umbilicalibus pendens ac fluctuans, ejus fere magnitudinis quales ſolent eſſe fabæ minores. Membrana, quæ continebat liquorem, non tam erat candida, quam coloris omnis expers. Extus comparebant fibræ tenues, quas pro membrana celluloſa habeo; ſed & craſſiores liquore fuſco repletæ, & nonnullis in locis tubercula quædam quæ forma cotyledonas ferme referebant: horum liquidum ſi limpidum fuiſſet, cogitaſſem de hydatidibus. Maceravi per triduum utramque membranam, chorion puta & Amnion, cum liquore intus manante in aqua, & aliam ſæpius adfudi, quo ſanguinem omnem eluerem.

Ne

Ne hilum inde degeneravit liquor, quin eadem ejus ac conſtans manſit facies; deprehendi tamen perire aliquando ejus colorem adeo limpidum ac ſincerum, ubi ſaccus aquæ fuit immiſſus, rediit autem mox poſtquam inde eſſet extractus. Membranas hoc pacto probe mundatas a ſanguine ſuſpendi in phiala ſpiritu vini repleta, obſervaturus quam mutationem inde ſubirent liquor & membranæ, ſed nullam hactenus deprehendi, & eadem ei perennat pelluciditas. Percontaberis me fortaſſe, quid tanto hiatu dignum hac in re invenerim, aut quid inde velim extundere: ſcilicet abortus πρόφασιν fuiſſe malam conformationem partium fœtum obvolventium. Retuli quidem matrem pluries abortum feciſſe, verum id ſemper accidit ex errore ab ipſa commiſſo; nam cum ſit habitus delicatioris & venæ multo ſanguine turgeant, evenit, ut ſi negligat venæſectionem ſibi adminiſtrare paulo ante illud tempus (circa quintam ſextamve ſeptimanam) ut abortum patiatur: quandoquidem vero tempeſtive monuit ſe gravidam eſſe, quo ſanguinis redundantis copia detrahatur, abortus periculum imminet nullum. Curaverat autem ſedulo hac vice, ne ei quidquam opprobraretur, apertaque fuit vena, me præſente. Non temere idcirco mihi videor culpam conjicere in fœtum & partes ei contiguas; etenim cum Amnion nimia liquoris copia diſtendatur, vereor ne chorion inde disruptum fuerit: unde accidit, ut pondus amnii in puncto contactus unico augeretur, chorio illud non ſuſtinente amplius inferne, quo circa nullo negotio ac pedetentim fuit

avulſum.

avulsum. Accedit quod fœtus nimia liquoris quantitate obrutus, ac in utero matris aqua submersus, vivere mox desiit, unde pondus iterum crevit; quod præterea a liquore fluctuante, ac mox in hanc partem irruente modo in aliam, denuo auctum est. Cum vero matrona illa post sextam demum hebdomadem abortaverit, fœtum aliquantum ante interiisse arbitror: quod ita tamen dictum velim, non quod credam tam parvos fœtus illo tempore excludi non posse, sed quod plures ejusmodi viderim, qui omnes hunc magnitudine superarunt.

At nunc tempus equum fumantia solvere colla, ut finem aliquando faciam epistolæ satis verbosæ. Vale Vir Illustrissime ac mihi Tui observantissimo fave. Dabam Amstelædami a. d. 10. Februarii 1752.

Exaraveram ad Te Vir Illustrissime has litteras, & jam illas ad Te dirigebam, cum ecce supervenit juvenis egregius, qui mores apud Te formaverat, & adtulit fasciculum cum litteris tuis mira humanitate ac eruditione conditis. Distuli igitur eas ad Te mittere, ut simul aliquid reponerem ad ultimas Tuas. Gratias vero primum maximas Tibi ago pro munusculis litterariis, quibus me tam amanter ac benevole donasti, lætosque summopere apographum meum epistolarum *τȣ̃ ταν́υ* plures Tibi subministrasse consultationes, quibus nova editio ornaretur. Summa cum voluptate perlegi animadversiones tuas in Bufonii Systema de Generatione, ac hariolor futurum si

vos

vos artis Antiſtites præcipui ita ſolertes pergatis naturæ arcana rimari, ut tenebras tandem omnes feliciter diſcutiatis. Recte omnino ac maſcule feciſti, quod epiſtolam tuam ad Maupertuiſium cum reſponſoriis Viri Illuſtris vulgaveris. Vivis ac veris coloribus depinxit Vir Ampliſſimus Demetrium. Miror tamen, qui nec ille neque Tu reſciveris, qua ratione ductus de la Metrie Tibi nuncupaverit Hominem ſuum machinam. Rem totam Tibi nunc expediam, ut illam accepi a viro rever. Du Boulay, Eccleſiæ Gallicæ Londinenſis Paſtorem. Habuit Theologus hic cum Leidæ ſtudiorum cauſa degeret ὁμοδίαιτον Demetrium, & alium Baſilea Helveticum, cui nomen erat S . . . . Cum ſæpius cum illis confabularetur inter prandendum, deprehendit S . . . . hunc eadem ſentire cum Demetrio, imo cum ingenio non minus valeret, plura ac παραδοξότερα dogmata fovere, quæ cum amico ſuo Demetrio communicabat: unde factum, ut cum liber homo machina dictus typis eſſet deſcriptus, ac Demetrius ejus exemplar legendum traderet Du Boulayio, hic protinus exclamaret, ſe S . . . . ſermones agnoſcere a Demetrio ornatos. Auctor igitur illius libri cenſendus erit S. . . . ille, cui Demetrius hinc inde quædam infarſit, ac gallico ornatu in vulgus juſſit prodire. Noverat autem Te S. . . . iſte, ac multa ad Demetrium retulit, hic vero ſive memoria gaudens non ſatis firma, ſive aliis de cauſis illa depravavit: atque hinc factum ut habuerit in penu ſuo Demetrius quædam, quibus incautis perſuaderet ſe Te familiariter uſum eſſe,

esse, cum tamen nunquam vultum tuum adspexerit. Poteris jam Tu meminisse an S. . . . illum noveris nec ne, aut an nomen ejus inter Academiæ nostræ studiosos compareat. Addebat Du Boulay, se ignorare num adhuc vivat S. . . . aut ubi locorum agat; se enim nihil de illo post ejus discessum Leida inaudivisse & jam abierat ante, quam Demetrius librum suum in vulgus emitteret. Habes rem totam ut illam pluries mihi narravit Du Boulay, & repetiit ante octiduum: nam hic hæret ut sarcinulas colligat, quo mox Londinum meet. Aveo videre dissertationem tuam de irritabilitate, quæ, ut omnia Tua, erit omnibus numeris absoluta atque perfecta. Doleo profecto Te pedum œdemate laborare, ac opto ex animo, ut brevi periculum, quod inde imminet, feliciter propulses. Vereor autem ne nimiis studiis inhies, ac vitam agas nimis sedentariam. Quantopere enim hæc sanitati obsit, meo exemplo didici, qui nunc cum quotidie per plateam vagari cogor, valetudine utor magis prospera quam olim, quum in litterarum otio degerem. Quæ de Meadio ad incitas redacto scribis, vera esse audio. Omnis ejus suppellex libraria & antiquaria venumdatur, sed clanculum. Obiit haud ita pridem Londini Mortimer, Academiæ Scientiarum a secretis. Præclara sunt omnino inventa tua circa corpora luteorum originem & opii vim irritabilitati adeo contrariam: sed eminent quæ de concentu motus venarum cum respiratione narras, Teque hortor, ut sedulo hoc paradoxum insequaris, cujus cognitio luculentior multam lucem

lucem adfundet doctrinæ de œconomia animali. Maximas vero gratias Tibi ago pro insigni tua benevolentia, qua illa quæ tua dexteritate nova quotidie detegis in anatome, tam liberaliter mecum communicas, Teque enixe rogo ut hoc pede pergas, ita me plurimum a Te Vir Illustrissime adamari, ero persuasus. Vale iterum. Dabam Amstelædami a. d. 26. Februarii 1752.

P. S. Abortus, de quo hac epistola Tecum egi, nullam in spiritu vini servatus ab illo tempore mutationem subiit.

558.

J. F. MECKEL.

Summe dolorifica inflammatione & suppuratione manus dextræ, ex furunculo maligno ibidem exorto laboravi, quæ gangrænam sæpius minabatur, ut vix vehementissimis emollientibus & suppurantibus in suppurationem eum redigere potuerim. Vehemens quæ inflammationem comitatur febris, & dolores somnum plane intercipientes, satis me debilem reddiderunt, ut vix adhuc sufficiam, laboribus meis subeundis.

Locus furunculi inter tendinem musculi ulnaris interni, & eos flexorum, prope caput inferius ulnæ fuit, & inter tendines flexorum profunde continuavit; ita ut flectere digitos, neque sentire iisdem potuerim, pressus vero a pure contento nervus cubitalis, continuo ad cubitum us-

que doluit; pus inerat furunculo durum, caſei inſtar, per partes, poſt inciſionem factam, eximendum. Nunc claudi incipit ſuppuratione ceſſante.

Ortum eſt hoc malum ex minimo grandine in quem apertum (ſinum), putridus ex vetuſto, forte venereo cadavere reſorbtus erat liquor, qui peſſimam ſtatim inflammationem & furunculum acrimonia ſua ſtagnante in cellulis apertæ grandinis fecit. Sic cautius agere damnum & dolor docuit. Neque enim putabam tam nocivum cadaveroſum fore ſuccum in parvam puſtulam reſorbtum, quem toties in vulnera inter ſecandum facta recepimus.

Abundat cadaveribus anatomia noſtra, & tres non longe abhinc puerperas diſſecui, quibus uterus & omnia abdominis viſcera albo ſpiſſo pure obducta, eodemque abdomen illæſis tamen viſceribus plane repletum fuit.

Summe fœtebant cadavera cum liquore illo purulento, & quod rarum, in una, 24. horis a morte, abdomen in regione uteri ſummopere calebat, reliquo corpore rigido ac emortui inſtar frigeſcente; diſſectus uterus & vagina putredine gangrænoſa diſſoluta erant & digitis ſine laceratione tangi non poterant.

Perbene ſuccedit obſtetricum inſtructio, & miror earum profectus, ſumma enim attentione omnia

omnia capiunt & retinent, quod de ejusmodi mulierculis nunquam cogitassem. Praxin in nosodochio Charité dicto exercent.

Berolini d. 29. Febr. 1752.

559.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Litteras tuas humanissimas, Vir Illustris, d. d. 5. Febr. ante paucos demum dies accepi, postquam epistola ad Ill de Maupertuis antea a Cl. Mekelio mihi reddita fuerat. Gratissimus agnosco, quod voti mei compotem me facere volueris.

Humanitate tua summa usus observationes meas leviusculas ad Te mittam, quamprimum paulo melius in ordinem fuerint redactæ, felicissimumque me judicabo, si dignæ Tibi videbuntur, quæ commentariis Acad. Reg. inserantur. Scleroticam cum dura matre inseparabili nexu cohærere fateor, in choroidea autem manifestius esse mihi videtur, illam esse tunicam propriam, a pia matre nervi optici diversam. Non semel enim mihi contigit, ut choroideam, inprimis in oculo, cujus vasa cera optime erant repleta, leniter tantum trahendo ab omni cum pia matre connexione liberarem, ora extrema, qua retinæ initium ambit, integerrima relicta, quæ nunquam nisi lacera auferri mihi posse videtur, si vera hic esset substantiæ continuatio. Oculi musculos re-

ctum interiorem, inferiorem, & exteriorem oriri video communi tendine inter nervum opticum & oculi motorium ad latus inferius foraminis optici, ita tamen, ut inferior multas praeterea fibras ab ipso nervi involucro accipiat. Obliquus autem superior fere omnis initium ducit a periosteo ossis plani, fibris tantum quibusdam tendineis duplicaturae durae matris angulo insertus.

Dubitatione tua, Vir Illustris, circa musculum Folianum auris internae permotus, ad examinandum propius hunc musculum accessi, de quo ita Tecum sentio, ut, quo saepius illum examino, eo suspectior mihi esse videatur. Omni oculorum acie adhibita, nullas plane fibras musculares, a membrana rubra satis diversas deprehendere possum.

Ante oculos nunc habeo retinam putredini per aliquot septimanas relictam, quae oculis sese offert specie telae cujusdam tenuissimae, quae oculorum aciem fere effugit, eodem modo ac in nuperius ad me adlata epistola illam descripsisti. Telam illam non vasorum contextum esse crediderim, sed substantiam quandam fibrosam, quae medullae alias diffluenti, firmitatem & robur quoddam praebeat. Videtur enim necessario requiri firmior quaedam substantia, quae medullares nervi fibras excipiat & ordinet, ne, ut in nervo auditorio molli contingit, retina statim sub attactu diffluat. Huc accedit, quod substantia medullaris in initio retinae adhuc conspicua adsit,

quae

quæ in anteriori retinæ parte ſumme extenuata evanuit, relicta tenuiſſima illa, de qua dixi, tela ſubtiliſſima.

Berolini d. 5. Martii 1752.

560.

JO. B. MORGAGNUS.

Non ita pridem accepi libros, quos tua, Illuſtris Hallere, epiſtola d. 2. Octob. indicaveras, mihi gratiſſimos omnes eo etiam nomine, quod ſingularem in tuis de me judiciis benevolentiam teſtantur. Gratias itaque cum pro illis, non pro hac præſertim ago non vulgares, habiturus dum vivam, & quacunque ratione potero, libentiſſime relaturus. Nunc amori erga me tuo minime reſponderem, niſi Te etiam atque etiam rogarem, ut quoad ejus poſſis, valetudini parcas tuæ, quam, non ſine animi mei dolore affectam etiam tum fuiſſe, ex eadem epiſtola intellexi. Nec miror, cum tot & tanta abs Te agi, aut ſcribi video eodem tempore. Da primum operam, ut convaleſcas; tum deinde ad laborem redibis. Quod ex me quæris de Cocchiis duobus, recte ipſe per Te putaſti. Romanus obiit; Mugellanus vivit. Si methodo ſtudii medici indicem cognominum addere potuiſſes, perfacile mihi eſſet, ſi quo forte alterutrius libro careas, ſignificare. Veruntamen primus edidit epiſtolas phyſico medicas, epiſtolam de lente cryſtallina oculi, orationem in apertione

ne Horti Botanici, Rifpofta ai Dubbi Anatomici del Petrioli, Rifpofta al Lapi, commentarios in tabulas anat. Euftachii, id eft in aliquot, ufus nomine Chermefii de Fulcet, quemadmodum in refponfione ad Lapium ufus eft nomine V. Tuccæ. Omnia hæc aliud alio tempore, exierunt Romæ, breviffima pleraque, fi primum, & ultimum fcriptum excipias, quæ tamen nec ipfa funt adeo longa. Mugellanus autem epiftolam edidit del Vitto Pittagorico, Difcorfo del Anatomia, & amplum volumen ante annum, Imperatoris juffu, & impenfa, ut audio, impreffum, de' Bagni di Pifa, quod, ut illa breviora, Florentiæ prodiit, a me non vifum, ut neque fcriptum, quod ante hæc omnia vulgaverat, ad anatomes hiftoriam attinens. Quos libellos, Grifelini videlicet, & Schieræ, optabas, cum aliis jam acceperis libris, fafciculo inclufis, quem circa medium Novembrem Bergomum ad Orellios pro Te mifi, miffurus etiam perlibenter Augufti Cigalani Tentamina de odoribus, fi apud Venetos bibliopolas quisquam fuiffet qui haberet. Verum ne norunt quidem. Sed fi addideris, quo anno, ubi, & qua forma exierint; perquirenda rurfus curabo, ut inventa fafciculo addam mittendo priusquam Junio menfe in patriam fecedam meam, menfes ibi quatuor moraturus. Addam & alia quæ interim jufferis (quod liberrime facias, rogo) fi ego, aut amici poterimus reperire. Et quando de amicis mentio injecta eft, quos inter ego inprimis colo Excellentiffimum Imperialium Majeftatum Confiliarium, earumque Miniftrum apud Sereniffimam Rem-

Rempublicam Venetam Refidentem, Equitem de Rathgeb, quo nemo in his regionibus inſtructionem habet botanicam bibliothecam, in qua tamen, ut fit, libri adhuc plures deſiderentur, & in iis, quos in calce hujus epiſtolæ adnotatos videbis; maximopere ab humanitate tua peto, ut quotquot ex ipſis commodo tuo poteris, emendos cures, indicatoque mihi pretio, & impenſis omnibus, pro quibus iſtic Tibi pecunia, ſumma cum fide, perſolvetur, in faſciculum bene compactos, ejus, ut ſupra poſui, nomine inſcripto, per mercatorem aliquem mittas Norimbergam ad D. Martinum Carolum Schweyer in ea urbe mercatorem. Eques hic ille eſt quem Griſelinus deſignat p. 4. Amat ille me, ut ego ipſum redamo, ut hoc Tibi occupatiſſimo Viro incommodum offerre audeam. Gratum fuit, quod paginas miſeris quibus Meadii Tomum II. perficerem. Æque gratum erit, ſi figuras mittere aliquando poteris, quibus poſterior* Jankii diſſertatio de mandibularum oſſibus perficiatur. Sed ut illæ deerant, ſic contra in methodo ſtudii medici bis poſitæ ſunt omnes paginæ, quotquot a 921. ad 1104. numerantur: quas diligenter ſervabo, remiſſurus quo juſſeris, ut ibi exemplar, in quo deerunt, poſſit perfici. Quod reliquum eſt, Vir Illuſtris, Morgagnum tuum amare perge: cui nihil gratius facere potes, quam ſi plurimum operæ dederis ut valeas.

D. Patavii poſtridie Idus Martias cIↄ Iↄcc LII.

561.

J. G. GMELIN.

Gaudeo, quod aliquantulum cum ſanitate in gratiam redieris, ut ſalutationes amicorum imprimis Cotta accipere poſſis. Neque poſſum mihi temperare, ut gratias agam quod non diſplicuerit Tibi transmiſſio III. vol. codex. Sum jam totus in IV°. & transmitto, ut van den Hoeckiæ tradatur. Plura jam mittere non potui. Sed curabo, ut ad ejus voluntatem nulla in imprimendo mora fiat. Cum Mappa ad IV. tomum ſeptentrionalia loca Sibirica, quorum ſæpe in itineribus meis mentio fit, aliquanto illuſtrabuntur, quæ certe in omnibus hactenus editis Mappis, præter Atlantem Ruſſicum manca ſunt. Lætum mihi eſt, quod vol. II. Floræ Sibiricæ acceperis, & quod non diſpliceat. Continuabo eadem diligentia etiam recenſionem reliquarum herbarum Sibiriæ, & antequam opus ulterius aggrediar, non negligam præceptum tuum, quo teneor Academiæ, quæ tanto affecit me honore, aliquam diſſertatiunculam transmittere.

Nova litteraria Göttingenſium ad me perveniunt. In quibus recenſio fiet Tomi II. Floræ Sibiricæ, mitte quæſo pro me ſingulare exemplum. Juſſi van den Hoekiam Te certiorem reddere, quod una miſerit expeditio poſtarum omnes litterarias novellas hujus anni, quare deprecor, quod Tibi laborem fruſtraneum faceſſerim, & gra-

& gratias ago, quod meis votis tam cito annueris. Quoad attinet ad dubia tua

1°. Multa nomina Sinica recipiant litteram R. non possum exacte respondere. Ego per Russum interpretem nostrum, qui & erat bene audiens, & ipse distincte pronunciabat & exactissimus erat, consignare jussi illa vocabula, & ejus propria manu scriptum exemplar adhuc penes me habeo. Nondum tamen otium fuit percurrere, & conferre rem impressis Tabulis mercatoriis. Faciam vero id & in præfatione ad Tomum IV. rem expediam.

2°. Kilaki est nomen regionis inter Amur & Udam. Gilaki scriptum est in Atlante Russico. Est nomen populi, non regionis.

Ego vero in disquisitionibus meis circa regionem Amuri nihil de hac gente comperi. Multa nomine Geodetæ in suas Mappas transtulerunt, quæ unde habeant, rationem reddere nequeunt. Forte a Strahlenbergo acceperunt. Nam hic habet terram Githiakorum, non Kiliakorum.

Vale cum carissima uxore & suavissima prole. Dabam Tubingæ d. 3. April. 1752.

P. S. De Spigelia, Anthelmia, annon dosis herbæ hujus determinata est, quæ coqui debet pro lumbricis necandis. Annon potest hujus copia fieri & unde?

Phytolacca, an cancro mammarum aut faciei quotidie imponenda est?

562.

J. F. MECKEL.

Præſes noſter Academiæ lente ægrotat; multis vicibus ſanguinem ſputavit, & nunc hæmoptiſin ex leviſſimo fere ſermone patitur. Vires debilitantur, & febricula veſperi corripit; ſputum vero cum tuſſi ejectum, ſemper ſtriis ſanguineis mixtum eſt. Relaxatus videtur, cum corpore, læſus & obſtructus pulmo. Ex communi præjudicio, medicamenta omnia (præter venæſectionem nimis forte abſque reſolventium ac diluentium uſu repetitam, & victum parciſſimum) omniaque medica reſpuit conſilia. Sic ſapientem perdit nimia prudentiæ ſuæ æſtimatio. Facile enim ignotam ſibi ſcientiam, pro inutili dijudicat, nimium de prudentia ſua univerſali certus. *Sed hæc Tibi ſcribo, rogatus ne eadem aliis patefacias, quæ Tecum in hac re communicare licet.*

Plura quæ Tibi ſcribam non habeo, ſed valetudinem Tibi optimam ſummamque felicitatem cum Tuis ex animo adprecatur, rogo ut mihi meisque faveas meque ames, addictiſſimum Tibi Tuique amantiſſimum diſcipulum.

Berolini d. 4. Aprilis 1752.

563.

563.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Etsi summa tua erga me humanitas, Vir Perillustris, ex quo Te conspicere, tuaque frui institutione mihi contigit, ita statim me cepit, ut summam a me Tibi deberi reverentiam sentirem; innumera tamen quæ ab omni illo tempore in me extare voluisti amoris tui in me monumenta, ita me Tibi obstrinxerunt, ut ea, qua parentes colo, pietate Te prosequi, Tibique ut filius insurgere, mearum esse partium firmissime credam. Inprimis autem nunc vividissima tui in me amoris, tot tantisque probati documentis, in me existere imago, qui ex humanissimis tuis perspexi litteris, me dignum Tibi videri, qui Professoris munere in Academia Göttingensi fungi possit. Gratissimum accipio donum hoc, quod mihi offers, suavissimum, quo nihil mihi contingi posset optatius, non solum quod anatomices & botanices, deliciarum mearum opportunitas mihi nascatur, sed inprimis quod propius & quotidie Tecum versari, eo melius per Te proficere & sapientissimis tuis præceptis amplius formari mihi contingat. Amoris tui in me persuasissimus, totum me Tibi trado, & sorte mea contentum me victurum mihi persuadeo, modo Tu, Præceptor Venerande, mearum rerum fueris tutela.

Felicem me dico, quod observationes meæ Tibi, tanto Viro placeant. Icones habeo paratas

tas musculorum oculi, quæ verum illorum ortum possint docere. Semper invenio sulcum ossi sphenoideo sub foramine optico insculptum, ea parte, qua foramen lacerum est rotundum, in quo jacet tendo ille communis, duræ matri continuus, qui inferiori, interiori & exteriori musculo præbet originem, quorum posterior alio præterita capite minori oritur communi principio cum superiori, quod ubi accedit ad alterum caput ex tendine illo ortum, hac ratione relinquitur intervallum fere ovale, per quod nervi tertii & sexti paris, & nasalis quinti, cavum illud conoideum a musculis oculi rectis formatis intrare possint, uti fere aorta per appendices diaphragmatis transit.

Mirum hodie vidi in theatro anatomico morbum, cujus uberiorem forte Cel. Meckelius faciet mentionem. Oborta inflammatione & suppuratione pericardii non solum illius cavitas pure erat plane repleta, sed ipsa cordis substantia ita erat affecta, ut absumta fere penitus membrana illius exteriori, ipsæ fibræ musculares sub pure nudæ jacerent. Vix concipi potest, quomodo motus cordis potuerint perfici. Vale, meque ut soles ama.

Berolini d. 7. Aprilis 1752.

564.

DAN. WILLH. TRILLERUS.

Vix ſperaveram, Magnum quoque Hallerum ſepoſitis gravioribus ſuis laboribus, æternum victuris, precibus meis locum daturum, lyramque ſuam ſuaviſſimam in ſupremos beatæ meæ uxoris honores tentaturum. Ingenti ergo gaudio, medio in acerbiſſimo luctu, me perfuſum ſenſi, ubi ad manus meas pervenit incomparabile illud Tuum, ſive quod idem eſt, Hallerianum carmen. Gratias igitur quantas quidem poſſum, Tibi ago maximas, Vir Illuſtris, pro illo inſigni prorſus honore, quo & me ipſum, & pios præſertim manes beatæ meæ uxoris, tam præclaro munere ob rariſſimas animi corporisque dotes, haud indignæ, benigne es dignatus. Deus Te, Vir maxime in publica commoda, quam diutiſſime vegetum ſalvumque præſtet, tuamque ſuaviſſimam Conjugem una conſervet, ipſique vitæ ſpatia longiſſime proroget, ne gemino luctui, qui Te quondam ſæviſſime percuſſit, tertius ſuperaddatur. Deus ipſe malum omen avertat! Ita vale, o magna præſentis ſeculi gloria, & futuri admiratio, meque Tuis ſingularis virtutis & reconditæ doctrinæ cultorem obſervantiſſimum amare, quæſo, perge! Scribebam Wittembergæ d. 16. Aprilis A. R. S. cIↃIↃCCLII.

565.

J. G. GMELIN.

Paucum tempus ad ſcribendum ſupereſt. Quare potius, ut incluſas litteras comitarer, quædam adjicio. D. 3. hujus menſis inter 11. & 12. noctis mortuus eſt D. Daniel Hoffmann, noſtræ facultatis Senior, unde multus labor in me derivatus eſt, in quo ne mihi ſuccenſeat van den Hoekia. Certe omnem dabo operam, ne inde patiatur. Mortuus eſt catarrho ſuffocativo, & quidem tophacea podagrica materia bronchia obſtruente. Miſi ad Te quædam noſtra eadem 3. Aprilis, cui etiam junxi 13. plagulas codicis IVti. quem jam urget parvum van den Hoekia, cum priores vix unquam illi ſuffecerint. Non potero abrumpere ante finitum iter. Sed contraham vela, quoad potero. Pro recenſione tomi IIdi gratias habeo. Non admodum adverſantur propalationi Petropolitani. Unus eorum aperuit mihi, quando tantum ea, quæ aliquo modo religionem offendunt, mutata eſſent e. g. de Sanctis Neapolitanis, Novogrod, in I. tomo &c. &c. tum rem tutiſſimam fore. In ea mente eſt, ſi circiter quadraginta aut quinquaginta exemplaria, quæ in Ruſſiam mitterentur, purgarentur ab ejusmodi nævis, ſi plagulæ, in quibus ejusmodi res continentur, aliter imprimerentur, tunc vero omnis querelis abſciſſum fore locum. Mihi vero videtur, moroſam fœminam hoc nunquam facturam, nimiasque impenſas prætexturum eſſe. Rogo ut in hoc aliquando

quando mediteris. Nam ego non audeo proponere, nec credo, omnino opus esse. Ipse Præses nec aperte impressionem denegavit, sed dixit, ut quæ imprimenda haberem, mitterem in Russiam, impressum iri cum splendore. Vale salutatus ab omnibus meis. D. XVII. April. 1752.

566.

NICOLAUS ROSEN.

De prospera tua valetudtne certior factus, non possum ego non magnopere lætari. Ea, quæ proximo anno transmisisti, recte accepi, itidem Dissert. Vol. II, Fac rogo, ut luci publicæ committas ejusmodi collectionem dissertationum, quæ ad Botanicam, materiam medicam & Chirurgiam pertinent. Optarem insuper, velis, aut ipse, aut, ut alius quispiam per Te exoratus edere constitueret collect. select. dissert. practicarum, ceteroquin brevi intereuntium: nec dubitaverim, quin opud illud omnibus perplaceret, & facile, uti putas, proba merx, emtores reperiret, dummodó aliarum etiam Nationum, quæ haud raro prodeunt, elegantiores disputationes ibi locum obtinerent debitum, v. gr. illæ Dn. Thiéry de differentia sexus, de morbis telæ cellulosæ &c.

Scias præterea me ex Hollandia dudum accepisse tua commentaria in Boerhaavii methodum disc. medic. opus profecto acuti judicii & vastissimæ lectionis, mihi auro contra carius. Clut-

toni

toni librum de febribus, ibi nominatum, possideo; specificum ejus coincidit fere cum elixirio acido Dippelii (Dippels saure Tropfen). Ipse non erat medicus, curationum tamen plurima exempla profert. Anonymi Essay on comparative Anatomy est Mst. codex Dn. Monro, invito autore impressus, id quod Anglicanus quidam doctior (Stanclan) dum me inviseret, & qui ipse in Scotia studiorum gratia vixerat, mihi retulit. Per litteras mihi nuper significavit Aurivillius, in Anglia adhuc degens, fuisse qui invenerit artem aquam marinam dulcem reddendi, cujus methodum probatam brevi communicabunt, ut spero, Acta Stokholmensia. Est apud Anglos Italus, qui liquoris injectione calculum vesicæ sanare pollicetur. Experimenta in nosocomio jam instituuntur. Scribit quoque esse novum Anatomicum, *Hunterum* in injectionibus satis felicem, neque silet ibi inter Medicos & Pharmacopœos graviores ali lites ac dissensiones, quales Lutetiæ Paris. inter Medicos & Chirurgos. Doctor Elff Stokholmiæ artem obstetriciam docet, & felici successu exercet. Rothmann commoratur etiamnum Parisiis, ..., & quomodo inde domum reveniat, dubius certe hæreo. Doctor Gisler totus jam est Melancholicus, spero tamen fore ut convalescat. Plurimas misi disputationes heic habitas, & pauca quædam scripta œconomica, quæ inter commemoro b. Elvii diarium, & summi apud nos Oeconomi Baronis *Brauner* (est Gentilhomme de la Cour Hof-Junker) filius b. Dn. Uplandiæ Gubernatoris, nuper editum

editum librum de agrorum & pratorum cultura. Crediderim Tibi Vir Illuſtris, traditas eſſe epiſtolas Harlemanni ad Comitem Piper, ſuperiori anno cum Oeconomicis aliis a me transmiſſas. Rogo, quia illarum non vidi mentionem factam in G. G. Z. Non ſine luctu & dolore nobis innotuit, Doctorem Haſſelquiſt, dum in eo eſſet ut in patriam reditum cogitaret, Smirnæ ex morbo pulmonum obiiſſe: expectamus tamen ejus Itinerarium atque collectiones, quæ omnia in novellis litterariis hujus hebdomadis recenſita vides. Circa autumnum hiſtoriæ naturalis ergo, hinc ad Africam abiturus erit medicinæ Licentiatus Martinus *Kähler*. Dn. *Löfling*, qui in Hiſpania nunc vivit, ſalario fruitur largiori. Regina noſtra clementiſſima mirabili flagrat amore hiſtoriæ naturalis & ex Hollandia inprimis multum, in eo ſtudio, adparatum ſibi coëmit. Neque Te, Vir Illuſtris, fugiat, Ordines Regni celſiſſimos certam pecuniæ ſummam adſignaſſe Horto botanico Dn. Prof. Kalm inſtituendo ad Academiam Aboënſem. Reſtat nihil aliud, niſi ut dicam, nos avidiſſime ſitire commentationem tuam de irritabilitate; ſive ſcripſeris latine, ſive germanice, ſive gallice, fac, rogo, ut in ſermonem ſuecanum, Te auſpice & moderante, transferatur opera manuque Dni. Sidrén. Permanebo uti ſoleo.

Upſaliæ 15. Maji ſt. v. 1752.

567.

J. F. MECKEL.

A die 23. Aprilis ad 10. Maji tuas ad me datas expectatissimas & honoratissimas litteras retinuit Sprögelius. Maxime dolui infirmitatem tuam, quam ex iis cognosco, quas utrasque tum illam de 23. Aprilis tum alteram a 10. Maji 14°. ejusdem obtinui. Det Deus, ut valetudo firmior cum animi tranquillitate Tibi redeat. Nondum B. de negata membrana pupillari vidi programma, sed facile refutabo, nam plus octies præparavi in pluribus fœtubus, & publice privatimque omnibus demonstravi, neque deerit Zinnius in tractatu suo de partibus oculi eandem testari, pluribus enim vicibus apud me vidit.

Zinnii fata doleo, meliora meretur optimus ac diligentissimus homo, amicus ac discipulus Tibi sincerus, qui certe diligi meretur. Magna mihi ex consortio suo voluptas oritur; dexterrimus est Anatomicus & certe doctus; si possibile fuerit, facias ut laborum suorum tua opera fructus habeat, erit certe & est inter plures gratissimus, ac Tui deditissimus. Non novi Rœd. sed ratione anatomica magni æstimo ac illi præfero Zinnium.

Nova

Nova non ſunt, quorum Te certiorem faciam, lente & male ægrotat optimus Præſes, medicamentorum paucorum uſu reſtituendus, ſi vellet uti. Sed pertinaciter inhærens præconceptæ opinioni, venam continuo ſecat, ut præ debilitate vix loqui, vix deambulare poſſit; qui roborantibus egeret ad vires reficiendas.

Berolini die 16. Maji 1752.

568.

JOH. GESNERUS.

Hisce diebus ſingulare luxuriantis in plantis naturæ ſpecimen ad me delatum eſt. Ranunculus pratenſis erectus acris floribus Bellidis minoris. Nam præter pedunculos florigeros & fructiferos Ranunculi, ex eodem ſinu pedunculi 2. & 3. unciales prodierunt, ſinguli vero perfectiſſimo flore Bellidis minoris onuſti. Niſi recentem & vivum adhuc ſurculum ipſe diligenter examinaſſem, fraudem aliquam latitare fuiſſem ſuſpicatus. Sed huic plane locus non erat. In locum natalem unde puer decerpſerat me contuli, ſed inter tot pratenſes Ranunculos novi hujus producti veſtigium inveniri non poterat; deſcripſi interim plantam, & qua potuit arte delineari curavi. Pontedera nulla ſemina ex horto Patavino miſit. Elaborat Hiſtoriam graminum, quæ proxime lucem videbit. Linnæi & Kalmii opera nondum Tigurum

pervenerunt. Hilli hiſtoriam animalium opto habere, ſi tua humanitate fieri poſſit. Doctiſſimus D. Hahn, Med. Doct. Heidelbergenſis Clariſſ. Gaubii nepos, in Itinere litterario per aliquot dies Tiguri degit, plurima nova litteraria imprimis ex Belgio adtulit. Sebæ Theſauri ſub haſta diſtributi ſunt; poſteriora ideo volumina Gaubius deſcribet, cui tabulæ jam diu operis exhibitæ fuerunt. Idem Kleinium methodum conchylionum multis acceſſionibus & obſervationibus auctam edet. Royenii Flora Leidenſis in MS. latet, & aliquot tabulæ expreſſæ ſunt. Elaborationem operis nepoti ut audio reſervat, qui editione operis erudito orbi ſe commendabit. D. Gagnebin ſumtibus & auſpiciis, forte & comite D. Spilmanno Medico Argentoratenſi, iter in Lotharingiam vicinosque montes ſuſcipiet. Ehrhardi conſilium de edenda ſtirpium hiſtoria ad Te pervenit, me inopinato inter collectores prænumerationum cum adminiſtratione conſpexi. Vale cum Illuſtriſſima familia & me ama.

Tiguri d. 20. Maji 1752.

569.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Quem ſummum tui in me amorem, Vir Perilluſtris, ſemper fueram expertus, eandem in litteris nuperioribus, quibus rem de Profectoris munere non ex voto ſuccedere mihi ſignificas, gratiſſimus veneror. Omnia enim me docent, Te

Te invito hoc mihi accidere, nec me unquam ſpe mea excidiſſe, ſi penes Te ſolum ſtetiſſet. Fateri quidem non dubito, triſtem mihi fuiſſe nuntium, qui omni ſpe, iterum eo minus Te Præceptore & Fautore utendi, penitus me privaverit; ſolatio tamen mihi eſt, quod iisdem litteris mihi affirmes, Te nunquam ex oculis me dimittere velle, Teque mei memorem ſemper eſſe futurum, ut eo patientius feram, quicquid mutare eſt nefas, modo me Tibi placere, non ultima laus mihi reſtet.

Totus nunc ſum in obſervationibus meis circa quasdam oculi partes in ordinem redigendis, quas ſeorſim edere conſtitui, ſi luce dignæ Tibi videantur. Omnia vero prius Tibi mihi ea precor, ut, qualenam tuum de illis ſit ſtudium, humaniſſime me doceas.

Iconem Aloidis, quamprimum flores protulerit, parabo, & adjecto charactere, &, quantum vires meæ ferent, illius plantæ hiſtoria, Tibi tradam, qui feliciſſimum me prædicabo, ſi, quæ commentariis veſtris inſeri poſſit, digna videatur. Inquiſivi in Stellariam, de cujus ovario Te & Cel. Ludwigium dubitare video, num ſit biloculare, an quadriloculare. Sed manifeſtiſſime vidi, eſſe quadriloculare, quatuor ſulcis diſtinctum, quorum quilibet ſepto perfecto reſpondet. Oederus, ut ex nuperioribus ad me datis perſpexi, meditatur Floram Danicam, plane ſorte ſua, quæ Hafniæ ſibi obtigit, contentus. Cel.

Gleditſchius a Paſchali inde feſto febre laborat, ut nondum ita, ac ſperaveram, horto botanico frui licuerit.

Quotidie nunc adſum Cel. Meckelio, diſſecanti animal marinum e Phocarum genere, qui quotidie nunc eſt in parandis illius animalis viſcerum iconibus. Multa jam vidimus curioſa, & Phyſiologiam egregie illuſtrantia.

Ceterum iteratis precibus Te rogo, ut porro favore tuo me proſequi, commodatumque mihi habere velis.

Berolini d. 20. Maji 1752.

570.

JOH. GOTTFR. DE HAHN.

Aliqua recuperandæ melioris valetudinis ſpes ſupereſt! neque adhuc dum animam purpuream reddidi! quanquam perſeveret pertinax morbus. Scilicet mitius ingenium induit, colligendisque viribus locum relinquit. Quod ſi ergo ſummo Medico, cui nullus languor inſanabilis, ita viſum fuerit, ut convaleſcam, auctam habebis ex meo numero numerum Tibi, Vir Generoſe, deditiſſimorum.

Edocuere me vero tui commentarii medicæ eruditionis inſtructiſſimi, mea poſtremorum duorum menſium moleſta experientia verum rerum ſtatum. Seceſſit tota interior veſicæ tunica, cujus

jus magna frusta hoc tempore reddita sunt; postquam nuper fundus prodierat, quem vesicalem, ni fallor, abortum tunc salutavi. Quale quid evenire quandoque Kochii testimonio docet. Comment. Vol. 3. pag. 712.

Jam vero quam difficilis sit persanatio visceris, omni momento diversæ dimensionis, & ad quietem, vulnerum coalitui tam necessariam, adeo inepti, ipse proh dolor! experior. Nunc secedere in Tusculanum, rusticæ vitæ haurire, victu herbaceo frui, animum relaxare mecum constitui. Aut hac aut nulla facile alia ratione convaliturus, uti ipse indicasti, Optime! Vale & ut totus tuus sim permitte!

Dabam Uratislaviæ 1752. Maji 2.

571.

JOH. GESNERUS.

Targionii Itinera exspectant commodam occasionem, qua Francofurtum mitti possint; jungere volebant medicamentum anthelminticum D. Lavateri, sed video sero nimis ad Te perventurum esse, si hac via mitteretur, accedit itaque per cursorem publicum. Modum adhibendi adjunxi. Vehiculum aliis est aqua pura, aliis infusum theiforme, aliis jusculum. In permultis hactenus experimenta suscepit felicissimo cum successu, & utriusque generis tænias expulit integras. Nuper etiam tæniam illam prioris generis serratam cujus

extremitas altera ultra pollicem in bina diſtincta articulata filamenta terminabantur. Tænia Plateri difficilius expellitur, hinc in ea ſpecie ſuadet ut infuſi Tanaceti uſus per octiduum mane & veſperi præcedat, & cubitum iturus per id tempus cochleare olei amygdalarum dulcium aſſumat. Hoc etiam modo fugatur ex ventriculo, in quo ſubinde habitare non obſcura habeo indicia. Prima vero tænia mitioribus expellitur medicamentis, & puto ex his maximam partem conſtare pulveres numeris 1. & 2. ſignatos. Tertio pulveri additur Pharmacum huic imprimis ſpeciei adverſum vehementius quoddam purgans. Idem Dn. Lavaterus nuper in Senatum Tigurinum receptus eſt. Tiguri d. 5. Junii 1752.

572.

J. F. MECKEL.

Amphibion diſſecui & pingi totum curo, ex Norwegico mari allatum, cujus ſtructuram prorſus mirabilem Tibi coram enarrabo, & ſtupeſces mirandam fabricam, nulli adhuc deſcriptam nec obſervatam. Ad nullam claſſem referre animal hoc poſſum, & niſi apud Te ejus memoriam in libro quodam hic deficiente reperiam, plane incognitum eſt, ambigit inter phocam & canem marinum, ſed ſimillimum in faciei feli vel cato; etiam ab iis qui apportarunt Seekatze dictum. Oculi ſtructura plane mirabilis etiam accuratiſſime depicta eſt. Berolini d. 6. Junii 1752.

573.

573.

JOANNES BOHADSCH.

Gratulor mihi quam maxime, quod dissertationem qualemcunque meam de Sepiarum ovis benevole susceperis; ejus exemplaria alia duo Tibi mitto, ut illa cum amicis tuis communicare possis.

Si commentaria vestræ Academiæ Lipsiam non advehantur, jube, Te iterum iterumque rogo, ut quiscunque mercatorum eorum unum exemplar secum Lipsiam adferat, & Dno. Schachtl amico meo tradat, qui statutum pretium ei solvet.

Herbas Boemicas plures collegi & futura hyeme earum descriptionem typis mandabo. Sunt quædam rariores, quarum semina ad Te mittam; ex omnibus autem unum novum genus mihi videtur, quod ex altera parte descriptum vides: an tamen novum genus sit? me certiorem reddere non recusa.

Proxime Alpes giganteas conscendam, ubi uberrimam plantarum collectionem spero, neque Tui obliviscar. Vale in majorem Reipublicæ litterariæ utilitatem, & mihi fave,

Dabam Pragæ 13. Junii 1752.

Novum plantæ genus.

Cal. perianthium monophyllum quinquepartitum acutum persistens, laciniis lineari lanceolatis.

Cor. petalum unicum campaniforme, limbo multifido, laciniis acutis.

Stam. Filamenta quinque e medio corollæ enata, corolla breviora, introrſum arcuata: antheræ biloculares conniventes & nectarium ambientes.

Nect. Tubus pyramidalis e calyce enaſcens, piſtillum ambiens, ad ſtigma uſque porrectus.

Piſt. Germen ovatum intra nectarium, ſtylus filiformis longitudine nectarii: ſtigma compreſſum exiguum ſupra nectarium.

Peric. nullum a nectario diſtinctum.

Sem. plura ſubrotunda, receptaculo adnata.

574.

J. F. SCHREIBER.

Faxit Deus, ut in magno tuo opere phyſiologico progreſſus facias & multos; ſic &, quod mihi placeret plurimum veloces.

Mirum eſt, quod quum Tu, Vir Nobiliſſime, toties, & Hambergerus experimentum Lieberkühnii inſtituerint; nihilominus ne unus memoraverit, niſi oppoſita, ſe cadavera illorum brutorum aperiri feciſſe ad ſtatum pulmonum explorandum. Nonnemo, cui illud experimentum commiſeram, voluit mihi perſuadere, quod bullæ aliquot e ſiniſtra cavitate pectoris per aquam aſcenderint, ſed e dextra nullæ; pulmonibus revera intactis: certe curabo, ut aliquoties repetatur. Fuerat autem ille canis, de quo referebat ille, ſtrangulatus.

Quæ

Quæ de inſenſilitate capſularum, tendinum, meningum, perioſteorumque inſtituuntur, me judice, vera ſunt omnia. Illa ergo ſententia hactenus neglecta fuit, præjudicio quippe contraria, ab eis, qui experimenta dedignantur. Non erat tamen ab auctore Göttingenſi de irritabilitate ita proponenda, ac ſi Göttingæ nata eſſet. Etenim inſenſilitatem tendinum, cum per obſervationes, tum per experimenta adſeruerunt Cowper, Cheſelden, Robinſon, eamdem de perioſteis audacter Cheſelden publicavit. Nihilominus adhuc refutandi ſuperſunt Chirurgi, qui peſſima effecta narrant, quæ conſequuntur tenſionem nimiam pericranii, atque membranarum aponevroticarum, uſque ad ipſam gangrænam, ſed illico ceſſantia, poſteaquam diſcinduntur. Vide Mem. de l'Acad. R. de Chirurgie T. I. paſſim.

Pari octavo nervorum ligato, canes ſupervixiſſe clamantes, mihi eſt res nova. Interim bene memini, me ex Te, Vir perſpicaciſſime, olim quæſiviſſe, ut nexum inter ſurditatem & mutitatem me edoceres, ſcilicet tales morbos, qui diu poſt nativitatem ſimul oriuntur. Et provocavi tunc inter alia ad obſervationem, quam adduxit Littre, ubi juvenis, poſtquam, inter manus conſerendum, ipſius fauces (gorge) ab adverſarii manu eſſent conſtrictæ, mutus ſurdusque permanſit.

Arteriarum cordis ſanguis *certo ſalit in ſyſtole* (intelligo tum in ſuperficie cordis ſitas) *ſubſidet in diaſtole* ſcilicet arteriarum illarum ipſarum (*cordis*).

Petropoli 17 $\frac{23}{6}$ 52.

575.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Si bene me noſti, Vir Perilluſtris, facile credes affirmanti, litteras tuas heri mihi traditas, quibus ſpem aliquam Göttingæ pro me ſupereſſe humaniſſime me docuiſti, eo mihi fuiſſe gratiores, quod eo tempore, quo vel amplius ſperare nefas videbatur, mihi nil tale opinanti lætiſſimum nuntium attulerint. Etſi enim ſpes, quam Cel. Meckelius de Academia Gieſſenti ſponte mihi fecerat, votis meis non reſponderit, facile tamen æquum mihi parabo animum, modo opportunitas mihi inde enaſcatur eo minus animum ſumma in Te pietate plenum Tibi teſtandi, & ſub ipſis oculis tuis amore tuo, cujus tot jam in me extant monumenta, ex voto fruendi. Indefeſſam induſtriam ſummamque fidelitatem ſpondere auſim, quam ſi perſpexerit, Mæcenas veſter indulgentiſſimus, forte nec ipſe candidiſſimus judex deerit juveni, nil niſi amorem ſtudiorum ſpiranti. Prudentia vero tua, Vir Perilluſtris, viam facile inveniet, qua Rœderero alio modo poſſit ſatisfieri, ſi unice in Anatomia ſe exercere exoptat. Tu interim vale, & porro favore tuo complectere.

Berol. d. 10. Julii 1752.

576.

DAN. WILH. TRILLERUS.

Duplici ſane modo litteræ mihi tuæ gratiſſimæ fuerunt Vir Ill. & quod a Te, tanto Viro, ad me miſſæ eſſent, & quod mihi a Collega tuo, ſummæ & humanitatis & eruditionis Viro, omnium bonorum & doctorum ſingulari favore & obſervantia, hinc quidem ſuo merito, digniſſimo, redderentur. Illud vero, ut ingenue fatear, in illis, potiſſimum me male habet, quod ſuaviſſimæ tuæ Conjugis valetudo haud ſatis firma tutaque videatur. Deus malum omen avertat beniginiſſime, Vosque irrupta copula jucundiſſime ſociatos, quam diutiſſime teneat! ne tertiam acerbiſſimam illam calamitatem domeſticam experiaris, quam bis jam, ad inſtar dulciſſimi cujusdam Orphei, mœſtiſſime luxiſti. Quantum enim funeſtis ejusmodi caſibus, omnes vitæ noſtræ rationes omniaque inprimis ſtudia noſtra conturbentur ac confundantur, ego adhuc proh dolor! ingenti meo luctu tædioque quotidie perſentio, neque in hoc uſque tempus tantopere quidem, ſed fruſtra a veterum Sapientum cœtu laudatum altiſſimo meo vulneri pulchram ſolidamque cicatricem inducere potuit, nec unquam, credo, poterit, manet enim ſemper manebitque alta mente repoſtum illud ineluctabile malum. Mitto hic exiguam vilemque diſſertationem vix oculis tuis dignam, nuper admodum publice, ex conſuetudine habitam: Tu quotidie longe meliora & comtiora

tiora facili, immo nulla pene opera, in publica commoda, promis, quæ si data occasione, mecum benigne communicare, Tibi placeret; rem sane mihi faceres longe gratissimam, cujus insignis beneficii memoriam nunquam non grata officiosaque mente recolerem. Hippocrati græco & latino, seu Cornelio Celso, adhuc quotidie fere, quantum nempe per alia graviora officii nostri negotia licet, & expoliendo, & emendando & interpretando, aliquot horas impendo, adeo, ut haud dubie vehementissime miraturus esses, ubi vastam illam emendationum & observationum silvam atque farraginem in utrumque illud Medicorum græcorum & latinorum principem, aliquando conspiceres. Tibi igitur Vir Ill. & me & ista mea studia potissimum commendo, tuo enim præsertim favore ac benevolentia plurimum lætor gloriorque. Hinc vale, in publica commoda, quam diutissime, meque magni tui nominis observantissimum cultorem, amare quæso, pure!

Wittebergæ d. 20. Julii cIↃ IↃCC LII.

577.

P. H. G. MOEHRING.

Paucis hominem in republica litteraria jam pene emortuum audias velim. Vacillans ab aliquot annis sanitas, labor practicus fere major, quam vires ferre valent, mors patris, triumque fratrum, e quibus ego solus superstes, animum humiliarunt.

miliarunt. Lego tamen, quantum possum, nova. Excitavit me his diebus recensio libri, in novis Litter. Götting. 1751. p. 1074. sq. occurrentis, ut hæc ad Te scriberem, simulque veterem tuum mihi favorem ac benevolentiam compararem. Miratus fui, qui in Belgio studiis olim incubuisti, veteres tuos amicos, Royenum, Gronovium aliosve de libro hoc utilissimo & *πρακτικοτατω* tacuisse. Ab anno 1737. quo belgica editio prodiit, usus sum ea familiarissime. Auctor certo certius est celebris J. V. D. cujus b. Boerhaave in ind. alt. Lugdb. 2. p. 114 de tuberosis meminit, Petrus de la Court. Post mortem ipsius, ponendam inter annum 1738. & 1740. quidam editionem gallicam paravit, in plurimis felix interpres & boni usus, in nonnullis vix excusandus. Ex. gr. in juglandum capite corticem fructus ita per ligni vocem (le bois) exprimit, ut varietatum discrimen in ligni majori minorive tenuitate consistere judicaveris, non in corticis ossei fructus differentia. Ed. Belgica: de Kraekbesjens syn sagt van schelp interpretatur hæc Gallus: les becs de corbeau ont le bois fort mou. Sed redeo ad auctorem, bonum physicum practicum, solertissimum hortorum cultorem. Dono sæpius M. Britanniæ Regi uvas maturas misit tempore, quo hortulani regii Angli iis carebant. Thermometra ejus præsertim mercurio repleta, nullis inferiora censeo. Gradus Dni. de la Court 15. est, qui 32°. in illo Fahrenheit maxumus sanguinis in homine sano calor, qui Fahrenheitio 96. huic 45°. est. Vidi tamen an. 1750. m. Julio gradum

gradum $43\frac{1}{2}^{o}$. quum homines heic ſani in agro præ æſtu perirent; & quod magis eſt, gradum $\frac{1}{2}$. ſupra 0. die 9. Julii 1740. in noſtro loco elevationis polaris 54°. 45′. nocte, qua bini operarii, lecti modica tenuitate non modo mortui, ſed & unus, vas nitreum, aqua repletum, & totum gelu ſolidum, ſub ſtragulo continens habuit. Etſi quidem gradum frigoris incipientis verum cenſeo, illum tamen hominis ſani calorem ſanguinis ſignificantem, vix credo, ſed fere majorem, in Fahrenheitiano 102°. circiter, in illo noſtri Dni. de la Court 47°. ad 48°. ſumendo calorem hominis ſumme plethorici, lacertoſi, ſanguineo cholerici, ſani, tempore matutino, jejuni. Redeo ad noſtrum denuo. Quæ de mutatione malorum in pyros in introductione ſcribit, facile illuſtrari puto, per inſitionem cydoniorum, cui & mala & pyra ſunt meræ varietates. Et nota Tibi erit varietas illa mali, cui nomen Quitapfel, Gallis pomme poire, quæ figuram mali, ſaporem verum pyri habet. Verum non egiſſe botanicum liquet auctorem, etſi ſyſtema ſexuale una cum Linnæo noſtrum intellexiſſe doceat ipſius de melonum natura tractatio. Optarem germanicam operis editionem, quoad phyſiologiam plantarum in paucis nobilis.

Opera tua, Vir Humaniſſime, multa cum aſſiduitate ſemper perlegi, nec ſine multo fructu; qui commenta multorum, ſine manuali tractatione anatomicas propoſitiones theoreticas, ut videtur ipſis, demonſtrantium, ingenue explanas. A multis

multis annis haud exiguis ſumtibus hiſtoriæ avium indulſi; e numeroſiſſimis obſervationibus, e vivis avibus petitis, enatæ ſunt pagellæ quædam, jamjam typis commiſſæ. Bonis avibus ad nos adcedit Bibliopola veſter, Dn. Schmidt, cui & haſce litteras, & exemplar libelli concredidi: honori mihi ducam, ſi viſis vel aliquod ad ſenſum præbueris, vel judicii lapſus ingenue mecum communicaveris. In altera parte ſpecies avium cum ſynonymis locupletiſſimis expediam; forte intra annum abſolvendam. Dic mihi, quæſo, Vir Illuſtris, qui ſit Barr. Orn. cujus in Syſt. Nat. ad 6. claſſ. avium aliquoties meminit Linnæus. Non erit Barrere hiſtoire naturelle de la France équinoctiale, in quo libello nihil fere inveni, quod hiſtoriam avium naturalem illuſtraret. In parte tandem tertia hiſtoriæ meæ avium deſcriptiones omnium, quotquot nanciſci potui, & præſertim maritimarum prolixæ occurrent, cum earum iconibus, quæ vel nullibi, vel falſæ exſtant. Exſpectanti reſponſum faveas in poſterum, Vir Illuſtris, meque amare pergas, velim etiam atque etiam. Jenæ Friſorum, a. d. 20. Julii 1752.

578.

J. C. RAMSPECK.

Dediſti mihi in mandatis, ut *Frangulam ora folii ſerrata* conquirerem, depingendamque curarem: nihil mihi itaque magis curæ cordique fuit, quam ut iis pro officii ratione quam ocyſſime ſa-

tisfacerem. Quum autem plantam hanc desideratam nunquam antea viderim, nec mihi ulla ratione esset nota, Herbarium Hagenbachianum, quod in bibliotheca nostra publica asservatur, perlustravi, ibique nonnulla hujus Frangulæ exempla sed injuria temporis satis corrupta deprehendi; nullusque nostratum eam unquam invenisse, vel vidisse affirmabat, nec Königius nec Zwingerus. Itaque a medio mensis Maji usque ad Junii initium nonnullis vicibus Dornacensem adii montem, atque, ut frutex noster eo minus me subterfugeret, amicis duobus Botanices satis peritis stipatus, omnesque recessus & abdita montis vicinorumque locorum debita cum industria peragravi; in sylva quidem ipsa plane nulla ejus aderant vestigia; sed in sepibus pratis prætensis, plantam ut credo desideratam reperi, cujus (floris) iconem a Buchelio pictore nostro exactissime delineatam hic transmittam. Frutex erat satis altus, ramosus, flores non tam numerosi nec tam dense congesti ac in Rhamno communi officinarum, hinc miror, cur a C. Bauh. πολυκαρπος appelletur, mallem eum ολιγοκαρπον vocare: insistunt petiolo semiunciam circiter longo: calyce quadrifolio herbacei coloris donati, in cujus incisuris 4. parva petala latent, absque oculo armato haud bene conspicienda, quibus totidem adhærent stamina antheris stipata, in quorum medio pistillum, stamina multo longitudine superans, quadrifidum, subalbidum, cum stigmatibus crassiusculis, embryonem sub se continens, qui cum transversim secuissem tetrapyrenus mihi videbatur. Folia satis rugosa multo

multo majora, quam in Rhamno vulgari, non tamen omnia eadem magnitudine ac figura, nonnulla duos digitos cum femiffe lata, tresque ad quatuor longa, nonnulla vero minus, quædam magis rotunda alia magis acuta, omnia tamen rugofa, nervisque eminentibus ftipata, figuræque I. B. apprimi convenientia. Hæc crefcebat in monte Dornach. Quum vero C. B. locum natalem hujus plantæ in monte Muteto defignet, eum pariter aliquoties confcendi totumque peragravi, ita ut audacter afferere aufim, nullam hujus montis partem intactam a me fuiffe relictam, ibi inveni fruticem eodem prorfus flore donatum, ita ut ne fit minima differentia, fed multo humilior eft modo dicto, ejusque folia multo funt minora minusque rugofa, foliis Rhamni vulgaris prorfus fimilia, atque tantummodo ab eo quoad florem differt. An diverfa fit fpecies haud facile dixero, etiam alii uti Königius nefciunt, quid de hoc ftatuendum fit. Utriusque exemplorum ficcatorum cum fpecimine quodam ex Herbario Hagenbachiano fumto commoda opportunitate, quam hactenus fruftra expectavi, Te Vir Illuftris! participem reddam. Hinc etiam factum, ut cum epiftolam cum herbis ficcatis una transmittere animus fuerit, eam hactenus diftulerim, quod ut mihi benevole condones enixe obfecro; inftantibus itaque nundinis Francofurtenfibus alia occafione deficiente ea mercatori D. Renier tradenda committam.

Quum Lonicerum non poffideam, ejus figuram examinare nequivi, defcriptionem autem J.

B. & Caſpari in Prodromo inſpexi, in quibus nonnulla dubia mihi occurrunt, quæ ut ad Te Præceptor colendiſſime! tranſcribam temperare mihi nequeo. Primo videtur mihi J. Bauhinus nimis hyperbolice de magnitudine foliorum loqui. *Folia quam in vulgari Alno nigriora multo ampliora palmo longiora* $2\frac{1}{2}$ *uncias lata.* Porro ait: *Stylo in 3. cornicula extrorſum reflexa diſſecto.* Verum planta reperta conſtanter piſtillum quadrifidum habet, ut ne unicum in tria ſolum cornicula diviſum in ea repererim. Caſp. Bauhinus in Prodromo aſſerit, *flores habere Frangulæ vulgari ſimiles*, ſed Frangula conſtanter quinquefidum habet. Ipſe Vir Celeberrime! in Enumerat. ad Frangulas refers, ſed noſtra uti jam dictum conſtanter calycem habet quadrifidum. In Herbario Hagenbachiano id mihi paradoxum videtur, quod, uti ſchedula appoſita indicabat, planta menſe Majo collecta baccis jam fuerit inſtructa, quum circa finem hujus menſis demum florere incipiat. Equidem Caſparus vere eam florere aſſerit, ſed ſine dubio in lato ſenſu.

Quod conſultationes Boerhaavianas ſecunda jam cura editas cum aliis tuis ſcriptis per Zimmermannum noſtrum mecum pro ſolita tua in me munificentia communicare volueris, ingentes Tibi jam antea ſatis obſtrictus, ut meritis in me tuis referendis prorſus ſim impar, ago grates.

Montiam hic pariter creſcere deprehendi in ripa rivi Wieſen haud procul a ponte. Pariter Potamogeton N°. 10. Enum. & Pentapteris prima Enum.

Enum. pag. 201. in udis circa pagum Riehen inventæ ſunt. Mox ſegetibus demeſſis iterum in Peloriam inquiram obſervationemque perfectiorem reddam.

Dabam Baſileæ Calendis Auguſti 1752.

579.

MILCOLUMBUS FLEMYNG.

Miraberis procul dubio, Vir Ornatiſſime, me hominem Tibi prorſus ignotum graviſſima tua negotia interpellare auſum. Sed ea rerum humanarum ſors eſt, ea ratio, ut, qui ſingularibus inſtructi dotibus, ſingularibus beneficiis humanum genus, quod Tu facis, demerentur; iidem multum ſemper in ſe curarum & moleſtiæ derivent. Harum itaque litterarum materiam & ſcribendi cauſas quam potero breviſſime, tempora tua publicis commodis dicata minimum moraturus, tradam.

Poſt praxin medicam in Scotia primum, dein in Comitatu Eboracenſi, per viginti & ſeptem annos agitatam; tandem equitatioris & ruſticationis laboribus pro infirma valetudini impar, æſtate proxime elapſa in hanc metropolin me contuli. In qua ut victum pro uxore & tribus liberis compararem, prælectiones privatas de œconomia animali, quæ hic deſiderabantur edere occepi. Rudes quidem & compendiarias præ

tuis, tuarumve, si quæ sint, similibus, utpote urgenti aut paulo pluribus concionibus, anglico sermoni habitis absolvendus, in eorum præcipue gratiam, quibus institutione academica frui non datur, aut libros latinos vel exteris linguis conscriptos intelligere; ejusmodi me hercule hominum nimius multo numerus in Britannia nostra medicinam facit, sed quoniam res vix aliter se habere potest, tales, quantum commode fieri queat, erudiendi videbantur.

Hujusmodi vero conatibus exequendis me utcunque parem & idoneum effecere imprimis libri tui, omni certe pretio majores, tam commentarii in prælectiones Boerhaavianas, quam, quæ spem nostram animo diu præconceptam avidam quamvis longe vicerunt, primæ physiologiæ lineæ. Æquum igitur & decorum est, ut pro tantis beneficiis Tibi gratias agam, quas potero maximas.

Inde impendissime quæsus sum, cum a Te ipso, secundæ primarum linearum editioni præfanti, intellexi Te systema plenum & integrum physiologiæ humanæ non solum meditari, verum & exarando & perficiendo etiam nunc graviter incumbere.

Propterea valde aveo scire, num opus illud exoptatissimum sit brevi proditurum in publicum, nec ne: animus mihi quippe est in linguam anglicanam quantocyus vertere: idque non solum quæstus

quæstus causa, verum ad proprios in hisce rebus profectus. Tum vero commodum videbatur & decorum, ut qui ipse physiologiam doceat, tale opus interpretandum suscipiat.

Si rescivero litteras hasce ad Te esse perlatas, & simul potero commodam viam invenire, qua aliquid grandioris molis, Göttingam, tuto, & quam minimis impensis, queat apportari, mittam duo vel tria opuscula nostra, post Neuropathiam edita; tum librum, quo video instructissimam tuam bibliothecam caruisse, cum Boerhaaviani studii medici methodum publici juris fecisti; principem nempe editionem librorum Petri de Crescentiis ruralium commodorum, a Joanne de Westphalia Lovanii absque anni notatione typis impressam. Eum inter vetustos libros casu repertam, modico omnino pro rei raritate pretio, mitto integrum quidem & magna ex parte admodum nitidum. Curta nostra librorum suppellex illiusmodi σπανιστερα non affectat; satis mihi plena habenda, si necessaria modo complecteretur. Amplissimæ tuæ collectioni melius conveniet.

Vale diu & feliciter age, Vir præclare, juxta ac optime, communis Præceptoris memor. Fuit autem ille mihi supra fidem amicus & beneficus; nobis cum eo ad ipsum usque mortis, nulli quam mihi flebilioris, annum perpetuum fuit litterarum commercium. Ut non pudeat ejus benevolentiam sollicitè ambire, cui Boerhaaviana memoria

adeo cordi eſt, adeo cara. Tum conterranei Gesneri veſtigia premere perge, cui jam aſſecuturo ſimilis immines, propediem ſi quidem fieri poſſit, præverſurus. Iterum vale. London.

580.

J. F. SCHREIBER.

Experimentum Lieberkühnii iterum repetitum in utroque pectoris latere nullam veſiculam aëream oſtendit, illæſis pulmonibus & pleura recte perfoſſa. Neſcio tamen, an tantum tribui debeat illi experimento. Fac enim, ineſſe aërem ſani animalis pectori, poteſt fieri, ut perfoſſa pleura, in plurimis caſibus bullæ aëreæ videatur nihil, in pauciſſimis videatur bullula aliqua. Scilicet, annon hic ratio habenda longitudinis plagæ, quo alterum fluidum alteri cedere queat. Enimvero quoties conſtricta trachea, pulmo ſimul vulneratur, aër poteſt ſenſibiliter effluere e vulnere pectoris propter copiam. Ideoque videtur, abſentiam bullularum aërearum in propoſito experimento non oſtendere apodictice abſentiam aëris thoracici.

Petropoli d. 11. Auguſti 1752.

Sed inter omnes tuos labores mihi carior erit nullus eo, quem in magno tuo opere phyſiologico ſuſpiciam.

581.

JOAN. FRID. MECKEL.

Non ægre feres, Optime Præceptor, diuturnum ab abitu a Te, silentium meum. Nosti bene, quantum urgeat acceleratum ubique iter, imprimis si digna quævis visu contemplari animus est. Sæpissime de litteris cogitavi, at non potui eo pervenire. Nunc postquam huc demum Deo juvante adveni tempore utor, ut Tecum absens colloquar, nil visu dignum in arte reperi. Argentoratum usque, exceptis plantis quibusdam; imprimis Hyperici speciem valde elegantem, adhuc mihi non visam, foliis circa caulem conjugatis, flore eleganti rubicundo; color foliorum saturatissime viridus. Nulla similitudo neque cum vulgari nec cum elegantissimo, nec villoso, nec caule quadrangulo illi est. Non novi an ullibi annotata sit hæc species plantæ, elegantissimæ similis; deficiunt hic libri, quos evolvere per moram queam. Hypericum foliis caulem amplexantibus optime dici potest, folia cordiformia sunt, basi lata ad caulem versa [Pulchrum]. Inveni inter Schlangenbad & Wisbad ad viam: præterea Wormatiæ elegantissimam Antirrhini speciem, foliis acetosæ vulgari similibus, repentem in muro antiquo reperi: color floris fere cinereus, calcar breve. Unicum exemplar adfuit, quod asservo. Hypericum copiosius collegi. In alpibus ad radices Metti elegantissimum Antirrhinum foliis

liis verticillatis, Hieracium alpinum & multas alias alpinas plantas, Seda varia, Seseli purpureum inveni, sed non potui Gentianam alpinam reperire, licet plurimum inquisiverim. Sunt aliæ plantæ, in via repertæ, quas siccatas coram melius videbis.

Argentorati optimum vidi Friedium, bonum certe & industrium virum, optime in arte obstetricia versatum, & solide judicantem. Vidi eum obstetricantem in ædibus publicis huic operi destinatis, optime institutis. Præterea Spielmannum physiologiam ad Institutiones tuas tradentem audivi, elegantem & doctum virum, Te amantem. Eisenmannus & Prosector ejus Jacobi, in anatomica scientia.... Monstravit mihi D. Jacobi theatri divitias, & eo processit, ut omnia, arcum etiam aortæ mihi demonstraverit, licet sæpius illi dixerim, me omnia hæc absque sua explicatione bene nosse. Præterea aortæ arcum duplicem, per quam divisam aspera arteria transit, a Salzmanno inventum & descriptum, a se repertum dixit, quamvis legisse me observationem & figuram sæpius vidisse monuerim. Descriptionem bifidæ vaginæ & uteri composuit, mira quadam confusione, quam Eisenmannus mihi monstravit. In juvenes vel tyrones rudis æque est, nec tantum valet, ut elegantem præparationem & partium corporis veram structuram eos docere queat. Præparata multa inutilia adsunt, optima Hummelii & artificiosa; ceterum cutem capitis injectam,

ctam, vel materia ceracea repletis vasis rubentem, deglubere, & sic conservare amant, ut plus viginti ejusmodi capita cutanea numeraverim; oculi, auris & reliquorum organorum praeparata vel nulla, vel sicca & imperfecta adsunt. Boeclerus hypochondriacus Botanicam ad Tournefortium docet, hortus mediocris est, plantae indigenae non multae; reditus ad hortum perficiendum quotannis sunt ... Imperialium. Basileae Danielem Bernoulli, elegantem virum & Zwingerum solide doctum, humanissimum, & Ramspeckium, minime mutatum, sed bene se habentem. Numerus studiosorum (med.) Argentorati 24. non excedit; ubi vero, quod non monui, Spielmannus plantas ex agris colligit, Floram scribere Argentoratensem cogitans. Bibliothecam elegantem Basileae vidi, monstrante Dno. Koenig. Bernam, amantissimam mihi Tui causa & eleganter exstructam urbem; hinc sereno coelo Alpes vidi in coelum porrectos, eleganti spectaculo, quos comite optimo Zimmermanno, cujus humanitati plurimum debeo, coram vidi, & obstupescens aeternam admiratus sum glaciem elegantissimasque plantas, & aquam, ex altissima delabentem rupe, & in nebulas dispersam. Lacum Thunensem in nave transii, Brienzensem vero & Genevensem sereno coelo admiratus vidi. Molesta tamen, ob vias non ubique optimas, & valde pretiosa peregrinantibus est Helvetia. Omnia visu digna Bernae vidi, & aedes publicas admiratus sum. Genevae Jallabertum adii, Bibliothecam mihi monstrantem. Vernetus non in urbe

urbe fuit, ſed in villa, litteras ei miſi. Vidi tamen omnia rariora & digna Lugduni. Academiæ Scientiarum ibi florenti conventui interfui; & doctum & laborioſum ibidem reperi Medicum Peſtalloſſi, plurimum circa experimenta electrica, ad curandos ægros occupatum. Chirurgum præterea ibidem in noſocomio publico adii, ſatis certe doctum, nomine Pouteau, lateralem operationem vel apparatum feliciſſime & cum judicio in extrahendis ex veſica lapidibus adhibentem: ſcripſit idem de arte obſtetricia quædam.

Huc veni die Mercurii elapſo; maximam admiratus urbem, & ideo moleſtam. Buffonio collocutus ſum, monſtravit mihi tabulas quasdam de diaphragmate, in quibus diaphragma in ſitu expreſſit cum thorace. nervo diaphragmatico ſimul, ſed male expreſſo. Eleganti corpore & facie hic vir gaudet, & perfecte gallice loquitur. Winslowum & Reaumurium nondum vidi, licet bis adfuerim. Tradidi litteras Reaumurio. Ferrein humaniſſime me excepit, & hiſtoriam totam mihi narravit, quare cum Winslowio inimicus factus ſit, id quod plane neſcivi. Bonus vir eſt Ferrein, ſed ipſe non diſſecat, id quod Chirurgo tradidit, quem Demonſtrateur appellant. Mihi hæc minime placere, cordate dixi, Anatomia hic non multum valet, præparata adſunt nulla viſu digna, & cadavera difficile accipienda, & pretioſa valde. Petitus in arte obſtetricia Levreto excellit. Optimum virum reperi

peri Doctorem Thierry, qui humanissimus amicissime erga me sese gerit. Debeo Tibi, Optime Præceptor, hujus viri humanitatem & amicitiam, & gratissimus agnosco. Nulla nova adparuerunt in medicina digna, quæ Tibi mittam. Pallassius periculose febri maligna ægrotavit, & venæsectione, vomitoriis & purgantibus fere enectus est, nunc vero redit ad pristinam sanitatem, sed lente, valde emaciatus. Sprœgelius bene se habet, & viget; minime ægrotans, robustus & pinguis.

Dabam Parisiis d. 12. Augusti 1752.

Nondum litteras a Shawio Londinum ad Patrem accepi, vellem tamen, ut eum, si placuerit, moneas, ut quamprimum mittat.

(Hic aliqua malui delere, ne cuiquam ægre facerem. HALLER.)

582.

J. F. MECKEL.

Plurimum amicitiæ optimus mihi monstrat Thierry, humanissimus homo, plurimum Te & reverenter amans, Teque valde salutans. Maximas Tibi gratias ago, qui tam bonum virum mihi hic amicum tua commendatione dederis. Petitus quem vidi, diligentissimus est, ac prudens homo, qui magis anatomiæ insudavit, ac Ferreinius, quippe qui Chirurgo labores dissectionesque relinquit. Multum anatomia & valde laborat, quippe & boni docentes & cadavera & alia necessaria requisita desunt. Levretus multum clamat, sed non æque bene; portenta promittit, & mus nascitur; qui mos pluribus hic valde communis est. Melius tamen Levreto in obstetricia arte judicat Petitus, certe bonus & doctus vir, in lectione Collegiorum multum occupatus. Conventui Academiæ scientiarum interfui, sed non placet nimia garrulitas, & perpetui clamores. Nosocomia magna, nimis referta, male sæpius curata. Medici Delphini Regii fuerunt Du Moulin & Pousse, qui pro præmio quilibet 15000. ℔. argenti in donum & quotannis 4000. ℔. argenti acceperunt, & familia Domini Pousse nobilitata simul est. Valet enim nunc Delphinus, & multa hanc ob causam hic fient solemnia.

Parisiis d. 20. Augusti 1752.

Plu-

Plurimum de me Dnum. Professorem Hollmannum salutes rogo, cui lætus annunties, me vidisse hic Rhinocerotem, comparasse dentem molarem, quem mihi dedit simillimus est, & nonnisi magnitudine differt, anteriores æque magni, sed posteriores molares majores sunt, simillimi certe. Majores Dnus. Hollmannus apud se habet. XXVIII. sunt ejusmodi dentium molarium brevium & lata corona donatorum, in superiori & inferiori maxilla, & 4. incisivi latissimi simillimi illi quem secum habet; eorum 2. superiori 2. inferiori maxillæ insident, a se invicem duorum vel trium pollicum distantia sejuncti. Distantia eorum a molaribus 3. pollicum est. Exprimere figuram cera impossibile est, nam periculosum est immittere ori manus, conterit enim omnia inter dentes posita, neque depingi possunt, quia nimis retrorsum reconditi dentes nonnisi aliqua momenta temporis videri possunt, dum os aperit, ad panem capiendum. Sed certissimus de similitudine dentium esse potest, centies enim inspexi.

583.

G. L. HOFFMANN.

Ignoscas, rogo, Vir Clarissime, homini plane ignoto, libertatem, qua ardua officiorum tuorum negotia interpolare ausim. A plurimis jam annis scriptorum tuorum, & præcipue in summum Boerhaavium editorum, cultor ac admirator, plus Tibi debeo, quam calamo meo depingere valeo, a longo

a longo quoque tempore ſummo deſiderio flagrabam, quo Tibi Viro Doctiſſimo de beneficio innumeris in rem medicam, & inde in me collatis, gratiſſimam memoriam, pro virium tenuitate, teſtarer; animoque volvebam, ſi in uberrima praxi, vel cadaverum ſectionibus, aliquid, in arte novi, obſervare liceret, Tibi id offerre. Adverſa vero fortuna contigit inſolita & rariora quædam, aſt nova & attentione tua digna nulla videre, quin ab aliis jamjam deſcripta eſſent. Inde ne nimis Tibi audaculus viderer, pia deſideria mea in pectore adhuc continuiſſem, niſi ex doct. viro Keck Ser. Duc. Brunsw. Medico Aulico, ſtudiorum olim Commilitoni, & Amico integerrimo (quo cum de incredibili ſtudio tuo & opera tam in colligendis, quam edendis & illuſtrandis Boerhaavianis operibus verba fecerem) cognoviſſem, Te Virum Clariſſimum, totam gentem medicam chartis publicis commonuiſſe, ut, quæ optimi Magiſtri conſulta vel obſervationes poſſiderent, Tibi communicando, ab interitu vindicarent.

Jam ab aliquot annis penes me ſunt apographa epiſtolarum a ſummo noſtræ artis Magiſtro Viennam ad Cel. Baſſandum datarum, quæque ex benevolentia Doct. Tonſon, apud Bruxellenſes Medico feliciſſimo, poſſideo. Sunt 1°. Conſilium contra dyſenteriam & febres caſtrenſes in exercitu Cæſareo tunc graſſantes, datum L. B. $17\frac{26}{4}17$. 2°. duæ litteræ familiares, quibus adjunctum alterum in Dyſent. pannonica conſilium,

lium, jam libellus de morbis oculorum, editioni Parisinæ, ni fallor a Cl. Senaco, adjectum. 3°. est, sat prolixum consilium in Plethoram, & ex alia emersa symptomata, quibus Bassandus ipse conflictabatur, in eadem continetur methodus fusè descripta variolas curandi, data L. B. 17$\frac{2}{3}$24. Hæc e variis apud Bassandi hæredes restantibus chirographis Boerhaavianis excerpta sunt. Dictio nervosa, ac styli puritas, ne minimum genuitatis dubium relinquit, & hæc quoque sunt, quæ, si forsan in manus tuas non adhuc inciderint, Tibi quam humillime offerre audeo.

Ne epistolam hancce, barbaro etsi stylo conflatam, nimis gravarem, descriptiones dictas non addidi, sed paratissimus semper ero, illas ad mandata tua transmittendi. Utinam aliud quidpiam in me esset, quo gratissimum erga Te Virum clarissimum animam exhibere, & benevolentiam tuam demereri possem.

Vive diu, Vir doctissime, Patriæ ac Seculi Decus in artis salutaris incrementum. Vale favoremque tuum impertire.

Trajecti ad Mosam 1. Sept. 1752.

584.

PETRUS WARGENTIN.

Accepi, Vir Illustris, commentarios Societatis vestræ cum Tractatu hydraulico Celeb. Segneri & relationibus litterariis, pro quibus gratias Tibi debitas iterum tanto majori jure solvo, quo eos majori cum voluptate perlegerim. Cum celeberrimo Mayero commercium litterarium instituere aveo, & brevi observationes quasdam meas, indagandæ parallaxi lunæ, quam meditatur, inservituras, cum illo communicabo.

Contigit Eurenio quod plerisque, qui etymologicis nimium indulgent argumentis. Quum aliquas nominum derivationes suæ hypothesi faventiores assecuti sunt, reliquas quasi per crines in suas trahunt partes. Interim tam mihi videntur probabiles nonnullæ Eurenii inductiones, quod quidem ad Atlanticam attinet, ut debiliores potuisset omittere. Sed de origine Israëlitarum nescio an Rudbeckius magis paradoxa tradiderit. Hic Scandiæ, ille suæ Palæstinæ tantum non omnes Poëtarum fabulas accommodare satagit. Usque adeo difficile est regiam tenere viam.

Tabulæ in descriptione Hallandiæ deficientes, in altera demum ejus parte prodibunt.

Prodiit jam Pars prima observationum De Geerii de Insectis. Magnum est volumen in 4to, cum Tabulis 37. æneis, gallica lingua, sat nitide impressum.

Agit

Agit in hac Parte tantum de papilionibus & phalænis, nonnullisque Ichneumonibus.

Oratio Strandbergii, ægrotante auctore, nondum typis eſt impreſſa. Vale Vir Illuſtriſſime, meque tuæ benevolentiæ ſemper habeas commendatum.

Holmiæ d. 8. Sept. 1752.

Strömerus, Aſtronomus Upſalienſis, magnum hac ætate paralyticorum aliorumque uſu cujusdam membri defraudatorum, numerum, ſola electricitate, miro cum ſucceſſu, ſanitati reſtituit, de qua re proxime prodituræ commentationes noſtræ Academiæ narrabunt.

585.

B. WICHMAND.

Cum ad Academiam veſtram, cujus per totam Europam fama percrebuit, Muſarum filii ubertim ſe conferunt, inſignis tua eruditio, ſuavis humanitas, favorque in omnes bonos totidem ſunt quaſi blandæ Sirenes, quæ Hippocratis filios ad ſe alliciunt; his captus ego ipſe, his faſcinati ſcientiarum medicarum avide ad Te confugiunt confeſtim. Horum in numero eſt Fridericus Seidelin, filius ex ſorore mea cariſſimus, qui cum ad ſedes Muſarum extraneas, ſuavi illarum amore captus, proficiſci cogitet, ſuaſu meo, Parentumque voluntate Göttingam, veriſſimum

Nympharum domicilium, jam tendit: dictum hunc juvenem de meliori nota Tibi, Vir doctiſſime, commendatum velim. Praxin medicam per duos annos & ultra hic exercui. Obſtetricandi artem excolere quæ cogitant, & domi & in theatro anatomico edoceo. Illic totam ſcientiam tracto, pelvim partesque genitales monſtrans, atque operationes & manualia cum puero ex ligno & corio parato infartoque, uteroque coriaceo inſtituens, formulasque ſellæ, lecti aliarumque neceſſariarum rerum oſtendens: hic easdem partes cum adjacentibus in ſitu naturali demonſtro, modum fœminas explorandi gravidas, ſigna diagnoſtica inverſionis & prolapſus uteri, ejusque vaginæ relaxationis curasque, & quæ ſunt plura, docens. Conceſſus mihi eſt aditus in domum publicam, munificentia clementiſſimi Regis inſtitutam ad excipiendum gravidas, clam parituras, in qua ſupra ducentos hoc anno nati ſunt infantuli, & ubi variæ occurrunt circumſtantiæ, multo vero plures obvenirent, ſi minus prudenti & exercitata obſtetrice domus eſſet inſtructa. Hic etiam Medicum ago, ſed ſine mercede. Tales ſunt conditiones artis ſalutaris in genere, & in ſpecie artis obſtetricariæ in patria noſtra, ut parum valeant, negliganturque magna ex parte, cum tamen æque facile hic ac alibi ad altum faſtigium breve intra tempus ſcandere poſſent: ſed pecuniis & aliis neceſſariis ſubſidiis inſtructis deficit voluntas, alii vero his deſtituti, ad metam, ad quam tendunt, venire nequeunt. Dantur inter Medicos noſtros, qui ad ſtudia medica promovenda

æque

æque apti ſunt, ac extranei, quique omni cura illorum culturæ incumbunt, ſed cum ſine præmiis laborant, ſpesque percipiendi inde fructus ſæpiſſime fallit, incepto deſiſtere coguntur. Medici enim advenæ præferuntur indigenis, Chirurgi noſtri Medicis. Tanta eſt Medicorum advenientium, & peregrinam linguam loquentium, in terris noſtris felicitas, ut litteris commendatitiis, quas parum curant indigenæ (proprium ut adferam exemplum, qui ſine his Te adii, ſine his iterum a Te abii) onuſti, & honoribus & pecuniis, nullis vel vilibus eruditionis editis ſpeciminibus cumulentur, dum multi noſtratum parvi æſtimantur. Meliorem vero ſperamus ſortem cum Generoſiſſimus Liber Baro de Gyldenkrone, Ordinis Danebrogii Eques, Collegii medici Patronus ſit; Vir enim multa eruditione præditus, perſpicax, probus & candidus, artium liberalium, inprimis Apollineæ fautor, clementiſſimo Regi ea proponet, quæ in medicinæ incrementum & Patriæ gloriam cum tempore evadant. Vale, Vir Excellentiſſime, vale Germaniæ Decus immortale, mihique Patrone colendiſſime, diſcipulo tuo addictiſſimo, ſemper fave.

Hafniæ d. 20. Sept. 1752.

586.

MILCOLUMBUS FLEMYNG.

Litteræ tuæ ultimo Augusti datæ, mihi perquam honorificæ tempestive a Librario traditæ sunt. Gratulor mihi impense, quod magni Præceptoris benignum erga me affectum in discipulum Præceptore dignum traductum experiar. Conabor utique tanti Patroni amicitiam omni officiorum genere colere & demereri.

Refers Te valde cupere catalogum librorum medicorum Sloanii aut Meadii possidere. De ea re, quid ipse sentio, paucis accipe.

Si Sloanii catalogum obtinere liceret, altero facile poteris carere. Meadius enim utiles solum libros, vel raros & pretiosos congessit, Sloanius omnes.

Nisi vehementer fallor, est in præsentium discipulorum tuorum numero adolescens quindecim vel sedecim annorum, Petri Shaw celebris Medici Londinensis filius. Parens autoritate & fama pollens poterit forte viam sternere ad obtinendam inspectionem catalogi librorum Sloanii, vel etiam exscribendi libertatem: si ego, qui Petro Shaw notus sum, Tibi in hoc negotio usui esse queam, quam liberrime impera; & obsequiosum impigrum me præstabo.

Nec puto alia ratione obtineri posse quod aves quam venerabili aliqua ejusmodi commendatione;

ne; ego commodiſſimam quæ in præſentia animum jubet indico.

Dolerem editionem plenæ tuæ Phyſiologiæ in tam longinquum tempus differri, niſi liquido viderem, eo inde perfectius proditurum exſpectatiſſimum opus.

Gratias ago ſummas, quod notitiam præſentium & proxime inſecuturorum laborum mihi impertire fueris dignatus. Arteriarum hiſtoria propediem abſolvetur tuo nomine digna. An integram nervorum deſcriptionem non abſimili modo exaratam brevi ſperare licet? Spem ejusmodi fecerit fama apud anatomes amatores volitans innuensque eundem ſolertiſſimum juvenem, qui de nervo quinti paris adeo perite & feliciter commentatus eſt, tale opus tuo cum aſſenſu, tuisque auſpiciis aggreſſurum.

Mitto quos promiſi libros, utinam Tibi placeant! voluntatem dantis in exiguo munere æqui bonique conſulet tua bonitas.

Sunt autem præter vetuſtam, & ut videtur principem editionem, Petri de Creſcentiis ruralium commodorum, omnia quæ ipſe prelo committere hactenus auſus fui, inter quæ eſt epiſtola anonyma de infauſto illo loco tentaminis Lockiani, qui certe minutorum Philoſophorum ſyſtemati nimis favet, effecitque ut eorum multi criſtas erigant. Ego puto, me evidenter demonſtraſſe, Lockium in hoc argumento plane ſophiſticam exercere.

Est mihi jam prelo parata Dissertatio latine scripta de Solani inventis circa arteriarum pulsum & præsagia inde haurienda, in qua conor ostendere, novas ejus observationes cum receptis in œconomia animali legibus exquisitissimis congruere. Brevissima vero est, eamque ideo premo, donec tractatum aliquem alium cum ea simul edendum exarandi occasio detur & facultas.

Libros vero cum litteris hisce Tibi mittam, ut præcepisti Librario, qui ad Te mitteret, tradere. Sed commodum inopinato sese obtulit nobilissimus Juvenis Dominus Mackai Scoto Brittannus. Is cum studiorum & itineris socio Domino Davidson A. M. quem ingeniosum admodum & eruditum virum experieris, Academiam vestram petit, ibidem studiis liberalibus operam daturus, iis præcipue quæ ad rem militarem, cui se addixit, fuerunt.

Voluit autem libros inter propria impedimenta repositos ad Te proferre, qua est humanitate, & erga Te, cui se notum cupit affectu.

Ego vero talem occasionem omittere nolui; propterea que festinantius litteras celebri tuo nomini inscriptas, quam decreveram absolvi; excusabis ergo quicquid macularum præceps incuria fudit. Vale Vir præclare, & dum omnibus prospicies, propriæ sanitati curandæ ne desis oro.

Dabam Londini Septembris 20a.

587.

587.

J. F. MECKEL.

Paucis ad literas tuas, quas Parisios ad me dedisti, mihi gratissimas respondeo. Accepi eas hic Londini, tardius justo, & ante aliquot dies. Quantam invenio inter optimos Angliæ doctos Viros, & inter Gallos differentiam? Sinceri, solide docti humanissimi sunt Angli, contrarium Galli. Multa hic video. Inter alios Hunterum optimum & veri amantem virum, anatomiæ deditum, qui figuras uteri humani optimas parat, prodituras, quamprimum subscriptio sufficiens eum de impressione absque damno certum reddiderit, Ipse hic gravidam dissecui 9. mensium, secundum quam figuram de situ partium a latere facta est. Alius minoris notæ Anatomicus est Dr. Bromfield, & præparata quædam anatomica etiam Nichollsius habet. Sed præparatorum elegantissimorum maximum numerum Hunterus possidet, qui felicissimas injectiones copiose fecit, & quod rarum ossa pellucida reddit, ut vasa omnia visui se exhibeant Præparata habet valde utilia, & inter alia modum ossificationis explicant variæ patellæ fœtuum, in quibus vasa repleta sunt; in centro est punctum ossificationis, & circa hoc vasa ramosa ossificata alba. De his scribere cogitat, utilis certe & minime mysteriosus homo. Optimus etiam vir est Shawius Medicus, humanissimus. Perfectissimi Chirurgi sunt Sharpius & Hawkins Chirurgus Regius, qui quævis humanitatis offi-

cia mihi præſtiterunt. Watſonius Botanicus & Phyſicus clarus eſt & perſpicax homo, itidem humaniſſimus; excellit inter obſtetricarios Smellie, vir eruditiſſimus in arte hac. Levretus Gallus nil novi habet, ſed garrulus eſt minime doctus. Fallit ignaros juvenes, dum iis imponit ſe peculiarem ſcire mechaniſmum graviditatis, quod nil aliud eſt, niſi 3. tabulæ æri inciſæ, in quibus uteri in graviditate diverſus ſitus exhibetur. Nimium argenti cupidus, parum fundatus, juvenes fallit. Hic eſt de quo gloriantur Galli, parum laude dignus, ſed peſſimus homo, nimium & enormi modo, ſui, ut de eo bene judicas, plenus.

Drem. Mead vidi & ejus divitias in rebus ad hiſtoriam naturalem pertinentes, imprimis 200. rariſſimas exoticas plantas, ab optimo Ehret, qui hic degit, pulcherrime pictas. Utiliſſimum & maximi pretii opus. Viri magni, Hans Sloane divitias naturalis hiſtoriæ itidem vidi. Enormes ſunt certe, & vix credibile, unum virum tantæ collectioni ſufficere potuiſſe. Ultra 240 volumina maxima Hérbarium ejus vivum continent.

Meretur certe videri Anglia præ reliquis terris, & laude digniſſimi ſunt docti viri Angliæ humaniſſimi certe omnes.

Cogor abire hinc perendie, ut 23. Berolini ſim. Tranſeo ſuper mare de Douvres ad Calais; & per Hollandiæ urbes Ultrajectum, unde per Hannoveram Berolinum petam, & id celerrimo,

ſi Deus

ſi Deus voluerit, curſu. Rogo ergo & oro, velis faſciculos ad Te miſſos Hannoveram transmittere, ut eos ibidem vel in ædibus curſoris publici, vel apud Dominum Werlhofium, quem videre animus mihi eſt accipere, & inapertos mecum ſumere queam, id enim Te rogo, velis iisdem demandare, ut inapertos ad adventum meum relinquat. Non optimum iter fuit ex Gallia in Angliam; ſummum periculum fuit, cum tempeſtate magna orta, malus navis media disrupta fuerit; hinc 15. horas in mare fuimus, quod iter faventibus ventis tribus facile perficitur. Det Deus meliori fortuna in reditu frui. Ægerrimus in hoc vitæ periculo Sprœgelius cum Pallaſſio fuit. Maxime de optimi Zinnii promotione lætor, & gratias Tibi ago, qui ejus fortunæ & tuæ tranquillitati conſulueris. Doleo ejus abitum, ſed lætor Te tam ſincero viro & amiciſſimo mihi, Tibique deditiſſimo frui. R. . . . animus non placet; ingratus eſt ac perfidus; habebit, de quo pœniteat. Vale Optime Præceptor & fave.

Dabam Londini die 3. Octobris 1752.

Secum apportabit Sprœgelius traductionem gallicam veteris tuæ editionis primarum linearum.

588.

J. F. MECKEL.

Salvus huc, qua Dei eſt gratia, redii, decem horarum ſpatio iter per mare, a Portu Doverenſi ad Calaiſienſem emenſus, vento equidem valde contrario. Properabo nunc Berolinum, Hollandiæ urbes primum viſurus. Hinc Ultrajecto Hannoveram rectiſſima via Berolinum profecturus; iterum rogo, velis eos qui ad Te miſſi ſunt faſciculos Hannoveram mittere, ut vel in publica æde curſorum (Poſthaus) vel apud Dnum. Werlhofium eos inveniam, mecumque ſumere queam, multum enim intereſt ut habeam. Novam Tibi Milleri Londinenſis hortulani editionem Dictionarii hortulanorum adferet, quam benevole accipies rogo. Novam vidi methodum & utiliſſimam equidem, calculum ſecandi, ope inſtrumenti utiliſſimi a Chirurgo Regio nomine Hawkins inventi. Optimus vir eſt, & me præſente duos feliciſſime calculos hujus inſtrumenti ope extraxit, quorum alter maximi voluminis erat. Multum immo plurimum placent Londinenſes eruditi, humaniſſimi viri. Plurimum humanitati Domini Wettſteinii debeo, Tibique pro hac commendatione maximas gratias ago. Tibi ſe optime commendatum vult. Bene Londini vivit, & quinquageſimum quintum annum agens, vix 40. annorum eſſe videtur. Redibit ad Te Sprœgelius; parum, ob viſendis rarioribus conſumtum, in diſſertatione ſua perficienda laboravit, promittit

ſe

ſe confeſtim facturum. Opera tua & auxilio facile brevi efficiet. Rogo favore tuo eum digneris, & benevole apud Te accipias. Geniſtam nondum mihi viſam ſpinoſiſſimam & plantas marinas varias in Anglia collegi.

Buttnerus Pariſios profectus eſt, plurimum certe Londini æſtimatus, & vix credo eum pari fortuna alio in loco gaviſurum.

Smellii Tabulas, quas de utero, & fœtus ſitu in uſum artis obſtetriciæ edet, pictas vidi. Bonus eſt homo, ſed nimis inſtrumentorum & forcipis uſui addictus. Ipſe bene agit, uſu edoctus, ſed diſcipuli ejus, diſtinguere neſcii, ſæpe nocent inſtrumentorum feſtinato uſu. Hunteri tabulæ certe utiliſſimæ, ſitum & ſtructuram uteri gravidi & partium fœtus edocebunt.

Multas ditiſſimas collectiones conchiliorum & lapidum vidi ibidem, apud humaniſſimos viros,

Calais d. 8. Octobris 1752.

589.

D. LUDWIG.

Tardius juſto Vir Generoſiſſime reſponſorias reddo, quas humaniſſimæ tuæ exigebant litteræ. Triſtis flora pluviis continuis vexata, nec gaudia florum nec proventus ſeminum nobis exhibuit, & qui manipulum plantarum Tibi mittere conſtitueram,

tueram, non invenire potui ſelectas ex catalogo plantas; perſuaſum tamen habeas, me vernali tempore non defuturum eſſe officio quod Tibi debeo, multa enim conſervavi, quæ jam periiſſe videbantur, cum ſiccior & non prorſus frigidius accedat autumnus. Doleo, quod ſemper de valetudine imbecilla Tibi conquerendum ſit, & eo magis, cum multa paſſim occurrant, quæ animum tuum commoveant. Fac quæſo ut fortis appareas, relinquas diariorum labores, & in cultura ſcientiarum preſſo pede progrediaris, evites quæſo omnes controverſias, quæ ſanitati tuæ immo vitæ inſidias ſtruunt. Jam audio Hambergerum nova experimenta inſtituere tuis contraria. O quam vellem hanc controverſiam nunquam motam fuiſſe, licet enim multa egregia detecta fuerint, tamen Tibi plus damni quam emolumenti acceſſit. Si de hac re coram Tecum agere poſſem, acceptiſſimum mihi foret.

Ad Mylii iter nihil conferre volui, quoniam jam prævideo infructuoſum fore, cognoſco virum, qui multa præſtare poſſet, ſi Te ſemper ducem haberet, ſibi relictus nihil præſtabit, nec corpus ejus injurias itineris ſuſtinebit, nec animus ejus ſatis diſpoſitus eſt, ad ea præſtanda quæ ſuſcepit. Amicis Mylii dudum jam idem propoſui, & cum hortatus ſum, ut vires corporis & animi bene ponderet, antequam iter tædioſiſſimum ſuſcipiat Lippius, Barthſchius & Haſſelquiſt deterrere deberent noſtrum, qui omnes firmiori corpore præditi injurias itineris non ſuſtinere potuerunt. Vale, dabam Lipſiæ d. x. Octobris 1752.

590.

J. F. MECKEL.

Nunc demum, ex Hollandia redux, huc perveni, & apud optimum & insignem Werlhofium fasciculos cum cistula inveni, quos una cum litteris benevolentia tua eo transmisit. Rogarem certe, & multis deprecari conarer verbis, quod nimium insigni tuo abutar erga me favore; sed nimis bonitati tuae confido, quam ut molestiam hanc odium tuum in me commovere posse, ullo modo mihi persuadere possem. Quapropter humanissime ac optime Praeceptor, gratias tantummodo maximas Tibi pro insigni bonitate tua ago, nil magis optans, quam gratissimum animum Tibi deditissimum commonstrandi occasionem. Totus tuus sum, dum vivo. Doleo temporis brevitatem, occasionem mihi eripere, Te videndi & colloquendi, recta enim via domum tendere & id quidem festinato cursu, mea jubent officia. Hollandiae sive Belgii urbes vidi, Leidae anatomica Albini praeparata, ipso ea mihi summa cum humanitate commonstrante: vidi, & tres inter alia lentes crystallinas injectas, elegantissime vasa rubra colore repleta, per humorem vitreum antrorsum euntia, commonstrantes. Retinam, in qua injecta vasa majora intus, extus vero medulla haesit. Villosam intestinorum & cellulosas elegantissimas. Sed non satis sufficientem numerum praeparatorum anatomicorum optimus vidit Albinus, hinc soli sibi esse putat, saepe, quae in aliis

aliis locis frequenter reperiuntur. Sic ostentationem sibi & gloriam insignem apud juvenes acquirit, qui his visis nec aliis, nullam aliam præ Albini præparatorum Anatomicorum collectionem ditiorem ac perfectiorem esse autumant. Sed multa & plurima illi desunt, optima etiam præparata, nobis valde communia. Miratus tamen sum summam ejus in me humanitatem & operam in monstrandis præparatis. Physiologicis lectionibus interfui, sed præter quod debilissima voce in discursu suo utetur, vix erit, qui ex his lectionibus multum convictus recedet, si bene audita perpendat. Bene & ordinatim utiliterque res suas enunciat Gaubius, experimentisque simplicibus illustrat. Meliorem de R. . . . ideam habui, ac nunc dum vidi eum & audivi. Nimis multa scit, non optime ordinata, & nimium praxi medicæ studet, hinc corruit B. . . . Cadavera duo vix per hyemem sunt, eaque ab Albino juniori obiter demonstrantur, cujus in osteologicis vagam orationem ac demonstrationem, non sine admiratione audivi. Bonus Mechanicus & experimentalis Physicus est Muschenbroek, sed oportet eum a philosophicis abstinere, alias ædes cogitationum corruit. Winterus practicus est & practica docet. Hagæ Comitum hortum vidi & Professorem horti Dnum. Schwencke. Uterque horum incipit, & forte in dies augebitur.

Amstelædami Anatomia jacet, & mucore obducta ossa conservantur, resectæque de cadavere mammæ,

mammæ, integræ nec præparatæ, vitra replent, inque vini ſpiritu conſervantur. Optimus ibidem vir Roellius anatomicus mercator eſt, lucrum ex venditione rerum quærens. Ultrajecti ornata magis eſt collectio, quamvis pauca præparata multis contineantur ſcriniis, inter quæ princeps præparatum eſt, nervorum medullæ ſpinalis ſceleton ex infante 7. annorum. Hortus valde dives, ad Wachendorfii methodum ordinatus. Hic Regem vidi, celantem egregio vultu ſuo provectam ætatem, qua Dei gratia gaudet. Optime ſe habet & valet, octavo Novembris huc abibit.

Hannoveræ die 25. Octobris 1752.

Plantas Tibi a me collectas adfert Sprœgelius, ut ſi forte quæ adfuerint, quæ Tibi deſunt, ex iis eas ſeligas.

591.

DAN. WILH. TRILLERUS.

Pro novo illo priſtini favoris in me tui documento, transmiſſa nempe diſſertatione doctiſſima, quæ & Ill. tuo nomine refulget, & tuo potiſſimum ductu & auſpicio elaborata fuit, conceptiſſimis quidem verbis, ſummas Tibi ago gratias. Profecto, ne quid celem, valde miratus ſum, poſt opimam illam meſſem Harvei, Loweri, Walæi, Bartholini, Bellini, Bohnii, & aliorum magnorum virorum, tam amplum adhuc relictum fuiſſe

ſpicilegium. Adeo uſque inexhauſtus ſcientiarum fons eſſe ſemper ſolet, ut nunquam non relinquatur aliquid poſteris, quod ab anteceſſoribus vel prætervifum fuerit, vel ſedulæ ipſorum indagationi, fatorum invidia ſubtractum. Hæc vero ipſa Te, Vir Ill. inprimis admonere debent, ne propter publica commoda provehenda, Tibimet ipſi incommodes, & alieno præſtando officio, animi tui corporisque viribus adeo officias, ut nec gaudere poſſis, quod ſane miſerum; nec gaudere velis, quod tanto miſerius. Ego quondam, dum fervebat adhuc ſanguis, in eadem fui opinione, & ſtudia fere omnia non ſenſim ac modice deguſtare, ſed rapide potius devorare quaſi flagrabam; ſed quid tum factum? languebat corpus, hebeſcebat animus, & vitæ pæne ipſius pertædebat. Exui ergo opportune nocivum iſtum errorem, & mecum potius ſerio illud expendi, moderata ſcil. durare, & ſicuti ſecundum Poëtam, voluptates, ita & ipſa litterarum ſtudia a rariore uſu, vel maxime commendari. Quid enim quæſo, aliud ab arduis ſuis ac continuis laboribus, eruditi Viri plerumque conſequantur, quam a præſenti ingrato & inficeto ſæpius ſeculo, tetrum livorem, & a futuro, rerum præteritarum incurioſo & faſtidioſo, citam & injuſtam præclare geſtorum oblivionem? En! queis conſerimus agros! Te ergo Vir Ill. per communia Muſarum ſacra, jam enixe rogo & obteſtor, ut in publicam utilitatem, Tibimet ipſi magis in poſterum parcas, corporique largius quidem otium indulgens, & animo tranquilliorem remiſſionem. Non enim, recto

Sapien-

Sapientiorum judicio, eum in finem, nati sumus, ut tenebricoso quasi & angusto ergastulo inclusi, aut ad dura metalla damnati, injucundam plane & onerosam vitam agamus; sed, ut potius vitæ amœnioris commodis gaudiisque, quousque nempe licet, fruamur, ne nos aliquando vixisse, sive rectius, non vixisse, sero nimis, pœniteat. Sed hæc Tibi, Amico maximo, ab amico, tuæ præsertim salutis, in publica æque ac privata splendidæ tuæ familiæ commoda, cupidissimo, jam, pace tua, dicta sint! quare certissime persuasus sum, Te hæc mea monita, e candidissimo quidem pectore, Deum ipsum hic testor! profecta, in meliorem potius, quam pejorem, partem interpretaturum. Nunc ad alia! Disputavi nuper admodum, publice, officio meo sic exigente, de nociva cancri inveterati extirpatione; cujus levis dissertationis exemplum hic, etsi subtimide, adjectum vides; vix enim digna tenuis ista opella perspicacissimis tuis oculis, nisi illustri tuo nomine, cum aliis magnis Viris, potissimum exsplendesceret. Si vero lectione, forsan subitanea, dignatus fueris scriptum hoc effusum potius, quam elaboratum, Te Vir Ill. impense rogo, ut & meis, & Typographi præsertim, nimium festinantis erroribus, paratam veniam indulgeas: inprimis autem, quæso, id facias, circa pag. 21. ubi nempe in versione latina, singularis illius loci Herodoti, incuria supini typothetæ, maximo meo tædio & incommodo, potissima, & ad rem ipsam vel maxime factura, omissa fuerunt. Verum hoc quivis, rerum & verborum

 peritus,

peritus, facile ſupplere poteſt. Sed reverentia ductus, nolo Te tinnula & inani mea loquacitate, diutius jam morari. Ideo vale Vir Ill. ſeculi noſtri ornamentum, mihique ſummæ tuæ ac præſtantiſſimæ doctrinæ cultorem obſervantiſſimo favore ſemper perge! Scribebam raptim Wittebergæ d. 30. Octobris A. O. R. ᴄIↃIↃᴄᴄ ʟɪɪ.

592.

J. F. SCHREIBER.

Sine nomine, loco & tempore, adtamen a Te, Vir Illuſtris, certiſſime ſcriptas litteras, adcepi, ut & per nobiliſſ. Aſchium, faſciculum, qui continuit tua duo ſcripta, gallico idiomate exarata, contre de Buffon, & de la Metrie, nec non Diſſert. de irritabilitate. Pro omnibus gratias ago, quantum poſſum maxumas: & haud exiguam voluptatem percipio, dum me non ſinis ignorare ea, quæ, ſine auxilio tuo, mehercle! ignorarem. Quæ a Te proficiſcuntur, ea mihi ſemper placent: ſed mirum in modum mihi placuit refutatio ſyſtematis Buffoniani. Diu dubitavi, an de Buffon, Vir acutiſſimus, medicinam profiteatur. Quum nuperrime miſiſſem Floræ Sibiricæ Tomum II. ſimul notum feci, mihi Riga transmiſſum eſſe faſciculum, qui habuit volumina tria Diſſertationum, ſed ſecundum ſemper deeſt, & illam ipſam Diſſ. de irritabilitate. Oblitus ſum, opinor, ſcribere, de experimento crucis Lieberkühnii, quo de Tu, Vir Optume, & Hambergerus,

rus, contrarias experientias adduxiſtis. Per ea enim, quæ hic habet in Phyſiologia ſua, putavi ipſum, perfodiendo pectus, ſimul bronchia aperuiſſe. Etenim monet, neſcio quem in finem, ſi hic eſt ſermo de aëre thoracico connato, aſperam arteriam eſſe arcte circumligandam fune; mirum eſt, quod nemo fecerit aperire cadavera ſic enectorum animalium, ad convincendum de integritate pulmonum ſuperſtite & tunc, quando veſicæ aëreæ per aquam adſcenderant. Nondum eſt indagata res *de aëre connato corporis humani:* Qualis videtur eſſe in vero organo auditus. An huc pertinet aër ſinuum cerebri? Quo *de Littre.* Vaſa aërea *Senaci* fundamento forte non carent. Quoties non vidi bullas aëris in vaſis cerebri? Credo plus, quam vicies, piæ matri intertexta candidiſſima, quibus candidiora vaſa lactea conſpexi nunquam. Et hæc jam ante 20. annos conſpexi, & nunc ſæpius conſpicio, & miratus ſum, quid rei ſubeſſet: & hoc ignoro ut ignoravi hactenus ſic, ut nulla me conjectura, hac in re, juvare potuerit.

Non amo tuas querelas de valetudine labefactata, œdemate pedum, tuas, qui jam male, digeris. Ecquid Te melius norit & cauſas, & medelas, horum malorum? Tu es perpetuus in meditando, ſedendo atque ſcribendo; annon ea de cauſa & male digeris, & triſtiſſima fata familiæ tuæ Tibique & eis, qui Tibi vitam, bona valetudine beatam, precantur, arceſſis. Per Deum immortalem pone tandem modum ſtudiis atque lucubrationibus,

tionibus, neque præripe posteris omnem occasionem inclarescendi.

In experimento, circa 8vum. par a tuo discipulo capto, singularis nihil animadverti: nisi id forte injectionem opii concernat. In quo constitit ea convalescentia? Ubinam facta est injectio opii? Civis tuus, Joannes a Muralto, scripsit longe alia: scilicet a ligatura paris nervorum octavi; canem etiam surdum factum fuisse. Atque hanc unam ex multis causis arbitratur, cur muti simul sint surdi? Ille solus hoc phænomenon adlegavit inter tot Physicos; qui illud par vagum constrinxerunt. Interim memini, me frustra in physiologicis tuis quæsivisse rationem sufficientem dependentiæ mutuæ inter surditatem, & *mutitatem:* scilicet eam, quæ non est connata. Ita *Littre* retulit de adolescente, qui factus est mutus & surdus, postquam sodalis, quocum manus conferebat, ipsi collum & fauces arctissime constrinxerat. *Meadii* monita medica hucusque ignoro. Ut feliciter pergas in magno physiologiæ opere, ego, si quis alius, in votis habeo quam maxume. Illustris novi variolarum systematis auctor per semestre laborat mictu cruento, fere continuo: & quod me valde male habet, censet, sibi ejusmodi cruentam mortem instare. Est vir elegantioris doctrinæ plenissimus, & politissimus & nobilissimus. Vale, Vir Perillustris, & favorem antiquum non tantum serva, sed & auge, si potes, sisque per Deum, pretiosissimæ tuæ valetudinis inposterum studiosissimus. Petropoli 17 $\frac{4}{11}$ 52.

593.

JO. AUGUSTUS ERNESTI.

Ea habeo & humanitatis & benevolentiæ erga me tuæ pignora, ut neque possim, neque debeam dubitare, quin æquo animo sis passurus, me scribere ad Te ausum esse de re ea, quæ ad me nihil attineret, nisi, quoad, quæcunque cum bonis literis aliquid habent conjuncti, ad me quoque videntur pertinere. Atque ego ita alienus sum & natura, & multo magis judicio & consuetudine, a perversa sedulitate eorum, qui in aliorum negotia se ingerunt, ut totum hoc scribendi ad Te consilium repudiassem, nisi me casus quidam, utinam felix! ad hanc causam detulisset.

Quatuordecim dies sunt, cum honoris causa visens Menkenium nostrum, reperi eum vehementi ira ardentem ex injuria, quam iterum sibi factam ajebat gravissimam in schedis vestris litterariis, & quidem in Septembris mensis auctario, quod mihi tum nondum erat lectum. Minabatur responsionem dignam ea contumelia, & quicquid gravis & recens ira suggerebat. Ego, qui statim ab initio dolueram, cum primum novi hujus belli classicum audissem, ut paullulum residere æstum illum sensi, cœpi, quicquid apud eum gratia valeo, ad iram illam mitigandam conferre, vehementerque rogare, ut mitiora consilia iniret, & de minuenda componendaque potius, quam augenda irrrtandaque lite cogitaret, qua neque

litterarum neque suæ dignitati consuleretur. Ibi cum aliis rebus animadverti molliri virum ad pacis consilia, tum maxime hoc, quod studio finiendæ tristis controversiæ eo descenderam, ut non modo profiterer, me pari studio apud Te laboraturum, ut tua auctoritate ei etiam a partibus Göttingensium finis imponeretur, sed etiam pollicerer atque sponderem, me, qui æquitatem adversariorum nossem, effecturum, ut, si ei aliqua in re injuriam factam esse liqueret, honesto aliquo modo ei satisfaciendum curares. Atque ita ille se quieturum recepit, donec sibi de tua ceterorum doctissimorum virorum, qui schedas istas edunt, voluntate renunciassem. Quo progressus sim, Vir Illustris, animo certe, id quod ipse existimabis, non malo, quantum oneris susceperim vides. Quid ergo aliud possum, quam vehementer Te, per quicquid in Te, humanitatis, elegantiæ, magnitudinisque animi est, (quarum omnium virtutum in Te scio inesse plurimum) rogare atque orare, ut subvenias hac in re meæ sollicitudini pariter atque fidei, neve destituas spem atque fiduciam in facilitate & æquitate tua positam: præsertim cum, si vera sunt, quæ Menkenius dicit, præter meritum sit tam acerbe tractatus tum, cum primum adversus eum scriptum est. Etenim si in illa scheda, quæ de relationum vestrarum fasciculo primo narravit, aliquid dictum est contra voluntatem vestram, id, persancte, adfirmat, totum deberi Schwabio, neque ullam in ea re suam esse culpam, nisi hanc, quod, quæ ab isto scripta fuissent, nulla mutatione facta,

cta, typis exprimenda permisisset, propterea, quod in iis nihil acerbitatis esse, de suo quidem sensu, judicasset, certe nihil, quod tantopere animos vestros adversus se incendere, vel posset, vel deberet. Atque in hoc quidem, ut ipsi credam, facit hoc, quod scio, querelam de mentione sui omissa in præfatione relationum a Kæstnero V. C. non ad ipsum, sed ad sodalem suum Schwabium esse delatam. Hunc autem, qui semper in Gottschedii quam Musarum fide esse maluit, illam occasionem aliquid contra vos dicendi cupide arripuisse, ipse facile credis. Omnino interdum Kaestnero nostro, cujus alioqui ingenium & doctrinam magni facio, subirascor, qui re, quam ipse celari jusserat, prolata locum fecit argutationi Schwabianæ, neque longe absum a suspicione, utrum credam cupiisse nomen suum inter Halleros, Moshemios, Gesneros, hoc est, primi ordinis in suo quemque genere viros legi. Quid autem putas Vir Illustris, responderi posse Menkenio, cum dicit: Neminem, ac ne Te quidem, se putare utilitatis suæ ita inimicum, ut, si Dominus sit Actorum Erud. & hereditario quidem jure, hoc est, ut in eo pars sit non parva patrimonii sui, non cupere credat, nullum aliud ejus generis diarium edi, neque lætari, si contra accidere videat. Itaque si non admodum lætatus esset relationibus vestris, in eoque sibi aliquid excidisset, humanitatis vestræ fuisse, id condonare humanitatis communis imbecillitati. Enimvero, se sibi nullius talis rei esse conscium. Nam si doluisset isto instituto vestro, idque impedire voluisset,

luiſſet, id ſe accepiſſe ante paucos menſes, juris a Rege noſtro, ut relationes veſtras ex omnibus tabernis librariis auferre poſſet. Sed nihil tale ſibi in mentem veniſſe facere, nec facturum, quamvis graviter læſus ſit, multique hortentur, qui rebus Gœttingenſibus non bene cupiant. Quod ſi hanc ejus orationem æquam judicas, vide, Vir Illuſtris, an æquum ſit, ei honeſto modo aliquo ſatisfieri: quod ille maxime fieri vult, quæ de epiſtola a Wettſtenio, contra omne jus humanitatis communis prolata, & de exactionibus librorum ſcripta ſunt. Nunquam ſe ſibi arrogaſſe, ut ſuos quemque libros ſibi donare poſtularet, atque ita honeſtam libris utilem librariis ſententiam redimere: ſed nec hoc ſuarum facultatum eſſe, aut hoc a ſe, qui librariam non faceret, poſtulari poſſe, ut omnes, de quibus dicendum eſſet, libros ſua pecunia emeret. Itaque hoc a Parente ſuo inſtitutum eſſe, ut per mercatus opportunitatem libros novos peteret a librariis, non ut donandi neceſſitatem imponeret, ſed ut inſpiciendi facultatem darent, atque ita, ſi vellent, libros reciperent. Sed ſibi hanc invidiam factam eſſe a librariis iis, quorum libri non fuiſſent e libidine ipſorum laudati: quam eſſe cauſſam impotentis iræ Wettſtenianæ.

His commemorandis ſi conſecutus ero, ut non modo animus tuus placetur, ſed ſis etiam ad compoſitionem faciendam pronus, plurimum me conſecutum putabo, atque etiam permagno a Te beneficio adfectum. Illud certe ſpero ab humanitate

manitate tua me impetraturum, ut ne irafcaris mihi, qui hoc negotium pacis conciliandæ fufceperim, cum mihi plane fit perfuafum, Te non delectari talibus controverfiis, & malle tempus tuum bene de litteris & genere humano merendo, ut tot per annos fummo ftudio parique fucceffu feciiti, confumere, fimque is ego, qui fi nullam aliam ob rem, certe ob fummam ingenii tui doctrinæ & meritorum tuorum, in bonas litteras admirationem tua benevolentia non indignus videar: quam ut mihi perpetuo conferves, etiam atque etiam rogo. Vale. Scr. Lipfiæ d. VI. Nov. A. C. 1752.

594.

H. D. GAUBIUS.

Si vales, bene eft: ego quidem valeo. Ex forore nepos meus, Hahn, anno fuperiore apud nos Philof. & Medic. Doctor coronatus, Te præ ceteris auditurus Göttingam veftram adit, atque exercitiorum hyemalium curriculo ibidem utetur. Eum itaque tuo favori quam poffum, vehementiffime commendo, non ut nepotem, fed ut filium, qui certe pro filio naturali, quem amiffum mœreo, mihi eft; quin & ut juvenem, qui, quod amicus, amico dicere non vereor, tuo favore, fi ftudia, fi mores fpectes, dignum fe præftare poffit, velit. Facies ei, quod factum a me velis tuis, fi unquam, ut fpero, ad nos pervenerint, Filiis, nec certus fum, beneficii Te pœnitebit, aut meus me amor erga ipfum fallit peffime.

Utinam,

Utinam, mi Hallere, experimenta ad irritabilitatem pleniora tandem ac in systema redacta nobis exhibeas!

Dissimiles enim fuere successus eorum, quæ hic loci ad tuum exemplum instituta sunt: ut dubitare liceat, annon encheiresium aliarumve conditionum aliqua discrepantia intervenerit. Nepos Boerhaavii, Abrahamus Kaau, nuperrime demum a nobis discessit in Russiam rediturus, promisitque editionem operum posthumorum genuinorum sui avunculi, ex adversariis sibi legatis excerptorum, maxime quidem lectionis publicæ de morbis nervorum: hujus aliquam partem ipse ego, jam tum Chimiæ Lector in hac Academia constitutus ex ore Magni Præceptoris hausi. Discet inde orbis medicus, quantum de irritabilitate suo tempore magnus Observator ex ipsa etiam praxi cognoverit. Vale, Vir Celeberrime, & me quod facis, ama. Leidæ 17 $\frac{14}{11}$ 52.

595.

JOAN. FRID. MECKEL.

Nova aliqua in anatomicis habui. Pulmonem dextrum tabo consumtum, & cavum thoracis ichore plenissimum in hoc latere, in altero cavo sanissimum pulmonem in cadavere reperi. In eodem ventriculum ulcere perforatum, cui exterius omentum adnatum erat, quod ulcus cum vulnere claudit. In alio phthisico, interiori costarum

ſtarum lateri firmiter adhærens os firmum ſemilunare inveni; in alio omnes fere muſculos ſpiſſe pure pleniſſimos, in intima muſculi parte latente. Diligentiſſimus eſt optimus juvenis Feuerlinus, amabilis certe & humaniſſimus, faciam pro eo, quæcunque potuero.

Honoratiſſimam Uxorem tuam cum tota familia de me meaque uxore plurimum ſalutatam vellem, idque ut facias rogo. Me vero ut ames, mihique faveas, eſt quod enixe abs Te & ardenter oro.

Berolini die 28. Novembris 1752.

596.

JOH. GESNERUS.

De Horti Gottingenſis incrementis gratulor & catalogum novum ſtirpium, quæ in eo aluntur, avidiſſime exſpecto. Auſim vero & noſtrum hortulum munificentiæ tuæ communicare, & aliquando deſideratarum catalogum ad Te mittere. Apud nos tam paucæ impenſæ in hortum & hortulanum fieri poſſunt, ut omnino magna incrementa capere non poſſit. Quæ paſſim a fautoribus & amicis communicatæ ſint plantæ & ſemina noſti, alia ex alpibus & vicinis locis conquiſivimus, plura ex Horto Carlsruhano miſſa ſunt. Nuper etiam hortulanum noſtrum Carlsruham miſimus, ut coram cum D. Thran & Gasque agere poſſet, & nonnulla in arte conſervandi & colendi plantas

plantas addiſceret. In opere botanico lentus pergo & id imprimis nunc ago, ut per pictorem (quem non mediocribus meis ſumtibus alo) fructificationis partes accuratiſſime in tabulis repræſententur. Ordinem Linnæarum ſervavi, non quod Royerianæ aut tuæ aut etiam meæ præferam, ſed quod ejus opera nunc in omnium manibus verſentur & recipiantur. Quæ mutavi in ordine ubique per notas in tabulis indicantur. Putavi enim claſſes naturales ſervandas eſſe ubique. Hinc gramina omnia in Triandriis. Gymnotetraſpermæ in didynamiis exhibentur. Hoc unum maxime officit, quod in noſtra penuria multæ deficiant plantæ, aliæ etiam ex ſiccis modo plantis, aut figuris auctorum imperfectis tantum exhiberi poſſint.

Vale Vir Illuſtriſſime cum nobiliſſima familia & porro ut ſoles ſavere perge. Uxor mea plurimam ſalutem nuntiat.

Tiguri d. 3. Decemb. 1752.

597.

NIC. ROSEN.

Per Dnum. Wargentin, id quod nunc ſignificatum venio, Tibi, Vir Illuſtris, haud ita pridem mittendum curavi, præter diſputationes aliquot, commentarium amiciſſimi de Geer de inſectis, & acta promotionis philoſophicæ, quibus adnexa eſt oratio Profeſſoris Ihre: hæc vero, quia continere

continere videtur nova de futuro rei in universum litterariæ ſtatu præſagia, non potuit anonymorum cenſuram & examen paulo acerbius ſubterfugere, uti hanc controverſiam in utramque partem ventilatam plenius fuſiusque recenſent novellæ noſtræ litterariæ, quas Tibi recte perferri nullus dubitaverim.

Rediit ſalvus & ſoſpes Aurivillius noſter, ſed m. Septembre quartana febri jactari cœpit, morbo per hunc autumnum heic epidemico. Illa tandem liberatus, in bibliotheca academica, cui vi diplomatis regii eſt præpoſitus, *intus & in cute* ut verbo Perſiano utar, pernoſcenda deſudat.

Diſputationes modo habuit Linnæus 1am. cui bono ſit hiſtoria naturalis? 2am. de nutrice noverca; 3am. de flora hoſpita inſectorum; 4am. de miraculis inſectorum & 5am. de noxa inſectorum.

Catalogus Muſei Reginæ clementiſſimæ propediem ex typis publicis proſtabit.

Locum Archiatri in aula regia poſt obitum Evaldi Ribe, adhuc vacantem mihi licet oblatum modeſte recuſavi, eidem vero jamjam admotum iri ſpero Dn. Bäck.

Rothmannum apud Pariſienſes detineri accepi, ſed quid agat, quid velit cogitetque, juxta cum ignariſſimis neſcio. De Doct. Elf recte pronuntiavero, quod Holmiæ artem obſtetriciam diligentia & accuratione ſingulari exerceat.

Ad

Ad Professionem anatomiæ & chirurgiæ Stokholmiæ ex decreto celsissimorum ordinum Regni brevi instituendam, evocabitur, ut conjectare licet, Doctor Sidrén, hac tamen sub conditione, ut publico suffultus salario, iterum terras & Academias invisurus sit exteras, saltem per annuum spatium.

Fac ut synonyma habeam Spigeliæ ramis indivisis foliis terminantibus verticillatis Buttneri, cujus mentionem facis in G. G. Z. anno hoc p. 253. vel 254.

In singulos dies ac horas jam versor in exploranda efficacia & virtute electricitatis circa varia morborum genera. Odontalgiam feliciter tollit. Arthritidem & rheumatismum ad sedes mutandas compellit: in paralysi & contractura aliquid valet: in gutta serena, me quidem administro, nihil efficere potuit.

Nihil præterea habeo relatu dignum, nisi illud nostrum solenne, quod Tibi, Vir Illustris, semper deditissimus maneam, futurus dum vixero.

Upsaliæ d. 14. Decemb. 1752.

598.

598.

J. C. RAMSPECK.

Differt quam maxime Peloria mea ab illa, quam Linnæus in Suecia primo lectam describit pluribus modis, quemadmodum e comparatione Linnæanæ meæque descriptionis cuivis haud difficulter patet. Peloriæ quippe nostratis flos non in propria planta secundum suetum naturæ in vegetabilibus producendis ordinem, sed modo omnino heteroclito in herba nascitur Elatines; ex descriptione autem Linnæi & icone quam addit video, Peloriam Suecicam in propria ab Elatine diversa & Linariæ vulgaris luteæ simillima planta produci, ait enim: *Caulis simplex erectus pedalis rarius ramo uno alterove instructus*, sed plane contrarium in Elatine obtinet, caulis enim non est simplex sed ramosus, non erectus sed procumbens. Porro ait: *Folia numerosa, sparsa, linearia, acuta, plana, lævia, viridia, magnitudine foliorum Abietis nostratis, uncialia, erecta, patula, subsessilia, ex horum alis superioribus ramulorum rudimenta foliolis plurimis.* Sed planta nostra habet folia a modo descriptis prorsus diversa nempe *ovata*, ut ipse Linnæus in splendido opere Horto Cliffortiano ait, seu *ex ovato acuminata* ut verbis Perillustris Præceptoris in Enum. Stirp. Helv. utar. Pergit Linnæus in descriptione: *Spica terminalis floribus novem vel duodecim, ad summum octodecim subsessilibus erectiusculis.* Sed hic quam maxime occurrit diversitas; in indivi-

duis enim Peloriæ noſtratis nunquam ſpicæ talis ſimile quid obſervavi, quum e contrario unicus ſolum flos ramulo Elatines inſidebat, variis Linariæ irregularibus floribus in eadem planta naſcentibus, nec unquam plures quam unicum Peloriæ regularem florem in eadem planta vidi. Ait porro: *Calix perianthium eſt in quinque partes ad baſin diviſum, breve, æquale, viride, glabrum, perſiſtens.* Sed ego omnino inæqualem & ni fallor paullulum hirſutum (quid tamen pro certiſſimo aſſerere non auſim, memoria enim fallere poteſt) vidi. In deſcriptione porro Corollæ nullam prorſus mentionem facit, nec in icone adjecta depingit protuberantiarum illarum in limbo a me obſervatarum ac deſcriptarum; ibidem vero ait: *Corollæ tubum parum ventricoſum eſſe*, ſed in noſtra eſt admodum ventricoſus multoque amplior quam in figura depingitur, ait quoque: *limbum eſſe patentem quinquefidum, obtuſum, æqualem*, ſed & æqualem vidi. *De ſtaminibus* ait conſtare: *filamentis quinque ex ipſo receptaculo fructificationis enatis nec ut in plerisque monopetalis floribus petalo adnatis*, ſed in noſtrate omnino contrarium vidi, quippe filamenta in exortu petalo cohærebant. Quod ad reliquam vero Corollæ deſcriptionem attinet, ea & noſtrati ſatis competit. Ait porro Linnæus, Peloriam inter Linarias creſcere, quod ipſi inter alia argumentum præbet, illac ex hac generatam, ſed hoc nondum obſervare mihi licuit, licet Linaria vulgaris, de qua Linnæus loquitur, ubique paſſim apud nos proveniat, noſtraque ſolum in Elatine, uti jam monui,

nui, autumno demum florente inter ſtipulas in agris creſcat. Quum itaque Peloria Linnæana propriam conſtituat plantam, noſtra vero flos nonniſi in ramis Elatines reperiatur, adeo hoc intuitu toto a ſe in invicem differant cœlo, præterea que etiam in flore ipſo quædam occurrat diverſitas, an inter ſe conjungenda? An noſtra quemadmodum Linnæana etiam peculiare ac novum conſtituit plantæ genus? an noſtra pro planta hybrida habenda? Quum ad plantam hybridam procreandam duas plantas diverſas concurrere oportet, uti in regno animali mulus animal hybridum ex equo & aſino generatur, quænam adhuc planta cum Elatine ad heteroclitam hanc generationem aliquid confert?

Inquirendum adhuc foret, quod etiam Linnæus monet, qualem plantam ſemina ſata Peloriæ ſeu Linariæ regularis floris ſint productura, jam bis quidem periculum feci eam in hortum tranſplantando, ut ſemina matureſcerent, ſed planta brevi poſt contabuit. Si a regno animali per analogiam ad vegetabile licet concludere, planta noſtra propagari forſan nequit, cum in animalibus hybridis hoc non contingat.

Dabam raptim e Muſeo d. 15. Dec. 1752.

599.

J. F. MECKEL.

Optimi Zinnii fortunam lætor, & plurimum eum salutatum vellem. Litteras brevi ad eum dabo, quas diu debeo.

Arteriam phrenicam dextram ex renali sinistra ortam, primo mihi exemplo vidi.

Quæ de respiratione observavi colligam, & quamprimum fieri poterit communicabo.

Berolini die 19. Decembris 1752.

600.

F. SCHWACHHEIM.

Dnus. Dnus. Sam. Mutach, supremi Senatus Reipublicæ Bernensis, olim Cancellarius, suæ ætatis 56. præter propter annorum, corporis habitu sublimi, temperamenti denique fortis, cholerico-sanguinei, ante tres circiter annos prospera satis valetudine usus est; tempore vero Bernensis conjurationis, visu destitui cœpit.

Hujus nobilissimi viri morbum, a lucubrationibus, quibus diplomaticam officinam curiamque cum cæteris Senatoribus advigilando administrare debuit, causam duxisse omnium sententia est; idque operante ventorum communicatione, quorum in illa domus parte, meatûs & remeatus vis,

vis, adeo oculorum nervos impulit debilitavitque, ut elapſis quinque vel ſex menſibus, jam dexter oculus defecerit. Varia tunc quidem Euporiſta traumatica, aliaque in uſum vocata fuere; ſed illis omnibus non obſtantibus, ſequenti anno, ſiniſtrum etiam amiſit oculum.

Jam ante priorem perditum, Lauſannam migraverat, præfectura potiturus; continuo fere adhibita fuere & adhuc diverſa adhibentur auxilia, ſanationis fine, ſed fruſtra: nihilominus tamen quieto æger perſeverat animo, ut omnes omnino affines atque peregrini, non poſſint non ejus conſtantiam mirari: ſic enim ut Deus ſortem eique diſpoſuit, quaſi gratias agendo malum patienter fert. Quæ in orbitæ membranis extarent maculæ vel vitium aliquod non etiam armatis oculis videre eſt.

Cataractam ineſſe plurimi putaverunt, ſed ne ullum veſtigium adeſt; amavroſin vero ob multas cauſas & ſymptomata, judicavit ab initio Pater meus, quæ itaque adhibuit remedia eô tantummodo tendebant, ut exſiccatos nervos iterum reſtituerent, illaque ſemper quam leniſſima fuerant, eorum ope humida gravedo, coryza dicta, redintegrata eſt; notandum enim quod æger tempore valetudinis, gravedine illa identidem laboraret, eique valde ipſa conduceret; ſed perditis oculis & perdita fuit coryza. Determinationum numero majori, Te, detinere ultra ſuperfluum foret.

Proinde Perillustris Excellentissime Præceptor, imprimis patrocinio benevolentiæque tuæ denuo me commendare audeo; gratiasque pro innumeris quibus hucusque me cumulare beneficiis dignatus, agere, Tibi continuo debitum morem gerere, donec vixero, non desinam. Vale, & devotissimo tuo Clienti fave.

601.

D. C. LOEBERUS.

Tibi gratulor, & summopere gaudeo de omnibus tuis bonis jam perceptis & futuris percipiendis. D. T. O. Maximus faveat omnibus conatibus tuis, & simul robur & vires animi & corporis egregias & singulares in gloriam ejus & salutem hominum, hoc est, quod integerrimo animo opto. Sed doleo & acerrime doleo adversam tuam valetudinem. Ast sapientia divina durabit inexplicabilis, quæ omnia in salutem nostram dirigét; hæc Tibi quoque, tutissime ac optime prospiciet.

Vir Illustris, Tu semper in omnibus gestis tuis præbuisti animum castissimi hominis, & simul studium pietatis constanter excoluisti, perge alacriter. Omnia, quæ a Summo Deo nobis contingunt, illa in salutem nostram fiunt. Alio solatio non opus est.

Persecutiones contra me, favente Numine summo,

ſummo, jam vigent & florent, & licet Celſiſſimi Nutritores maxime proni ſint ordinariam ſupernumerariam mihi conferre, attamen Dnus. Semifrater nunquam id permittere voluit, ipſe Decanus facultatis medicæ erga me profitebatur: Facultatem medicam ſecundum conſcientiam non aliter poſſe de me judicare, quam me ineptum eſſe ad hoc munus obeundum & ſumma arrogantia mihi in faciem pronunciavit, ſe ſolum potentem eſſe petitum meum infringere. Quid ergo eſt faciendum, H. propter angulos, in quibus faciendis eſt dexterrimus, licet phyſiologicis erroribus eſt obrutus, & K. in anatomia caſta & ſublimiori parum verſatus, attamen in philoſophia vulgi violenta bene verſatus, timidi ſunt. Baculus flexilis & mutabilis non timet.

Illuſtris condimentorum Director conatibus meis favet, & laborat pro ſalute mea, in quo ſtudio, Vir Illuſtris, eum conſervare velis, abs Te humaniter & amice peto. Interim etiam conſtanter ac ſincere rogo, ut me certiorem facias, an ab aliis facultatibus medicis idem judicium de me expectandum ſit: me ſcil. ſtupidum & ineptum hominem eſſe in arte ſalutari, nam de certitudine ſemifratrum effati adhuc hæreo, quia eorum Pater propter dogmata Boerhaaviana contra me acerrime egerunt, ſic quoque ipſorum filii non quieſcent, alias plane deſiſtam à meo petito. Spes mea unica manebit in Deum omnipotentem, qui omnia in ſuam gloriam & hominum ſalutem gubernabit. Vir Illuſtris ſolve mihi hanc obſer-

vationem physiologiæ: multoties observavi in sanitate integra post somnum bene peractum, urinam eodem tempore emissam diversis coloribus esse imbutam: prima est saturata citrea, secunda flavescens, & tertia pallescens, cum tamen in unica vesica simul hæsit, & una vice successive excreta est. Nuper famulus meus sponte mihi revelavit: se eodem modo talem observationem de urina habuisse.

Quod reliquum est supplex veneror summum Numen, ut in posterum Te, Vir Illustris & Integerrime, sua gratia in ejus gloriam & salutem hominum incolumem conservet. Fave porro tuo obstrictissimo, h. e. quod obnixe peto.

602.

D. C. SCHOBINGER.

Do D. Gillerus Te plurimum Illustris Vir, salutat resalutatque. Semper valetudinarius magis vel minus vivit, non raro lecto adfixus. Videtur optimus avunculus obstructionibus vasorum abdom. Portarum venam impr. respicientium premi: nam motus hæmorrhoidales plurimos patitur, sanguine tamen nec sponte nec leniori arte unquam prodeunte: hirudines vero nimis reformidat. Inde imprimis cardialgia doloresque

resque inteſtinorum vagi, ſæpe graviſſimi, circa ventriculum tamen maxime, eum vexant, idque ſæpiſſime, nec venæſectio in pede eum multum levat, at quod firmiter credo nimis tandem ſero eam adminiſtrari paſſus eſt, plethoricus, qui 10. fere annis ea plane abſtinuit, donec vomitus cruenti eum coëgiſſe. Nunc aliquandiu Deo dante! bene habet. Nuper cum magno gaudio meo Methodum diſc. med. a Te editam comparavit, ſi non feciſſet, mutuata credo pecunia ego coemiſſem. Unicum enim hunc librum in re noſtra litteraria medica fidum nunc tuo labore partum poſſidemus. At cur boni libri præ pretio vix amplius haberi poſſunt? Eſt certe non exiguum ſub ſole infortunium. Non poſſum Illuſtris Vir, quin hic gratias & pro me Tibi agam pro egregio libello anglo, quem tua commendatione germanicum nobis reddiderunt, ſcil. *Herveyo* illo in denen Betrachtungen über die Herrlichkeit ꝛc. qui mire animum meum ad jucunda ſimul & utiliſſima quæ miſcet.

Dabam St Galli d. 16. Januarii 1753.

603.

JO. STEPH. BERNARD.

Siquidem toties ad Te ſcriberem Vir Illuſtriſſime, quoties id mihi foret volupe, noli dubitare quin Te ſæpiſſime compellarem: verum cum Te plurimis negotiis diſtringi ſciam, hanc ipſemet

mihi fixi legem, ut Te per litteras non adloquerer, nisi ubi suppeteret aliquid quod Te non esset indignum. Patere igitur ut paucis jam Te interpellem, Tibique proponam casum, qui me aliosque hujus emporii Medicos tenet sollicitos. Vir quidam quinquagenarius, olim Chirurgus, jam orphanotrophei gallici profectus, Patrem vocant vernaculo & gallico sermone, me aliquando, dum ægrotos illarum ædium visitarem, ad se vocavit, narravitque se a mense præterito Septembri miro malo adfligi, ita ut sæpius jejunare cogeretur. Addebat sentire se dolorem paulo supra orificium ventriculi, quoties vel cibum aut potum adsumeret, isque œsophagum pervaderet. Crevit deinde malum, ita ut qualecunque liquidum adsumeret, ubi pervenissent ad partem, quam dolor infestabat, id omne protinus rejiceret. Jussi tunc ut lac aqua dilutum me præsente deglutiret; deglutit & mox reddidit ore. Alia vice rogavi, ut aquam limpidam biberet, quam talem mox iterum rejecit, nisi quod aliquo mucore viscido esset gravida. Febris aderat nulla, neque de pulsatione querebatur, quæ abscessus suspicionem moveret: verum cum temperamenti sit sanguineo-cholerici & plethora adesset, sanguinem mitti curavi. Ut in causam mali diligentius inquirerem, rogavi eum num dolorem quoque perciperet in dorso circa spinam, sed negavit, & ostendit doloris sedem esse paulo supra cartilaginem ensiformem. Cum multum muci exscrearet, ac os mane, cum expergefieret, mucorem haberet oblitum, æger in eum culpam contulit

tulit omnem, ego vero hanc muci viſcidioris abundantiam, ſymptoma potius eſſe arbitror quam mali προφασιν vel occaſionem, nam ubi acre, ibi mucus redundat pro natura partis adfectæ. Neque mali fomitem in œſophagi glandula latere arbitror vel idcirco, quod tunc dorſum doloris nequaquam foret expers. Accerſiti deinceps fuerunt duo Medici hujus urbis celeberrimi, quorum unus glandulam œſophagi tragœdiam hanc ludere arbitrabatur, alter vero mecum ſtatuebat a nervis originem eſſe repetendam. Suadet hoc anatomica contemplatio partis læſæ, tum etiam ægri habitus, qui ſyſtema nervorum habeat mobile admodum ac in iram ſit pronus: addebat præterea alter Medicus caſum huic geminum, ubi in cadavere poſt mortem aperto ventriculi orificium adeo conſtrictum invenit, ut minimi digiti, id eſt, auricularis apicem immittere nequiret. Dein rogatus æger quid ſentiret, dum niteretur adſumtum vi detrudere in ventriculum, reſpondit modo ſibi videri velum quoddam obtendi, modo motum quendam ſe percipere vermicularem idque ſæpiſſime. Obſervavi quoque eum, cum potum adſumit, hunc majori copia deglutire, quam quæ diametro œſophagi reſpondeat, unde in eam deveni opinionem, œſophagum ſupra partem conſtrictam eſſe relaxatum ac dilatatum, & adfirmabat alter Medicus, ſe idem deprehendiſſe in cadavere a ſe inſpecto, ſeque œſophagum ſervare in ſpiritu vini ac mihi oſtenſurum. Nullus morbus ægro fatente hunc prægreſſus eſt. Teſtabantur amici eum olim ſpirituoſis indulſiſſe, a quibus

a quibus tamen per biennium prorſus abſtinuit: ipſe faſſus eſt ſe potu frigidiſſimo, inprimis vero cereviſia, ſemper delectatum fuiſſe. Per triduum aliquando jejunare cogitur, nec quidquam vel cibi vel potus in ventriculum delabitur, non deſinit tamen ſæpe potum adſumere, ac ſentit derepente illum ventriculo illapſurum, poteſt tunc capere panem biscoctum ex jure carnium, ſed paulo poſt clauditur denuo ventriculi orificium ac adſumtum evomit, ac hac ratione vitam tolerat. Officio ſuo quidem fungitur, ſed fame ac macie conficitur. Uſus eſt initio nemine ſuadente Rheobarb. putabat nempe cum ei alvus ſit adſtricta, ſe hac ratione malum debellaturum: addidit poſtea ſaponem Venet. unde muci copia minuebatur. Poſtea ex conſilio amici cortice Peruviano uſus eſt forma decocti, quo nihil profecit. Ex conſilio Medici adſumſit quotidie guttas aliquot balſami de Mecca cum pauxillo ſacchari, deinde etiam tincturam martis ex vino Rhenano paratam: jam vero utitur pro potu ordinario ſero lactis cum aquis pirmontanis. Neque tamen mihi patuit adhuc eum exinde melius habere. Triſtiſſimus certe hic caſus, quem præſagio ægro fore lethalem. Tu Vir Illuſtriſſime, ſi quid habes, quo malum levari queat, id, quæſo, noli mihi invidere. Percupidus præterea ſum, quid de origine cauſaque mali ſtatuas, meque Tibi plurimum obſtringes, ſi ſententiam tuam paulo uberius expoſueris. Vale Vir Illuſtrime ac mihi tuæ eruditionis cultori eximio favere perge. Dabam Amſtelædami a. d. xxviii. Jan. MDCCLIII.

604.

604.

MILCOLUMBUS FLEMYNG.

Cogit me chartæ anguſtia, Vir merito honorande, contrahere tum ſcribendorum materiam habitumque, tum uſitatas mihi litterarum formas utcunque excuſabit tua bonitas.

Una alterave ſeptimana poſtquam litteras Tibi a juvene generoſi Mackai tradendas ſcripſeram, invitatus fui hic loci ſedem ponere medicinæ faciendæ gratia. Ei invitationi, licet variis de cauſis mihi ipſi minime gratæ, ut morem gererem eſſent imprimis uxoris adverſa valetudo, cui cœlum, Londinenſe & victus ibidem ratio minime congruebat. Diſtat vero urbecula hæcce viginti circiter a Lincolnia milliaribus ſeptentriones verſus.

Ultimæ tuæ longe gratiſſimæ tempeſtive allatæ ſunt multiplex tuum munus multo ſerius per vectorem publicum eſt apportatum. Omnia tum præ novitate, tum utilitate animum meum mirifica tetigere dulcedine. Ante reliqua tamen tua ipſius effigies ab eleganti exarata artifice meretur tamquam tenella oculi pupilla a me ſervari, lubratque ut pro dono tam honorifico ſummæ Tibi gratiæ rependantur. Utinam poſſiderem pariter genuinam immortalis Gesneri imaginem!

Paucis poſt acceptas tuas litteras diebus ſcripſi ad D. Kennedy, non ophthalmiatrum iſtum miſanthropia

ſanthropia infamem, ſed alium ejusdem cognominis, diverſæ tamen omnino indolis medicum opibus & authoritate florentem, eum exorans, ut cum D. Shaw, cui notus eſt, me abſente ageret de Sloanei librorum catalogo adipiſcendo. Reſponſum tuli ante decem circiter dies quo factus ſum de optimi Senis obitu, minime certe immaturo; innuitur ſimul ſupereſſe dubium, quin ejus libri publica auctione veneant; adeoque eorum catalogus typis mandetur. Ita gaudeo Te, quod tantopere cupis, facili negotio obtenturum.

Neſcio an ſequens petitio Tibi arrideat & modeſta ſatis videatur. Expertus metuo, ne aliquando valetudo noſtra impar ſentiatur ruſticis laboribus obeundis, præſertim in brumali frigore ſi hoc fuerit, cogar iterum metropolim petere, & lectiones intermiſſas de novo cogitare. An potius ſalva conſcientia ſcripto aliquo quod ipſe ſervem, & quod tua bona cum venia oſtendam iis, ad quos tales res attinent, me non prorſus imparem eſſe tradendis phyſiologiæ corporis humani rudimentis, ejusmodi, imprimis diſcipulis, qui doctarum aut exterarum linguarum rudiores exiſtunt & quibus academicas medicæ Inſtitutiones gratia colere non datur? Præſertim cum prælectionum noſtrarum hoc propoſitum hic tenor ſit ut ubique phyſiologica Pathologicis illuſtrandis inſerviant. Longe abeſt ut me Profeſſoribus Academicis exæquari vel ſperem vel cupiam. Sed communia noſtratum incommoda tale doctrinæ genus poſcunt, eo egent quam maxime. Vidiſti

ſcripta,

ſcripta, quæ hactenus edidi omnia, in quibus non pauca ſunt, quæ ad œconomiæ animalis notitiam pertinent. Ego hac occaſione nonulla alia eodem ſpectantia addam Candidatus pro nova hac corona comparanda coram Te Præſide omni exceptione majori diſputans.

Ordine eorum ſummam exponendo, quæ de Solani inventionem circa arteriarum pulſum ſum commentatus & quæ Te ſcire avere, quod ſummo mihi honori duco, teſtaris.

Pulſus dicrotos obſervante Solano præſagit narium hæmorrhagiam in morbis acutis. Eſt vero illud pulſus genus naturæ conamen efficaciſſimum, & quidem unicum, quo disrumpi & diſtingui queant arteriolæ capillares, eæ inprimis quæ in membrana Schneideriana ponuntur, utpote ſatis magno cordis impetui objectæ & aëri expoſitæ. Addo quod ſternutatio iis utcunque male habitis ſæpe ſuperveniens earum ruptionem & lacerationem promoveat. Pulſus igitur dicrotos narium hæmorrhagias, ut cauſa effectum prænuntiat.

Pulſus intermittens ſaepe diarrhœas criticas antecedit, nimirum ſeceſſione materiæ ſeroſæ verſus inteſtinorum cava, fraudantur aliquatenus vena cava, & ſiniſtra cordis auricula ſolita quantitate liquorum, unde tardius tum auricula cordis dextra tum ventriculus ad contractionem ſtimutur, adeoque impedito tantiſper ſanguinis in cor ſiniſtrum itinere ut tardius proxima arteriarum diaſtole

diaſtole perficiatur neceſſe eſt, & proinde ſubſiſtat pulſus, ſeu intermittat.

Pulſus, quem Solanus barbare inciduum, nos aſcendentem appellamus, ſi mollis ſit, uti fere ſemper eſt, in morbis acutis fere ſemper inſecuturos ſudores criticos præmonſtrat. Nimirum cum ſinguli ictus ſuccedentes prioribus fortiores & vehementiores fiant ad unam, duas vel tres vices ſudoris materies per canaliculos ſudoriferos longius quaſi jaculando projicitur, donec per eorum ultimos fines tandem erumpat.

Hæc ad Te utpote ad Sapientem quam pauciſſimis verbis. Egi vero de iis rebus ſatis ut opinor fuſe in latino progymnaſmate, quod nunc ſub prelo eſt. Curabo ut unicum vel alterum ejus exemplar quamprimum Tibi mittatur.

Sequuntur poſitiones quædam, quas ex pluribus ſelegi, cogitationes liberiores ſunt, & prope paradoxæ, & ex propria meditatione potius quam ex lectione librorum hauſtæ, brevitatem retineo.

In motu muſculari explicando puto neceſſe eſſe ſtatuere liquorem nerveum, dum ſe reſtituit muſculus, verſus proprios fontes in encephalo repelli. Aliter non video, quo pacto fieri poſſit inflatio ventris muſculi tanti roboris, ut magna pondera & magnas reſiſtentias ſuperet. Locus vero non deerit ei ibidem recipiendo, quum ejus exigua admodum moles ſit, encephalon vero utcunque compreſſile.

In

In musculorum vero ventribus dum operantia parum vel nihil sensus percipitur. Propter quod & propter paralyseos phænomena puto patere, nervos sensificos alios esse a motoribus. Quæ contra hoc dogma addunt egregius Zimmermannus, non placent, si enim ejus argumenta valerent, utique sequeretur, numquam posse in hoc morbo aboleri sensum superstite motu, quod tamen fieri omnes observatores docent. Volo autem sic intelligi, ut non distinctos nervorum fasciculos, unice vel sensificos vel motorios ponam. Possunt in quavis minima visibili chordula stamina nervea utriusque generis constare.

Capillares arteriarum coronariarum ramuli debent, ut opinor, tum temporis impleri cum cordis moles mollior & minus rigida earum impletioni minus obsistit. Sed hoc videtur fieri in ventriculorum diastole. Distenduntur enim ventriculi a vi sinuum & auricularum, quæ certe minor est ea qua cordis systole peragitur.

Glandularum, quas conglobatas vocant, ad usum fœtus potissimum accommodari patet. Is non bibit, non humorem aqueum ex aëre trahit, vix musculos movet; opus igitur ei sunt ejusmodi passim machinulæ, quibus liquidis suis omnis generis idonea paretur & conservetur fluiditas. Hominis vero nati alia est conditio; potulenta assumit, humorem atmosphæræ absorbet, musculos gnaviter exercet. Eæ igitur glandulæ minus utiles factæ marcescunt paulatim, relictis tamen

men integrioribus iis, quæ maxime neceſſariæ manent, quæque propterea maxime numeroſae & confertæ in fœtu ab ejus origine fuerunt, quæ nimirum circa vaſa lactea & chyliferos ductus collocantur.

Dum circa oculi fabricam ejusque partium uſum expendendum verſarer, vidi a nemine edoctus, quo rarior humor vitreus ſit chryſtallina lente, eo citius radios in focum colligi. Vidi etiam hæc mirabiliter γεωμετρουντα τον θεον omnia ſic diſpoſuiſſe, ut nulli errores, nulla colorum confuſio locum habeant, in ſano oculo immo vix unquam, qui in morboſo a differentia refrangibilitatis radiorum lucis oriuntur.

In ſanguine humano microſcopia, licet curioſiſſime adhibita, demonſtrarunt nuſquam ne in arteriis vel venis ſpermaticis, particulas ita motibus agitatas, ut pro animalculis habeantur, nullas moleculas, quas pro animalculorum oculis ſumas, umquam offendere. Probabilis igitur mihi videtur ea concluſio, quæ ponit eas particulas conſpectas in ſemine marium, vera animalcula non eſſe. Aliter credendum eſſet, teſtes ſuæ ſtructuræ energia animalcula ex inerti ſanguine fabricari, quod abſurdum. Si dicas animalcula venire aliunde, perit omnis certitudo phyſiologica de ſecretione. Eodem jure negari poſſit bilem a ſanguine venæ portarum ſuppeditari &c. Animalcula illa hypothetica nunquam viſa ſunt cibum capere, fæces egerere, venerem exercere,

utero

utero geſtare, parere. Sed alia motuum genera dubia ſunt & æquivoca, & opinioni pariendæ non ſcientiæ accommoda. Multi igitur ea animalcula rejiciunt, inter quos Linnæus; uſus microſcopii Lieberkühnii. Videntur, certe ſi noſtram conjecturam coram Te proferre audeam, eſſe automata in mirabili teſtium ſtructura perfecta, quæ in uterum muliebrem effuſa, & non ante, eos edant motus & impulſus, qui embryonis corpori ex liquore ſeminali, ſecundum naturæ legem hic nulli mortalium propter partium exilitatem detegendam, pares ſint.

Sed ego nimis diu tempora tua publicis commodis dicata moratus ſum. Manum igitur de tabula, poſtquam Deum Optimum Maximum precatus fuero, ut Tibi in humani generis utilitatem nato numeroſos annos, crudam ſenectutem omnia denique feliciſſima, Tuisque largiatur, quod humilis, ſincerus, ardensque facio. Vale O Optime!

Dabam Briggiæ Februarii Calendis 1753.

P. S. An quidquam male firmi latet in ratiociniis noſtris de liquidi nervei natura.

Epiſtola ad me tuto perveniet ſic inſcripta: To Dr. Malcolm Flemyng Phiſician at Brigg

in Lincolns Shire.

605.

C. G. LUDWIG.

Diuturni ſilentii, Vir Generoſiſſime, cauſæ ſunt labores ferme innumeri, quibus ita obruor, ut hactenus vix officio Profeſſoris ſatisfacere potuerim. Variolæ epidemicæ, quæ graſſantur, potiſſimum in cauſa ſunt, & cum nunc unicus filiolus hoc morbo tam graviter decumbat, ut de ejus ſanitate deſperem, minuta illa temporis, quæ me domi tenent, in reſponſorias litteras impendam, Te valere lætus percipio, doleo tamen obitum filii dilectiſſimi, faxit Deus, ut tua & tuorum ſemper proſpera ſit valetudo. Gratulor etiam Tibi de laborum ſuſceptorum ſucceſſu proſpero. Ego pluribus intentus nihil ago, nec Pathologia nec nova inſtitutionum regni vegetabilis editio nundinis paſchalibus prodire poterunt, æſtate forte unum vel alterum præſtabo.

In commentariis duriſſima Heiſteri tela reflectere conati fuimus; ſed Hambergerus nunc nobis iraſcitur: objicit ille nos duas tertias Phyſiologiæ ſuæ non intellexiſſe, vel malevolos non intelligere voluiſſe, & tamen ea, quæ non perſpeximus, cenſura perſtrinxiſſe, exigit tandem in litteris privatis, ut publice profiteamur, auctorem recenſionis graviter erraſſe. Sed monui nos, poſt dura in novis Jenenſibus allegata verba, lectoribus judicium relinquere, an nos adeo erraverimus.

Hahnius

Hahnius Vratislavienſis evolutionem vaſorum cutaneorum in variolis ulterius defendit, & morbillos in novo ſcripto evolutiones vaſorum lymphaticorum dixit, quod, ut mihi videtur, hypotheſin ſemper minus probabilem reddit. Triſti & doloroſo mictu cruento jam per 19. menſes miſere vexatur Hahnius & languet.

Mylium iter Americanum ſuſcipientem, diligentem ſemper & felici ingenio præditum cognovi & laudavi, ſed hoc tantum deſideravi, quod ad duriſſimam vitam, quam itinera ad exteros ſuſcipiens naturæ ſcrutator ſubit, ineptus ſit: expertus hoc ſcribo, morbo enim graviſſimo didici quantum vires frangantur, cum tamen in longe temperatiore climate iter ſuſceperim. Vereor ne amicus, is enim ut diſcipulus mihi amiciſſimus fuit, & id publico carmine probavit, in ſolo Surinamenſi ad oſſa Bartſchii colligatur. Faxit Deus ut contrarium eveniat. Dum ex itinere Africano redux eſſem, Danus quidam, qui Conſiliarius aulicus erat, mecum egit, ut inſulam St. Thomæ & vicinas partes, ubi Danorum commercia florent; diſquirerem, & aliud in Barbadenſes inſulas iter ſuſcipiendum erat, ſed recuſavi iter, quod certe infructuoſum fuiſſet, cum omnino tantis laboribus par non fuiſſem.

Quæ in ultimis litteris ſcripſi, me oretenus Tecum communicare velle, arcana non erant, ſed argumenta Tibi proponenda de ſanitate tua tuenda, neſcis enim quantum Te æſtimem, &

quam vellem Te diu adhuc vivere posse, & quantum verear, Te sub tanto laborum onere tandem succumbere posse. Iter Helveticum non dissuadeo, relaxandi sunt spiritus, movendumque corpus in aëre libero, quo vires reviviscant.

Controversiam tuam cum Hambergero finitam esse credo, & quæ bilem Tibi moverat olim, nunc risum movebit, cum Kratzensteinius eum petat. Wedelio Jenensi scripsi, quid de omnibus his sentiam, & me nunquam controversiis his immisceri velle, nec per tempus posse. Vale & me ut soles ama. Dabam Lipsiæ d. 5. Februarii 1753.

606.

J. B. MORGAGNUS.

Sospes huc reversus, tuam, Vir Illustris, epistolam accepi, Septembri mense scriptam, neque ita multo post, fasciculum, Regiæ vestræ Societatis commentarios, iconum tuarum eas, quæ ad pedis arterias spectant, & plura alia continentem. Pro quibus ita gratias ago, ut simul Deum O. M. venerer, ne sinat Te diutius adversa valetudine conflictari, ut inclyta Societas, cujus primum volumen tot pulchra atque utilia exhibuit, pergat, Te Præside, alia atque alia æque grata doctis, & conducibilia vulgare, Tuque iis quæ inchoata habes, summam, quod boni omnes optant, manum imponas. Nulla melius ratione ulcisci

ulciſci invidiam poteris, quam ſic ut cœpiſti, pergendo: quam mirarer, ſi, cum is ſis qui es, cavere potuiſſes. Hæcque eram continuo reſcripturus, niſi de faſciculo, quem ante annum miſeram, & de quo Te ſollicitum eſſe videbam, certiorem ſimul Te facere voluiſſem. Diligenter qmærendo, comperi demum, præter omnem opinionem caſu quodam Brixiæ ſubſtitiſſe, indeque jam ſub initium nuper elapſi menſis per Ruffinos, Brixienſes mercatores, Bergamum ad Orellios certiſſime mittendum fuiſſe, ut minime dubitem, quin iſtuc ut ceteri ſit perventurus. Utinam de faſciculis duobus, quos Norimbergam miſeras, addere aliquid nunc poſſem. Sed cum Equitis de Rathgeb non mors quidem, ſed morti ſimilis valetudo ipſum illuc ſcribere vetuerit, ejus autem domeſtici, quantumvis a me rogati, id facere diſtulerint; Norimbergæ adhuc ſubſiſtant, neceſſe eſt. Nuper tamen id ſcribendum curavi, & ſpero adventuros, præſertim ſi Eques, longa & felici vita digniſſimus, perget convaleſcere, quod noviſſime videtur facere cœpiſſe. Verum de his alias. Interim quid pro ipſo, me rogante, impenderis, oblíviſci nolito. Illud quoque minime ex ſententia ſucceſſiſſe, ægre fero, quod ad libros attinet, quos Bononiæ & Romæ pro Te quærendos uni atque alteri diligenti amico ſummopere commendaveram; Neapoli enim reſponſum necdum accepi; quo magis Venetiis & hic ut perquirantur operam etiam atque etiam dabo, qui eum perpauciſſimis Bononiæ, & Romæ repertis conjungerent.

Quæ de tuis Tuorumque in vero pervestigando laboribus nuncias, fuere gratissima, quæ de tot negotiis, Tibi uni datis, eo nomine displicuerunt, quod difficillime sine graviori valetudinis noxa & hæc perferre, & illas perficere poteris. Quare de negotiis quæ potes omittito, & da operam, ut valeas. Ego quidem valeo, & perlibenter tua, aliaque a Te missa lego, & gratias ago, quod Janckii figuras miseris, acturus quoque pro Trewii Tabulis illis tribus, quæ in Dissertationum Volumine V. desiderantur. Harum Volumen VII. prodiisse, ex Indice quem misisti, intellexi; esse autem illud in fasciculo Norimbergensi conjicio. Quo gravius fero, non modo fasciculi ejus moram, verum etiam me parum adeo in libris pro Te inveniendis felicem ad hoc tempus fuisse. Quamobrem si quos alios mihi indicaveris, pergratum facies: sed si valetudinem tuam paulo saltem diligentius curaveris; longe gratissimum; cave enim credas, quemquam esse, a quo plus ameris, plurisque fias, quam a me, qui id magno merito tuo facio, faciamque dum vivam. Cura igitur, Vir Illustris, ut valeas, & amare me perge.

D. Patavii Nonis Januarii cIↄ Iↄcc LIII.

Vix hanc epistolam obsignaveram, cum certior factus sum, in via jam esse fasciculos illos Norimbergenses, & brevi affuturos. Quod sperans, retinui epistolam, ut adderem, esse acceptos. Verum a domesticis Equitis de Rathgeb, vix tandem significatum est, duos sibi a Patre, qui

qui Venetiis degit, Schweyeri illius Norimbergensis traditos esse fasciculos, quorum alterum libros germanico idiomate scriptos continere, alter autem, quem ad me spectare crediderunt; neque enim ullo nomine erat inscriptum, apertumque erat: Acta continet Regiæ vestræ Academiæ, vitam Gesneri sine frontispicio & indiciis plantarum ipsius, & Camerarii paginas a 77. ad 104. quorum nihil puto ad me attinere, præsertim cum Acta illa a tua liberalitate jam acceperim. Gratum igitur facies, si rescripseris, quos libros in fasciculo ad Equitem, & quos in altero ad me incluseris. Ego interea certo scivi, fasciculum illum ad Te meum ab Orelliis non modo acceptum, sed pluſculis ante Januarii finem diebus Göttingam versus missum fuisse. Iterum vale. Postridie Idus Februarii.

607.

JOH. GESNERUS.

Gratus agnosco consilium tuum de conscribendi botanici operis ratione. Etsi autem Cl. Linnæus non in omnibus a me probatur, ejus tamen methodum in plerisque secutus sum, quod non alia mihi cognita sit, quæ ad universas stirpes magis extendatur, nunc etiam in omnium ore versetur. Deinde unica Tabula addita hæc methodus ad aliam quamcunque facile reducetur.

Ranunculi Bellidiflori historiam in dissertatione descripsi, quæ proxime lucem videbit, addidi

nonnulla de plantis degeneribus & iconem Peloriæ Elatine degeneris. Sed male chalcographus egregiam picturam expressit.

Liberalitate tua utens & concessa venia mitto catalogum desideratarum ex Horto Göttingensi, si Tibi non molestum sit, nostram penuriam tuis opibus sublevare. Quamprimum semina Carlsruhana & Italica advenerint, ad Te curabo.

Novam Göttingensis Horti editionem avidissime exspecto. Cel. Pontedera Enumerationem Stirpium Helveticarum impense desiderat. Cl. Seguierius æstatem in littore Veneto & cum Botanicis Venetis potissimum transegit. Prelo curandam habet Zinnani Comitis Ravennatis historiam plantarum & animalium maris mediterranei, quæ 100. Tabulas comprehendet.

Egregium herbarium vivum a Dno. Ammanno Medico Scaphusiensi Leidæ collectum hoc tempore examinare licet, in quo plurimas mihique antea non visas stirpes invenio. Doctiss. D. Hahn quamplurimum saluto, eum enim Göttingæ nunc commorari audio, Commilito erat Lugduni Batavorum & naturalis historiæ amantissimus. Apud nos magis Anthophili quam Botanici inveniuntur.

Ex novellis publicis nunc maxime intelligo Cl. Mylium itinere Surinamum intendere. Pecuniam quam D. Æscherus nostræ conjunxit, ad Te per mercatorem Göttingensem pervenisse puto.

Sin

Sin minus, moneas, in ejus nomen apud D. Ottium inquiram. Opto impr. ut Mylius iter feliciter abſolvat, eique noſtra deſiderata commendari cuperem. Vale & fave.

Tiguri d. 14. Februarii MDCCLIII.

608.

P. HOLMIUS.

Humaniſſimas litteras tuas, quibus Seidelinum meum, ſingulari Tibi curæ futurum fore benigniſſime promittere, promiſiſti recte accepi. Simulque ille, jam ante aliquot menſes, indicavit, tuas ſe pariter ac celeberrimorum Virorum Dni. Rœdereri atque Holmanni ακροασεις inde a primo in inclytam illam Muſarum ſedem adventu ſuo diligenter frequentaturum eſſe. Jam ſpero quidem, haud defuiſſe illum tam præclaræ ad proficiendum in ſalubribus illis, quibus ſe dicavit, ſtudiis occaſioni, deſideriisque piis illuſtrium, quibus utitur Doctorum: cuperem tamen, ſi grave non eſſet, paucis a Te doceri, quod ſpei ille meæ ſatisfaciat, ut recte in ſtudio jam currentem laudando ad pergendum incitare poſſem tutius, aut ſi, quod non æque vellem, monitione aliqua opus eſſet, nec iſta in parte officio meo deeſſem. Quod optime noſti, qui tot annis academicorum civium ſtudiis juvandis laudatiſſimam utiliſſimamque impendiſti operam, quodque ego præ multis aliis expertus fui, cum alias, tum quando per tria

tria fere lustra alumnis in communitate R. atque Collegio Regio proxime præeram, cerei sunt juniorum animi, non in vitium tantum flecti faciles, sed ad virtutem quoque, præcipue quando cum præstantissimis Doctorum operam, consilia, monitaque prudenter conjungunt, sive parentes sive stipendiorum diribitores & Ephori.

Ante paucas septimanas ad prandium invitato mihi Mæcenas noster illustrissimus Hollsteinius Comes in Lethraburgis, ut est ad omnia, quæ bonas litteras vel juvare vel ornare possint, adtentus valde, indicavit, & a maxime reverendo Cancellario Universitatis vestræ Moshemio (cui inter alia scripserat, ea quæ apud nos typis vulgantur, tacita subinde in diariis vestris egregiis prætermissa videri) & a Te simul litteras accepisse, quibus indicaveritis unam illius rei causam esse, quod nostra rarius ad vos perveniant. Simulque rogavit, ut ego subinde aliqua mitterem, addens, Te ipsum, quod minus speraveram & illa legere posse, quæ vernacula nostra lingua conscripta fuerint, utpote Suecicæ etiam, quæ a nostra tantum dialectus alia est, linguæ probe gnarum. Ea de causa, quamvis jam per quadriennium fere veteri & constanti amico & Collegæ olim meo conjunctissimo, illustri Scheidio ita volenti, atque istam etiam curam ab Illustrissimo Munchhusio (quem non vos soli colitis, sed omnes, credo, qui scientias studiaque odio non habent aut ignorant plane) sibi demandatam significanti, omnia fere miserim, quæ mittenda esse fuerim

ſuerim opinatus, neque poſſim, quin in illo pergam inſtituto, nonnulla tamen ſubinde & ad Te mittere conſtitui, neque tamen in præſentia quicquam video, quod recte mittere poſſim; præter Bergenſis in Norvegia Præſulis S. V. Erici Pontoppidani hiſtoriam Norvegiæ naturalem, cujus, qui hactenus prodiit, tomus primus haſce comitatur litterulas. Quod litterarium munuſculum, quum a parte quadam ſtudiorum tuorum minime ſit remotum, Patriaque mea Norvegiæ Helvetiæ tuæ ſic ſatis ſimilis ſit, patriæque tuæ alteri non omni ex parte abſimilis, ut favens excipias valde humanitatem tuam rogo. Mihi & Scheidio meo hodie unum exemplar, una cum aliis nonnullis, quæ illum potius quam Te legere velle cenſebam. Inter quæ & fuit nuperrime habita diſſertatio Ancherſeniana anniverſaria, nullam, quod gaudeo, Göttingenſium mentionem aliam faciens, quam quod Celeberrimus Gesnerus ſæpiſſime laudetur, paſſimque in ea legatur, magnus Gesnerus, acutiſſimus Gesnerus, doctiſſimus G. ingenioſiſſimus G: atque his conſimilia plurima. Alias quasdam diſſertationes academicas, inter quæ eas inaugurales quatuor Doctorum Theologiæ, quos menſe Octobri ſummis iſtis honoribus academicis condecorare meum fuit, haud ita pridem mihi Hannoveram, easque a Scheidio Göttingam miſſas fuiſſe illico, non dubitaverim, obſtitiſſe potius credens multitudinem ſcriptorum aliorum, ne iſtorum ratio a vobis haberi poſſet hactenus.

Vix

Vix dubito, quin noſtras von Haven Phil. M. quem & illuſtris ea Societas, cui Tu Vir Summe præſides egregie, ornare dignata fuerit, Roſenkrantzianum ſtipendium proxime ſit accepturus. Sed cauſam neſcio, cur nondum in Reformationis per B. Lutherum factæ memoriam, ne ſemel quidem apud vos publice dixiſſe eum comperérim, quum Stipendiarius Winſtrupio Reſenianus quovis die 31. Octobris id obſervare teneatur, neque ſe id neglecturum eſſe Havenius promiſerit. Neque enim dubitandum videtur, quin facile Cathedra aliqua petenti permitti tantiſper poſſet, atque oratio a Stipendiario recitari abſque pompa ea, quæ expenſas poſceret, ex uno CL circiter uncialium ſtipendio viventi nimis graves. Scio tamen alia apud alios obtinere, non temere petendum eſſe ab advena, quod a loci conſuetudine ritibusve nimis abhorreat. Video vero jam me nimis prodigum fuiſſe temporis tui, quapropter nihil addo, niſi quod Deum ex animo precer, ut Te porro quam diutiſſime ſervare omnibusque modis juvare velit.

Havniæ d. 6. Martii 1753.

Si meo nomine, ubi occaſio ſe obtulerit, ſalutem plurimam dixeris ſumme venerabilibus Collegis tuis Dno. Feuerlino & Heumanno, atque maxime venerando etiam Moshemio, rem gratam feceris. Nominarem & Oporinum, Michaelium ac plures, niſi me ab iis facile ignorari poſſe crederem. Quæ quidem ratio ſuadere potuerit, ut nec Moshemium ſic nominarem. Aſt ſemel jam

in

in hac epiſtola commemoratum tanti Viri nomen, ne hoc quidem loco prætermitti debuit, vel ab ignoto. Vale quam optime.

609.

MILCOLUMBUS FLEMYNG.

Fere ultimas tuas, Vir Optime, 20. Febr. datas obſignantis atror ſuſpicionem haud levem injicit, cladem aliquam inſignem tuæ familiæ nuper incubuiſſe. Si id eſt, nullus dubito quin, ut virum fortem & ſapientem decet, feras. Quamquam nihil humani a Te alienum eſt, poteris tamen jure Te ipſum conſolari ea bona inhibendo, quibus a Deo Optimo Maximo bearis, ingenium puta publico utile, & operibus & præmiis operum felix, tum quod majus multo eſt, virtutes animi chriſtianas, & recte factorum, quam nulla fortuna eripere poteſt, conſcientiam. Si minus ærumnarum ſubſit, gaudebo.

Luculentum & perhonorificum, quod de facultatibus noſtris, & habilitate ad phyſiologica docenda edis teſtimonium, majus eſt quam quod ego ſperare, nedum petere debui. Magni Boerhaavii inſtar ſplendidius de aliis ſentis, quam de Te ipſo jure ſentire poſſis. Quum vero, quæ ſumma tua eſt benignitas, etiam formulam aliam, ſi meis rebus aptior cenſeatur, dare non recuſas, dicam qualem & propter quas cauſas commendationem flagito.

Si

Si lectiones physiologicas iterum agitare in animum induxero, Academiam utramque, Cantabrigiam nempe, quo utrobique innotescam, & Oxonium visere certum est. Ibi scriptum quod tuum de nostra habilitate consulto, sed quasi aliud agendo idoneis arbitris ostendisse magni utique erit, detrectatoribus & invidis, quorum nusquam copia deest, ora premet. Quin & potentibus, a quibus litteras commendatitias ad Academias flagitare forte erit e re mea, animum & voluntatem addet eas concedendi, & demet metum, ne forte me commendasse iis aliquando pudori fuerit scripti ejusmodi talem ideam animum concipio.

Legisse Te, inter alia nostra opuscula, Syllabum, quo materia & ordo prælectionum physiologicarum declaratur. Probare Te consilium ea ratione tirones erudiendi, quorum aliquibus forte continget absque academica eruditione medicinam facere; imprimis Chirurgiam in exercitibus aut classibus navalibus exercere —— Quin imo ejusmodi prælectiones vel regularis Medicinæ Candidatis non incommodæ introductionis loco esse posse, antequam ad altiora & accuratiora accedant —— Ordinem non displicere —— Pathologica aliqua recte admisceri, pro instituti nostri ratione, quo connexio inter medicinæ praxim regularem & œconomia animalis scientiam manifesta fiat &c.

Ego vero horis subcisivis lectiones meas subinde augeo & expolio, post cordis actionem & sanguinis

ſanguinis motum reliquasque functiones vitales enarratas, addo integram lectionem de nervorum in arterias imperio, quæ in Syllabo non continetur, & de irritabilitate, ad ſupplendam meam & integrandam de vita & vitalitate doctrinam, tum aliquas lectiones prius auctas in plures ſecando numerum augeo, ut quæ prius ad viginti & duas tantum aſcenderent, tricenæ circiter fiant. Quæ maxime videntur neceſſaria utique trado diligentiſſime; quæ curioſa potius quam utilia adparent, breviter & caute.

Londino Septembri exeunte diſceſſurus reliqui Progymnaſma noſtrum de Solani inventis propria manu ſcriptum apud Medicum quendam Londinenſem, cui notus eram, prelo paratum. Ego ei opuſculum inſcripturus eram, ille promiſit ſe editurum propriis impenſis, proprioque periculo, abſque mora vel diſpendio temporis. Verum de die in diem moras non deſiit nectere, licet identidem monitus. Tandem ſub medium Januarii miſit 24. paginas typis impreſſas, ut errata corrigerem, petens ſimul, ut titulum & quæ præfari volui mitterem, quod ocyus factum. Ex eo tempore nihil geſtum eſt. Credo epiſtolam dedicatoriam non placuiſſe, quod meas ipſius lectiones memoret, ideoque velle eum ſcriptum omnino ſupprimere. Sunt enim mire zelotypi, quoad ſuam auctoritatem & lucrum Medici Londinenſes.

Scotos omnium maxime, e quorum gente ipſe ſum, arcere ſtudioſiſſime ſatagunt: ego vero minatus ſum, ſi Progymnaſma non edatur, intra breve tempus, me apud aliam typographiam propria cura editurum, cum alloquio ad Lectorem, qualem illi medico non admodum gratum ſit legere. Tempus fere elapſum eſt, quo ſtatuebam. Certum eſt minas religioſiſſime exequi; ſi ille medicus edat tempeſtive; juſſi duo exemplaria tradi Dno. Jouvencel ad Te mittenda: ſi non edat, cogitavi de mittendo exemplar noſtrum ad aliquem ex veſtris Göttingæ Bibliopolis ibidem publicandum. Si probas propoſitum, velim ut indices, cui & qua commodiſſima occaſione potero mittere. Breve admodum opuſculum eſt, & poterit duabus fere ad ſummum tribus ejusmodi, in qua hæc ſcribo, chartis contineri.

Quin & cogito de curanda nova editione Neuropathiæ noſtræ. Loco tractatus profani (*ſic*) animus eſt addere notas perpetuas ſatis amplas, ita ut modicum volumen conſletur. Meliora ex libris tuis edoctus opinionem mutavi de multis, quæ in epiſtola ad Shavium proponuntur. Si in ſententia perſtitero, velim Göttingæ curari editionem novam. Nam libri latine ſcripti in Anglia non ſine jactura auctoris eduntur. Annon jure ſperare licet aliquem ex ejusmodi labore fructum? Ego vero libros non pecuniam poſco. Multis enim deſtituor iisque neceſſariis, præſertim novis apud exteros ſcriptis, quales apud nos rari, apud vos vero frequentes reperiuntur.

Cla-

Clariſſimus Zimmermannus mentionem facit experimenti a Te facti, quo nempe patuit, iride irritata pupillam non anguſtari. An in eo faciendo ipſam corneam penitus pertudiſti? Ratio quæſtionis hæc eſt. Si ſtylo vel acu ſatis profunde adacto per varia iridis puncta, per omnem pupillæ ambitum, ipſa pupilla nec amplior fiat nec anguſtior, utique tuus conſtabit tuæ de hac re doctrinæ honos, nimirum nihil muſculoſæ energiæ in ea vel dilatanda vel contrahenda exeri. Omnis quippe muſculus in vivo inprimis animali, irritatus convellitur.

Venas lymphaticas, quales ſe Anatomicis conſpiciendas offerunt, valvulis præſertim ſtipatis inſtructas, non ex arteriolis lymphaticis originem ducere probabili argumento eſt, enormis ille abſque exemplo exceſſus magnitudinis venæ ſupra arteriam. Eas igitur oriri ex venulis abſorbentibus, mihi vero longe ſimilius videtur. Vel inde doctrinam Boerhaavianam corruere perſuadeor.

Oſſiculorum in auditus organo uſum ad continuandos tremores pulchre ni fallor illuſtrat manifeſtus effectus bacilli illius lignei ſeu ſtipitis, qui inter medium ventrem & dorſum chordati inſtrumenti muſici transverſus figitur. Deme hunc ſtipitem, languide certe & peſſime reſonabit cithara.

Si bono aliquo experimento probatum daretur, muſculi alicujus ventrem mole non minorem

esse fortiter contractum, quam dum relaxatur, utique videretur confici motum muscularem (voluntarium intelligo) effici influxum liquoris nervei in fibras motrices. Si enim minor non redditur, cum manifesto durior sit, oportet ejus substantiæ aliquid accedere. Debet autem ea accessio per nervorum cava venisse; quia ligato nervo motus voluntarius continuo perit. Experimentum Glissonii nihil hac in re probat me judice. A pugni enim ipsius constrictione (ut alia prætercam) potest tantum de mole totius manus decedere, repulso nimirum & densato sanguine, & de compressa compage cellulosa, quantum superet veram inflationem ventrium muscularium. Ex variis tamen experimentis simili ratione institutis forte aliquid veri poterit erui.

Difficultas fere insuperabilis videtur rationem reddere, quare nervo ligato vel resciſſo pereat motus musculi voluntarius, superstite contractionis per irritationem facultate: minime tamen inde sequitur, motum voluntarium non effici influxu liquoris nervei in fibras motrices. An hi duo motus, voluntarius nempe, & qui ab irritatione excitatur, sunt specie diversi, & a diversis causis producti? Quorum ille ab influxu fluidi nervei, hic a vi fibris insita pendet; ita tamen ut altera facultas alteri non obstet, imo potius auxilio sit? Mihi quidem, dum hæc scribo, non improbabilis videtur hæc opinio.

An in cane, cui nervum ischiadicum ligasti, cum musculos artuum inferiorum irritares, fiebat flexio

flexio aut extenſio femoris, genu, tali, digitorum, ſimilis voluntariæ? An quidquam præter tremulam irritantem convulſiunculam, qualis ſtimulo excutiendo duntaxat par eſſe quiret?

Annon collatio variorum auctorum, qui de variolis & morbillis ſcripſerunt, attinet ad hodierna tempora; continens non ſolum latine ſcriptos libros, ſed etiam omnes melioris notæ, qui ubique gentium editi ſunt, ex vernaculis linguis in latinum ſermonem verſos, cum pleno indice, poterit ſummo uſui eſſe in republica medica?

Egi ante plures annos per litteras cum Smithio Wetſtenioque de tali collectione edenda; ſed Smithio intermortuo Wetſtenius parum in libris medicis edendis occupatus, munus hoc detrectavit. Tu facile poteris absque valde incommodo labore opus tale dirigere: poterit vero illud inſigni emolumento veſtratibus Bibliopolis, utpote tuis auſpiciis natum, cedere.

Hæc loquaciter nimis, utpote chartam impleturus, effudi; tu pro tua humanitate, & erga nos certe bene agendi cupidos amicitia, æqui bonique conſules. Deus Te Tuosque ſoſpitet.

Dabam Briggiæ Martii 27. 1753.

610.

DAN. WILLH. TRILLERUS.

Impenſe Tibi gratulor, Vir Ill. de fauſto admodum ſucceſſu in indagandis naturæ circumvelatæ adytis, plerisque doctorum alias inacceſſis, inprimis circa arduum illud & abſtruſum generationis negotium; atque hinc ex animo opto, ut tibi ſummum Numen integras vigentesque animi corporisque vires clementiſſime largiri velit, quo opus iſtud tuum, quod meditaris, haud dubie æternum victurum, ipſique ſeræ poſteritati cumulatiſſime profuturum, ad umbilicum tandem perducere poſſis Neque dubito plane, quin vel acerrima illa immortalis, etiam poſt fata, Malpighii induſtria, quam plurima adhuc reliquerit tuæ miræ ſolertiæ in inexhauſtis naturæ theſauris indagandis, perſcrutanda & invenienda: dies enim diem docet, nec natura ipſa ſemel ſimulque pateſcit, ſed per lentos potius gradus & ſpatioſa intervalla. Invitus autem ac lugens, crede mihi, audio, Te vitæ academicæ demum pertæſum, abitum nunc meditari in chariſſimam ante omnia, patriam. Sed ſi quid valeant preces, noli quæſo, noli, inquam, deſerere ſuaviſſimas Muſas Göttingenſes, quibus jam per plures annos, ſplendida præſentia, eximium plane decus & illuſtrem per orbem, famam conciliaſti. Natum Te enim atque formatum unice eſſe ad juvandas bonas litteras, & ſolidiora ſtudia provehenda, mecum ingenue fatentur omnes, quibus cor rite ſalit,

ſalit, quique rectum a curvo diſcernere valent. Etiamſi autem cœlum mutaveris ac regionem, tamen nunquam mutabis diverſos hominum mores: & ubique ſane invenies invidiam, ſuſpiciones, livorem, obtrectandi libidinem & mille alia vitia, calamitates ac miſerias: hæc vero omnia ſi vitare velis, non urbs Tibi delinquenda eſt, ſed orbis potius ipſe a Te erit relinquendus; vitia enim erunt, donec homines, ut ille ſapienter quondam dicebat. Plusquam ſpartana nobilitate hæc dura aſperaque ſunt concoquenda, aut generoſo contemtu ſpernenda. Durate, & vosmet rebus ſervate ſecundis. Vide obſecro, quid ego hactenus perpeſſus ſim a maligno illo ac protervo famæ meæ obtrectatore, quem bene ipſe noſti, qui vero propter corruptiſſimos mores, & ulceroſum plane animum, tua, qua arroganter nimis, intermiſtis etiam mendaciis, gloriatur, amicitia ſanctiſſima indignus prorſus inpoſterum videtur, quum etiam ubi tempus aut occaſio tulerit, inſtigantibus aliis malignis impulſoribus eo perfidiæ ac temeritatis facile ſit progreſſurus, ut & in Te calamum furioſum ſtringere audeat. Is procax & protervus homo, inſanabilibus licet plagis a me jam confoſſus, nuper tamen admodum novo me libello famoſo ac fumoſo impudenter adortus eſt; in quo, ut ab amicis audio, ego enim inficetas illas chartas nondum vidi, nec videre geſtio, rariſſima hiſtrionia, orbi erudito perſuadere denuo conatus ſeſe & doctiſſimum eſſe Medicum, & Criticum præterea conſummatiſſimum, quam tamen mihi, ex diuturna cum iſto rudi plane & indo-

cto homine, consuetudine, omnium optime & certissime constet, eum & perquam mediocrem esse Medicum, & in græcis latinisque litteris nihil quidquam valere, adeo, ut, quod Deo & conscientia teste, pronuncio, ne sine fœdissimis quidem vitiis, latine scribere sciat, Græcorum vero veterum scripta vix legere, ne dum intelligere aut explicare possit: unde haud dubie illud invictissimis putem argumentis consequi, eum arduæ artis criticæ, quæ exactissima nempe istarum litterarum cognitione unice nititur, ut notum, prorsus esse ignarum, hincque nullo plane pacto, nisi aliquod statuamus factum hic fuisse miraculum, verum esse posse, auctorem istorum libellorum, licet sat mediocrium, hucusque in me editorum. Et quid multis? ipse satis novi malignos, illos clandestinos istius machinæ νευροσπαστ8 rectores, qui ipsi ex antiquo adversus me livore, tela illa obtusa suggerunt. Hæc tamen cuncta licet dura satis & acerba videantur, patienter & imperturbato animo fero, & futuri seculi æquitate fretus, præsentis fastidia, odia & iniqua judicia placide tolero. Tu quæso idem fac, supra omnem invidiam & obtrectationem, ob ingentia merita, dudum positus, disceque demum malignum spernere vulgus. Ita vale Ill. Hallere, meque, quod enixe Te rogo & obtestor, amare perge!

Scrib. Wittebergæ d. XII. April. CIↃIↃCCLIII.

611.

JO. STEPH. BERNARD.

Patere Vir Illustrissime, ut denuo otia tua aliquantisper morer, quandoquidem jam quædam habeam memoranda circa eundem illum hominem, cujus casum tristissimum Tibi aliquando exposui, neque puto me Tibi rem ingratam facturum, si postquam fatis concessit, ea Tibi narrem, quæ porro in morbi decursu ac post obitum in ejus cadavere observavi. Ex illo tempore, quo ad Te scripseram, omnia in pejus vergere cœperunt, symptomatumque eadem vel major potius fuit sævities, dolores percipiebat æger vehementiores & febris oboriebatur hecticam referens, neque quidquam potulenti ex œsophago in ventriculum pervadebat. Consulti viri celeberrimi Albinus atque Gaubius, Professores Leidenses, ægrum in vitæ discrimine versari, responderunt, neque fere aliquid opis ab arte nostra ei esse exspectandum. Æger hujus urbis Medicos præstantissimos in auxilium adhiberi voluit, cumque postea magis quereretur de dolore in latere dextro, quam in sinistro, inventus est Medicus, qui causam mali in hepate latere suspicatus est, ac cataplasmatibus inprimis imprimendum esse censuit, quibus tantumdem profecimus, quantum aliis remediis, scilicet ut nihil de sævitia sua remitteret malum. Tandem viribus plane exhaustis atque prostratis nudius tertius animam efflavit æger. Cadaver fuit apertum Hanedoesio atque Tronchino Medicis ex

perientiſſimis meque præſentibus, at ſectionem peregit Orphanotrophei Chirurgus Richard. Remotis integumentis communibus thoracis atque abdominis adparuerunt nobis cartilagines, quæ coſtas & ſternum conjungunt, oſſeæ ſactæ, ita ut nonniſi magna vi adhibita a Chirurgo perfringi potuerint. Luſtrantibus nobis viſcera abdomine contenta, omentum ſe obtulit ſanum, aliqua pinguedine multisque venis ſanguine diſtentis plenum: nihil deprehendimus vitii in hepate, nec in liene, neque in pancreate, neque in inteſtinis: ventriculus videbatur paulo depreſſius jacere, quam a cadaveribus adſolet. Juſſimus tunc Chirurgum, ut hepas eximeret, ac diſciſſo diaphragmate pulmonem attolleret, ad detegendum facilius œſophagum cum ventriculo. Cum juſſa perficeret, deprehendimus vomicam ſat grandem pulmonis ſiniſtri in ea parte qua œſophagum tangit, ex qua pus effluxit flavum ac fuſcum: dexter pulmo pleuræ adhærebat, quod non raro videre eſt inprimis in pleuritidem paſſis, quo morbo & noſter olim laboravit. Tumebat ventriculi orificium, eratque tumor latitudinis digitorum duorum transverſorum, & ad tactum durus. Diſciſſo œſophago paulo ſupra tumorem digitum immiſimus verſus orificium ventriculi, quod adeo erat arctum, ut apicem vix digiti auricularis admitteret. Diſcidimus mox œſophagi partem inferiorem ac ventriculum integrum, ac protinus nobis conſtitit, morbum fuiſſe organicum. Adparebant nempe intus tubercula quædam in ſcirrhum indurata, ſed, quod fuit palmarium, membranæ, quæ inter-

interjacent exteriorem & interiorem ſtomachi tunicam, in cartilaginem degeneraverant albam, duram atque elaſticam : ventriculus vacuus erat, certo indicio jam ab aliquo tempore nihil potulenti eum ſubiiſſe ; viſæ mihi præterea ſunt ejus membranæ prætenues. Cum digito œſophagum intus verſus fauces pertentarem , cognovi ex potus reliquiis, quem paulo ante mortem adſumſerat æger, quousque potus in œſophagum deſcenderit. Neque pericardium, neque cor, ulla labe infectum deprehendimus. Sanguis, qui ex hepate aliisque viſceribus effluxit , coloris erat floridi. Verum mirari ſubiit, quo pacto æger tuſſi graviore non commoveretur, cum tanta vomica pulmonem inſideret : audivi ſæpius querentem de anxietate, ac ſuffocatione, ſed tuſſis non aderat, niſi paucis ante obitum diebus leviſſima. Alvus per omnem morbum ſegnis fuit, neque ad officium ſuum revocari potuit, niſi clysmatibus, quæ & retrimentis alvi & mucore ac pelliculis ſæpe gravida redibant : verum cum abdominis viſcera bene ſe haberent, demiror itidem unde illæ pelliculæ fuerint deraſæ , niſi forte quis dicat pinguedinem fuiſſe, nam obeſus olim fuit æger , quæ ſoluta & reſorbta per alvum fuit excreta. Habes hic omnia , Vir Illuſtriſſime, quæ cadaveris anatome nos docuit, quæ Tibi cognitu non injucunda fore arbitror. Ac quamvis Tu nihil inde diſces, laudabis tamen, ſat ſcio, ſtudium meum, quo benevolentiam tuam conor demereri. Quod caſum hunc memoratu dignum reddit, id eſſe puto, quod malum hæret in ventriculi orificio , cum alias

alias in œſophago latere alia exempla teſtentur. Quod porro ſcribam nihil eſt, niſi id unum, ut Te rogem, ut mihi porro faveas eodemque honore mactes, niſi cauſæ graves id prohibeant, quo nuper mactum voluiſti hujus urbis Chirurgum quendam, hoc eſt, ut me illius Academiæ, quæ Te Præſidem ſalutat, ſocium adſciſceres, rem mihi facies ut honorificam ita quoque pergratam, neque puto Te quidquam ab iis exigere, quos illo honore dignos judicas, quod non commode ab illis queat præſtari, cumque animum tuum erga me prolixum ſæpius mihi teſtatus ſis, blandior mihi fore ut petitioni meæ locum des: ego vero non committam, ut tantum beneficium in indignum collocaſſe videaris. Vale, dabam Amſtelædami, a. d. 21. Aprilis 1753.

612.

MILCOLUMBUS FLEMYNG.

Scripſi, Vir Optime, ante tres circiter menſes, epiſtolam bene longam, & varias res complectentem, ad Te ope Bibliopolæ Jouvencel, uti præceperas, promovendam; an ea ad tuas manus venerit, neſcio. Certe omnia, ubi fraudi locus eſſe queat, adeo obſeſſa, & infeſta fraudibus inveniuntur, & ipſe adeo ſæpe malis artibus ſum impetitus, ut vix queam non ſuſpicari, aliquid ejusmodi hac in re factum eſſe. Illud vero omnium maxime me male habet, quod in ultima tua epiſtola alia cera obſignata verbulum unum

alterumve

alterumve exſtet, unde metus mihi injectus eſt, ne calamitas aliqua Tibi Tuisve accidiſſet. Utinam inanis ſit metus. Graviſſimum certe fuit & etiam nunc eſt, hac animi anxietate non liberari. Nolui tamen ideo minus Tibi eſſe moleſtus.

Spero, antequam præſentes allatæ ſint, allatum iri duo Programmatis noſtri de pulſibus exemplaria, quæ curavi per amicum tradenda Dno. Jouvencel ante tres fere ſeptimanas. An rogare fas eſt, tale tuum de hoc opuſculo judicium, quale licebit aliis oſtendere? Me certe, quod mirere, puſillum homuncionem Londinenſes quidam litterati, nullis provocati injuriis, invidioſis artibus adoriuntur, & ſcriptorum noſtrorum meritum qualecunque ſtudent elevare. Unde animus noſter ſatis ſponte cupidus rem medicam in quibusdam particulis amplificandi & meliorandi pæne omnino enervatur & cadit. Mihi adeo imbellis inſtar hederæ, ſuſtentaculo aliquo, nimirum præſidio virorum fama & authoritate florentium utique opus eſt. Tu vero, Vir benigniſſime, ſi ego ea forte peto quæ diſplicent, in reſponſo ne attingito. Nullum enim nobis quæſitum eſt tua tempora publicis commodis dicata vel Tibi vel minimum moleſtiæ concinnandi. Dignere tamen oro atque obteſtor vel breviſſimis litteris nos de tua ſalute certiores facere.

Fervent ſatis in præſentia occupationes noſtræ circa medicinam operatricem, & calente cœlo ſiccisque viis itinera ſatis commode obeo. Metuo

tuo vero mihi graviter ab hiemali frigore, difficillimisque viis in ea tempestate. Sed uxoris & trium liberorum cura coget me hoc vitæ genus quamdiu ferre possum continuare. Utinam contingat, ut filius meus quindecennis, quem arti medicæ dicare statui, Te de œconomia animali verba facientem audiat!

Novi, quantus es Poëta in lingua germanica, quam nescire magno infortunio mihi duco. Ut vero quicquid chartæ superest, impleam, mitto poëma nostrum de pace nupera Aquisgranensi, mox post eam perfectam absolutum. Non mitterem nisi idonei Judices in utraque Academia non damnandum censuissent. Numquam vero typis est impressum.

De pace nupera Aquisgrani perfecta

ODE.

Belli innocentum prodiga sanguinis
Utcunque fortes, odio habent boni
Certamina; humanisque textum
Triste adeo scelus esse rebus
Plorant gementes: quippe vident malo
Omni refertum. Non labor improbus
Abest; famesque lethiferque
Multiplici ratione morbus.
Quin & morborum missilis impetus
Densos virorum demetit ordines;
Stratosque conculcant caballi
vel gladii fodiunt acuti.

Disrumpit

Disrumpit aures interea fragor
Horrendus; ignis lumina percutit
   Coruſcus; inſequensque fumus
      Cuncta nigris operit tenebris.
Vix ipſa certe Græcia fabulæ
Fœcunda poſſit pingere tartara
   Horrendiora; nec malorum
      Plena magis miſeræque pœnæ.
Duram atque iniquam cernis hominum vicem!
Vitæ ut fruantur pacificæ bonis
   Coguntur haud raro ferocis
      Militiæ mala ſæva fungi.
O ter beatos & ſimiles dies
Qui bellicoſis ponere terminos
   Rixis decoros, & bifrontis
      Templa Dei valeant ſerare!
Auguſtus aſtans ecce GEORGIUS!
Hic juſta belli munera geſtiens
   Obire, nec ceſſans avitas
      Forti animo meruiſſe laudes
Pacem duellis anteferens tamen
Firmam elaborat, conſiliis potens;
   Prodeſſe terræ chriſtianæ
      Atque ſuis pariter paratus.
Jam læta vernant commoda diviſis
Commercii; jam gallica ſuppetunt
   Hiſpana jam cadis abunde
      Vina fluunt, cyathisque plenis,
Jam forte opimis mercibus æquora
Tutis frequentant tramitibus rates;
   Et Indiæ gazam utriusque
      Omnimodam revehunt Britannis!

Dilecte

Dilecte Regum, civibus optime
Salve GEORGI! te ſtabilem diu
Crudaque robuſtum ſenecta
Libera vox populi ſalutet!

Vere dixit Horatius plerumque gratæ divitibus vices &c. Ego pariter putavi, noſtras nugas Tibi numquam non magna & gravia cogitanti & molienti aliqualis recreationis loco eſſe poſſe. Vale diu feliciſſime, altera Helvetiæ ſpes! & mihi fave. Junii 12. 1753.

An tertia editio tuarum linearum primarum adhuc facta eſt?

613.

JO. B. MORGAGNUS.

Priusquam in patriam ſecedam, certiorem Te facio, Vir præſtantiſſime, litteras, quas ineunte Majo ad me dederas, opportune huc perveniſſe, gratiſſimas undique futuras, niſi tuam valetudinem nunciaſſent paulo melius quidem, ſed necdum ſatis bene ſe habere, & nondum redditum Tibi fuiſſe faſciculnm, quem circa medium Novembrem ad Orellios pro Te miſeram. Cum igitur ad Te perferendum curabis, multo autem magis dabis operam, ut recte valeas, qua re nullam mihi ſacere gratiorem potes.

Ad eosdem mercatores quamprimum ferendum dabo faſciculum alterum, tuo pariter celeberrimo

berrimo nomine inſcriptum (in illoque erunt libri, quos infra indicabo) miſſurus alias ex cæteris quos deſideras, quicunque hic, Venetiis, Neapoli, Bononiæ, Romæ amicorum diligentia poterunt inveniri: nec Plancus Ariminenſis negabit mihi hiſtoriam perbrevem, quam optas, qui ſuperiore menſe, cum mihi Tecum litterarum commercium accepiſſet, petiit a me, ut Te ejus nomine officioſe ſalutarem, libellosque duos, alterum ſuum, alterum Zamponi ad Te, quod facio, mitterem.

Quod ad libros attinet pro Excell. de Rathgeb, & pro me quoque Norimbergam miſſos, gratias interim ago non vulgares. Et quamvis ille nunc gravi adeo morbo implicitus eſt, ut ad ipſum id ſcribere non potuerim; ejus tamen domeſtici, a me edocti, quod ipſe facturus fuiſſet, facient, & quidquid mihi ſignificaveris, pro illorum pretio impenſum eſſe, repræſentabunt, nec ipſi gratus, ut ſolet, deerit animus, ſi Deus, ut precor, ſalutem priſtinam reddiderit. Interea qui libri necdum pro ipſo emti ſunt, ſatius erit non emere, priusquam ſignificem convaluiſſe, neque per illam quidem viam aliud ad me mittere.

Quæ de aliis aliorum laboribus anatomicis nunciaſti, grata fuerunt; quæ de tuis, gratiſſima. Sed vide etiam atque etiam, ne graviores ſint, quam ferre tua poſſit valetudo. De qua tam ſollicitum eſſe me, credito, quam tua erga me officia, & benevolentia poſtulant, meusque gratiſſi-

mus, Tuique amantiſſimus animus flagitat, amor denique cogit quo communia proſequor ſtudia, quæ Tu, Vir Illuſtris, hactenus ſtrenue promoviſti, & magis, magisque, ſi quis alius, promovere potes. Itaque cum huc rediero circa Octobris finem, litteras a Te fac, inveniam, quæ Te egregie valere, nuncient: & Morgagnum tuum, ut amas, ama.

D. Patavii IIII. Kal. Julii cIɔ Iɔcc LIII.

614.

J. F. MECKEL.

Inſperatum ſane fuit nomen le Cattii Galli, qui ſcripto ſuo de actionis muſculorum cauſa, pretium ab Academia noſtra deſignatum retulit. Solus inter 27. fuit, qui propria experimenta fecit, cum reliqui fere omnes alios exſcripſerint, paucis de electricitate exceptis; credebam Anglum, cum anglicos authores ſua lingua citaret; ſed iratus fui, quod tam parum Germani explicando themati per experimenta allaboraverint, cum tamen plurimi adfuerint. Sed ita eſt, Hambergerum ſecuti experimenta negligunt. Minime tamen materiam hanc abſolvit le Cat, plura habet fictitia magis quam probata, lympham nervalem ſupponit in cerebro & muſculis ſecretam, fluidum nerveum ſive principium movens, ex aere per pulmones abſorbtum, & animam ſive ſpiritum mixtum lymphæ fluidum nerveum in locum deter-

determinans movendum. Fibram mufculofam microfcopio fæpius contemplatam defcribit, & per plana inclinata agere dicit. Sed nimis difficile eft problema, quam ut integra folutio ejus exfpectari potuiffet.

Cum in lectionibus meis artis obftetriciæ Rödereri compendio ufus fui, præter alia in ftructura partium defcriptione vitia, heteroclitum de fitu uteri obliquo caput occurrit. Certe non concipio, quonam modo uteri orificium, vel axis uteri, in marginem pelvis vel aperturam fuperiorem infiftere queat; impoffibile eft, ex cervicis in pelvi adhæfione, ex uteri molli fubftantia, a pondere fœtus fuperne in abdomine ad utrumque latus mobile, fed minime os uteri ut vectis rigidus fecum in fuperiora rapit. Neque praxis mea in obliquo fœtus fito unquam me uteri talem obliquum fitum docuit, qualem fingit Röderus. A maximo artis obftetriciæ Thrafone, L. . . hanc inutilem falfamque theoriam defumfit, inconfulta natura, uterique ftructnra & connexione. Nondum innotuit, cui munus Profefforis Anatomiæ Göttingæ dabitur. Lugebunt ingrati, fed jufto tardius, abitum tuum, fi defolatam videbunt, quæ antea erat fumme frequentata, Univerfitatem. Diu a Zinnio noftro litteras non accepi; cito nimis tua orbatus eft præfentia, id quod immenfum dolet. Mifi Göttingam Neumanni Continuationem curante Keffelio, & fpero aves a Frifchio itidem me impetraturum; qui nimis moræ indulget.

Filium tuum medicinæ valedicturum audio, tuus ut tanto magis esse queat. Sic facilius poterit, Patriæ Tibique inserviendo, felicitati suæ consulere & habebis fidelem Tibi & assiduum adjutorem.

Abiit a nobis, & id quidem levi famæ suæ macula relicta, Voltairius; neque redibit, uti videtur. Potuisset felicissimus hic degere & in summo honore; sed nimis tendere arcum, rupturam facit. Nescivit aut non contemplatus est, Imperantem obedire nolle, nec, sibi injurias fieri, inulte pati. Facile ei fuisset, in ea qua apud Regem fuit gratia, & suam & aliorum felicitatem ad summum evehere gradum; sed imprudenter noluit, & nunc luget. Quæ secum sumsit contra jussum Regis, Francofurti ad Mœnum captivus, reddere coactus est. Maupertuisius in Gallia optima valetudine degit. Gothæ Voltairius 1000. Imper. donatus est a Duce, & 200. Ducatis a Matre Principis. Pro stipendio annuo 500. Ducatorum sese ibidem permansurum obtulit, si pro spe sua dona eodem modo ac nunc continuabuntur.

Pessime icon nervorum faciei, quod Actis academicis cum descriptione addidi, impressa est. Nollem sane difficiles figuras tam vili charta imposterum imprimi. Addam tamen prioribus libris & hunc Actorum tomum. Accepi a Secretario Societatis Göttingensis tomum secundum, in quo nitidissimæ figuræ plantarum summo ornamento

mento cum utilissimis descriptionibus existunt. Infelix erit, Præside nunc ut audio, ... Medicorum fatum, inutilibus forte superbient philologicis nugis & abstrusis criticis disputationibus.

Dabam Berolini d. 28. Junii 1753.

615.

J. A. AHASVERUS.

Ignoscas, Vir Illustris! quod hisce meis litteris graviora tua in totius eruditi orbis emolumentum vergentia studia ad tempus interrumpam. Jam dudum amor, quo Te veneror, suadebat, quem tua in me collata beneficia ita auxerunt, ut absens semper tua lætes fortuna, Tibi ut felicissimum ad jucundos patrios lares reditum gratuler. At timor ille, tua ne interrumperem negotia, hucusque me impedivit. Sed cum nuper amicorum meorum unus me rogitans adiret, ut sequentem corporis sui statum morbosum tuo subjicerem judicio, tuaque illi consilia saluberrima expeterem, non potui non his petitis annuere, quo & desiderio meo gaudium, quod de fortuna tua sentio testandi, satisfacerem. Et cum semper singulari afficimur voluptate, quando iis felices esse contingit quos amamús, non me præcipitantiæ, pro benevolo quo erga omnes es animo accuses, quod tam facilis in annuendo petitis amici fuerim. Sanitatem vegetam enim, non minimam felicitatis nostræ partem putem.

Amicus vir juvenis triginta circiter annorum jam abhinc annis 12. & quod excurrit inter cutem & ipſam penis carnem, partes duras minimas calculorum ad inſtar ſenſerat; nullos vero exinde dolores, niſi ſi quando forſan in extremitate præputii ſe conjunxiſſent, & ſic unum quaſi corpus effeciſſent. Hoc vero incommodum ſemper leni frictione diſſolvit, hasque partes ad poſteriorem membri virilis recedere coëgit. Jam autem ducta uxore frictio ad parietes pudendi muliebris dolores ipſi ſat graves excitat, ita ut medelam has partes delendi exoptaret cum maxime. Primo particulas has, veros credidit calculos, ſed a medicis ſcriptis edoctus plane impoſſibile calculis eſſe eo pertranſeundi, dudum anxius hæſit quid de illis ſentiendum, donec viſo programmate, quo Tu Vir Perilluſtris Sprögelii comitatus es diſſertationem, illas pro adipe indurato habet, quem Tu in vetula quondam animadvertiſti, & hoc potiſſimum programma amicum impulit, ut Tibi potius ſtatum ſuum confideret. A Te Fautor præſtantiſſime! ſuo nomine quam humillime expeto remedia, quæ ad delendam hanc calculoſam materiem conducunt, & ut ei ſuggeras cavenda, quibus neglectis quantitas vel durities partium augetur. Durities eorum æqualis eſt calculæ veſicæ: magnitudo ad inſtar ſabuli minimisque majora intermixta ſunt. Quantitatem non recte ſe determinare poſſe amicus aſſerit, ſed parvas magnasque ſimul ſumtas plusquam centenas particulas adeſſe credit.

In

In ſcrotum rariſſime irrumpunt, & ponderis valde minoris ceteris cum ſint, facillime ſi non evaneſcant, ſaltem ſeſe abſcondunt. In inferiore dorſi parte vehementes aliquando, leves aliquando ſentit dolores. Hæc ſunt, Vir Perilluſtris! Præceptor optime, quæ tuæ cognitioni profundæ exaſciatoque judicio ſubjicerem amicus me rogavit. Exhilarabis me illumque maximopere, ſi non impeditus gravioribus negotiis horulam his penſitantis & quod idem eſt medendis impendere velis. Diu Te Vir præſtantiſſime! Deus in patriam non ſolum nimis tuis meritis anguſtæ, ſed in totius eruditi orbis commodum vivis intereſſe ſinat, quo tandem medicina Te duce iſtam conſequatur certitudinem, quæ hucuſque fruſtra expetita tuis concredita curis cernitur. Vale, Vir Perilluſtris, & ſi mea levia ſat ſtudia erudito orbi extero utilia fore credis, fortunarumque mearum Promotor abſens eſſe cupis, uti præſentem ſtudiorum maximum veneratur, me ad omnia paratum habebis. Tibi me meaque omnia quam humillime commendo.

Dabam Bremæ 1753. d. 23. Aug.

616.

J. F. MECKEL.

Ego præterito menſe Julii Æthiopem diſſecui; innumera cum cute & epidermide experimenta feci, ex variolarum decurſu & regeneratione in

 illis

illis nigræ epidermidis & factis experimentis evici, epidermidem certo esse mucum nigrum exsiccatum, mucum sub epidermide nigrum non ita excerni, sed mora fieri, initio flavescentem; id quod optime in variolis vidi; nullum esse rete Malpighii; certissime cineream esse & manere cuticulam, etiam per 5. septimanas in aqua maceratam; neque eam maceratione hac, quam continuo, ullo modo destrui, defluente paucis diebus muco nigro in liquamen resoluto; cohæsionem epidermidis cum cute fieri hujus muci & pilorum ope; & in quo adhuc laboro, imperforatam esse cuticulam, transsudare exhalatum liquidum, microscopica experimenta persuadent, optimo enim solari & simplici summum augente centies adspecta cute, foraminula nulla apparent, neque in sicca nec in recenti epidermide diu macerata & purissima. Vasorum nulla vestigia microscopio vidi. Injeci subtilissime, ut omnia ruberent perfectissime brachium & pedem, sed ne unicum in ruberrima vola vel planta pedis vasculum transiit per epidermidem; etiam epidermis facillime 8. dierum natis integre ab his partibus separata est, lævissima & multis omnino flocculis aut radiculis abruptorum vasorum conspicuis, in reliquis injecti brachii & femoris parte per pilorum radicula tam firmiter adhærens, ut 5. septimanis separari noluerit, resistente injectione dissectioni & relaxationi cellulosæ cutis, fortiter hinc comprehendenti radiculas. Cerebri medullæ color, imprimis glandulæ pinealis, & medullaris substantiæ corporum striatorum & pedunculorum cerebri

rebri nigricans, in recentiſſimo & ſaniſſimo cerebro. Peritonei totius in eodem corpore ſteatomatoſa induratio, innumeris ſteatomatibus ubique illud, & circa inteſtina etiam, & omentum replentibus, ut omnia connata in abdomine hoc ſingulari morbo fuerint. Non memini talem totius peritonæi ſteomatoſam indurationem. Omnia in Academia noſtra perlegi. Ad artem obſtetriciam tradendam, propriis adhuc impenſis inſtitutum feci, quo tyronibus occaſio datur, artem hanc in copioſiſſimis gravidis exercere, ita ut nil deſit; ſperoque Regis liberalitatem hoc inſtitutum fore perfecturum. Quod reliquum eſt, omnia inſtrumenta hujus artis mihi magna pecunia comparavi, quæ adhuc inventa ſunt, ut tyronibus oſtendere queam, & machinam inveni, quæ omnia partus ſtadia cum uteri contractione & fœtus expulſione adeo clare ob oculos ponit, ut nil poſſit eſſe clarius, partus præternaturales omnes monſtro, & ipſi tyrones omnes partus in utero vitreo exercere, me duce. Deo volente ſpero & in hac parte bona effecturum; ut dignus ſim tanto Præceptore, quem æternum veneror, diſcipulus; quare & Sprögelium a Te amatum munere hoc ornatum ſummopere lætatus fui.

Maupertuis Pariſiis optime degit; de reditu ejus adhuc nulla certe ſpes eſt, quando fiet. Voltairius impudenter & imprudenter acta, ſero nimis luget, exule ſolo Patriæ & benefactoris ſui, Regis noſtri.

Collectus a Rege ex aliqua militum parte, exercitus, hodie castra intravit, ut in armis sese exerceat. Redibunt in consueta illis hybernacula duodecim abhinc diebus. Nemini datum est adspicere exercitia, vetuitque Rex, ne infelices reddi aut ab equis cursu velocissimo agitatis interfici spectatores possint; id quod sæpe factum est, in annuis illis sic dictis Revues.

Berolini d. 1. Sept. 1753.

617.

AHASVERUS.

Litteræ tuæ, Generosissime Vir! nonnisi 21. h. h. die mihi redditæ, etsi evidentissima singularis tui, quo me persequeris, amoris exhiberent indicia, non parvi tamen mihi causæ fuere doloris. Testimonium enim mœstissimi jam dudum prævisi morbi mihi præbebant certissimum. Amici sub nomine enim ipse latui. Göttingæ jam Tibi statum meum explicare subinde cogitavi, ast timor & nescio quæ verecundia semper me deterruerunt. Accedebat, quod febri acuta maligna correptus ex medico quærebam meo, sentiens dolores dorsi & arenosas de quibus scripsi particulas, numne hi dolores partesque calculis deberent originem. Sed ille omnia phantasiarum febrilium ad instar vilipendit, & id quod calculis adscribendum, musculo, qui, nisi me fallit memoria, psoas dicitur, adjudicavit. Ne ergo morbo imaginario

Tibi

Tibi quoque laborare viderer, hinc eſt quod nunquam hac de re Tecum loquutus. Neſcius quoque num Tu Vir Perilluſtris! Bernæ degeres, & litteræ meæ Tibi perferrentur, amicum quendam finxi, id quod mihi condones obſecro. Jam vero tua humanitas & erga me benevolentia ſingularis me adigit, ut jam ſine omni perſona fucoque ſtatum meum Tibi referam. Si prolixius nimis fuero, ſtudebo tamen brevitati, ignoſcas rogo quam humaniſſime. Pater non ſolum meus, ſed & ejus mater, graviter laborarunt calculo, ita ut ſæpe mictum cruor comitaret. Hinc hæreditarium quid ſubeſſe autumo. Has de quibus ſcripſi particulas jam 1742. ſenſi, & maſſa eorum quantum quidem tangendo hariolor, non creſcit, ſed numerus aliquantulum. Nondum inivi matrimonium, ſed id quod finxi credebam futurum. Deſpondere amici vellent Conſulis hujus urbis unicam filiam amabilem. Injurius vero in eam mihi etiam videbar, ſi de ſtatu meo incertus nuptias inirem, & nunc vitiis convictus non cuperem nuptias, etiamſi fortunatiſſimæ viderentur. Cœlibem agere vitam non dedignabor, ſi id ſtatui magis convenire me judicaveris; id certus ſum, me nonniſi omni recuperata ſanitate (ſi talibus liceat animum ludere cogitationibus) de matrimonio cogitaturum. Medicamenta ſumtu paulo moleſtiora non fugiam, niſi eorum effectus viribus meis non major ſit doloresque intenſius augeantur: abhorreo quam maxime a ſectione, alia omnia ſubibo prius. Et nonne credis Vir Perilluſtris, particulas calculoſas, quibus penis repletus eſt,

eſt, medicamentis quæ mihi deſcribes poſſe deleri. Sed neſcio quomodo balnea illa lactea, de quibus loqueris, applicanda. Aliquando in dorſo in illa parte, ubi renes ſunt, dolores ſubinde mortuos ut vocant, ſubinde acres ſentio, aliquando & in regione veſicæ inter penem umbilicumque præſertim poſt mictum graves patior dolores. Huic de morbo meo relationi aliquam diætæ pace tua ſubjungam. Veſcor ordinario una ſemel in die vice cibis communibus. Sed delector fumo induratis, petaſo, cæpis ſæpiuſcule, pomis aurantiis, citris, piris & leguminibus omnibus acidisque. Potus aqua eſt, tincta vino vel albo vel rubro Francico, Rhenano rarius utor. Stando plerumque ſtudeo. Sereno Jove quotidie ambulo. Venæſectione bis quotannis ſuadente Brendelio repeto (poſt ultimam vero ante 8. dies ſuſceptam, dolores renum aucti ſunt) & ſingulis vero menſibus alvum ſale Ebshamienſe aut Glauberiano vel rhabarbara purgo. A Te peto Vir Perilluſtris! ut quæ mihi facienda ſunt præſcribas omnia, & a quibus rebus abſtinendum necnon formulam de miſcenda calce cum ſapone, quam humaniter mihi promiſiſti. Noſcis quantum quidem viſu dijudicari poteſt, vires meas valetudinemque. O ſi Tibi Vir exoptatiſſime, cui tam multa debeo, ſanitatem quoque deberem meam, quantas grates grato ſemper haberem animo, exſolveremque. Vale diu Vir Optime in totius orbis amicorumque præcipue inſigne emolumentum.

Vale

Vale Decus humani generis ſalutatus quam humaniſſime a tuo S.

Bremæ 1753. 23. Sep.

618.

JOH. GESNERUS.

TE ex itinere alpino felicem rediiſſe ex Cl. Bodmero noſtro lætus intellexi. Puto etiam illuſtrem familiam Göttinga in beatam & felicem patriam tuam rediiſſe & feliciter nunc una Tecum vivere, ſuppellex libraria & theſauri anatomici atque botanici quoque Bernam erunt delati. Faxit Deus, ut diutiſſime his omnibus fruaris, utque Patria & eruditus orbis ſuo Hallero fruantur. Lætus audio, tuam etiam ſanitatem ex habitatione in Patria non parum firmari. Mea fere in eodem ſtatu permanet, qui ſolidorum internorum debilitatem indicet, neque enim ad mutatas tempeſtates & lunæ phaſes facile evito moleſtas anxietates, & ſaniſſimo ad ſpeciem ſuperveniunt circa æquinoctia aut ſolſtitia febriles & exanthematici acceſſus, quos neque venæſectione, neque laxantibus, aut alia medicatione arcere hactenus potui. Lenius quidem hoc morborum genus ex aliquo tempore me invadit, permoleſtum tamen accidit meis conatibus & negotiis. Hoc ipſum tum innumeræ interpellationes me aliquandiu invitum ab officio ſcribendi detinuerunt.

Clar.

Clar. Ramſpeckius ex itinere Glaronenſi & Rhætico rediens per aliquot dies Tiguri commorabatur. Plantas etiam rariores inde attulit, ſed ex humiditate valde læſas, harum omnium copiam Tibi facturum eſſe promiſit. Inter rariores antea non viſa occurrebat Orchis, quam pro Orchide ampliſſima foliis binis ſplendentibus, Buxbaum II. 778. habeo. Florum & bulborum fabrica convenit cum Chamæorchide aggerum Zeelandiæ. Spica vero palmaris: folia bina alterna vaginantia, nervoſa, elliptica $3\frac{1}{2}$ pollices longa, $1\frac{1}{2}$ lata. Curavi ut quantum poſſet accurate delinearetur. Reperta eſt in Alpe Bärenboden Glaronenſium.

D. Schinzius cum ſociis itineris ex Abbatiscellanis & Rhæticis alpibus varia attulerunt, pauca tamen prius non viſa, catalogum cum locis natalibus parabo, quem ad Te mittam. Sed pluvia tempeſtas maximam plantarum partem læſit. Iter Curia Spelugam, M. Beverin ad fontes Rheni poſterioris Bellinzonam, inde vero in Gotthardum proſecuti ſunt. Plantas fere non alias quam quas Scheuchzerus & Huberus ibidem obſervabant, colligerunt; Ranunculum calyce villoſo, Jaceam calycibus ſplendentibus, pyrolam monantham, pediculares varias, Gentianas, Aſtragalos & Aſtragaloides: ſed Phytholaccam in ſepibus prope Bellinzonam collectam fuiſſe mirabar, & Viſcaginem, quæ accedit ad eam, quam in H. Göttingenſi depinxiſti, Juncum item gluma triflora Fl. Lapp.

Alii

Alii medicinæ ſtudioſi in proximos Suitenſium alpes iter inſtituentes non vulgatas inde ſtirpes attulerunt Sweertiam, Dryadem, Sibbaldiam, Tozziam, Nardum celticam, alias. Gr. pennatum auſtriacum ex M. Scaletta habeo.

Ex itinere Scheuchzeriano A°. 1709. diſco, Gramen paniculatum alp. panicula miliacea ſparſa non diverſum eſſe a vulgari ſylvatico, & Pulſatillam alp. fl. purpuraſc. hiſpidiore & nutante omnino eamdem eſſe, cum ea cujus elegantem iconem dediſti in Enumeratione plantarum Helvetiæ.

Hiſtoria plantarum Helvetiæ J. Jacobi Scheuchzeri mera continet collectanea ex Tournefortio, ex itineribus alpinis & practicis ſcriptoribus, junctis Fuchſianis ſtirpium iconibus, & nonnullis rudioribus Helveticarum ſtirpium.

Vale Vir Illuſtris & me ut ſoles porro amare perge.

Tiguri d. 28. Sept. 1753.

619.

DE BRUNN.

Nuper Hagæ Comitum apud D. Kœnig fui, qui fere ſemper ægrotat, iſte mihi dixit, Leidæ experimenta varia contra ſenſibilitatem & irritabilitatem inſtituta eſſe; qualia autem hæc fuerint, Dn. Winter optime mihi narrare poſſet. Qui, cum

cum eum audirem, ſe ipſum, cum d. m. irritaretur, maximas ſecutas eſſe convulſiones, vidiſſe dixit, ſeque neſcire an oculis ſuis fidere poſſit, annon; reſpondi autem ipſi, eum certe experimento ſemel tantum inſtituto fidem tribuere non poſſe, ſed neceſſe eſſe ut repetat, cum facillime in experimento error committi potuerit. Cæterum Dn. Winter valde pro irritabilitate militat, imo is eam nimis extendere ac ad praxin adplicare videtur; omnia enim in praxi per irritabilitatem ac per ſpaſmos explicare conatur; viginti circiter jam ægros in clinico ejus vidi, quibus omnibus nil quam purgantia præſcripſit, cum omnes eorum morbos ab irritatione ac inde ſecutis ſpaſmis ortos fuiſſe dixerit.

Cum Albino juniore per duas horas controverſias habui de ſenſibilitate & irritabilitate. Oppoſuit mihi, certiſſima adeſſe experimenta expanſiones aponeuroticas ſenſillimas eſſe; ſi enim expanſio aponeurotica pungatur, graviſſima tunc ſequi ſymptomata; ſi autem inciſione vulnus majus reddatur, tunc omnia ceſſare ſymptomata, ac ſic quoque in pericranio. Ad hæc ipſi reſpondi, quanquam hæc vera ſint, tamen non probare expanſiones iſtas ſenſibiles eſſe, ſed potius contrarium; ſi enim expanſiones aponeuroticæ tam ſenſibiles eſſent, ut dicunt, tunc neceſſario a vulnere majore graviora ſequi debere ſymptomata, quam a minore, quod in omnibus aliis partibus valde ſenſibilibus obſervatur; quodque, ſi vulnus majus reddatur, ſymptomata ceſſent, inde venire

nire credidi, quod ita ſanguis ſtagnans, eaque ſymptomata producens, effluere poſſit. Oppoſuit mihi porro; dicitis d. m. non eſſe irritabilem, & tamen Pacchioni clare fibras muſculares in iſta vidit, ergo quoque credendum eas adeſſe; quæſivi Albinum, an ipſe eas unquam viderit, reſpondebat ſe nunquam in eas inquiſiviſſe. Perilluſtris Hallerus autem ſæpiſſime quæſivit, dixi, nunquam autem ullas invenire poſſit, ſi adeſſent, cur non æque bene ac Pacchioni eas obſervare potuerit? Quæſivit dein, quorumnam experimentis credamus, veterum an recentiorum? reſpondi, ſi reperimus recentiores accuratiores & fideliores eſſe in narrandis experimentis ſuis, certe recentioribus potius credamus, & ſi ipſis nec credere volumus, tunc experimenta ipſi inſtituamus; ſed credidit Albinus non quemcunque experimenta inſtituere poſſe, cogitavi mecum, commoditas ſtudii horum virorum ipſis ea non permittit. Hoc certum, Perilluſtris Præceptor, omnes hic maximopere mirantur, ſtupendos & fere incredibiles tuos labores, præterea obſervationes tuas valde accuratas ac fideliter enarratas. Multa alia adhuc Albinus contradixit, quæ autem mox coram Tibi narrare potero, cum omnia in ſchedula notaverim. Miratur quoque quomodo Hambergerus, vir alias clarus, omni natura contradicentia affirmare contra Te potuerit, experimenta autem circa hanc rem Albinus nec ipſe inſtituit.

Albinus ſenior proximis ſequentibus annis opus ſuum phyſiologicum ſe nondum edere poſ-

ſe credit, cum alii labores nimis eum impediant. Dn. de Munchhauſen ipſi ſcripſit, an ſub certis conditionibus Göttingam venire vellet, tuncque ipſe eas proponat conditiones, Albinus autem ſtatim id recuſavit. In prælectionibus ſuis phyſiologicis revera irritabilitatem docet, eamque ex tuis propriis experimentis probat, Teque autem nunquam allegat; non quidem utitur vocabulo irritabilitatis, ſed vocat principium movens, facultatem movendi, quæ ineſt partibus omnibus, imo & duriſſimis etiam; quanquam in partibus duris id principium videre non poſſumus, quare id ineſſe negaremus, ſe non perſpicere credit; in duriſſimis dentibus hoc principium quoque ponit, dens enim in quovis puncto ſentit, dentem evulſum non tantas perferre amplius poſſe vires, ac antea, cum principium movens adhuc in eo fuerit; in quocunque igitur corporis noſtri puncto id principium adeſſe, ac differentiam inter vivum ac mortuum conſtituere affirmat. Principium hocce obſervamus, inquit, in turgido iſto, quod in vivis videmus, quodque momento mortis evaneſcit, cum omnia collabuntur ac flaccida fiunt; id principium quoque vult obſervare in ſplendore iſto oculorum, qui, cum oculi in morte frangantur, evaneſcit; nec hoc principium aliunde ad partes deduci, ſed in ſingulis partibus ſedere affirmat, quod cum corde evulſo aliisque ad irritabilitatem pertinentibus experimentis probat. Cogitavi autem, ſi principium hocce in turgido iſto conſiſteret, ac ad motus producendos ſufficeret, ut dicit, tunc poſt mortem, ſi turgidum

turgidum hocce evanuit, principium hocce quoque evanescere deberet; sed videmus tamen in partibus, etiam post mortem irritatis, principium hocce residuum se manifestare, nec tamen motus producere posse. Nec quomodo principium hocce in partibus duris quoque adesse, non dico probare, sed tantum probabile reddere vellet, video. Cæterum Albinus in prælectionibus suis valde est tardus, nec unquam totam physiologiam absolvit, sed ea capita quæ placent omittit, ideoque nullum elegit compendium, quod in prælectionibus suis sequatur, ne coactus sit id ad finem perducere, quod & ipsi ejus Collegæ jam in eo observarunt. Dni. Gaubii autem prælectiones tam sunt præstantes, & hujus viri solius causa me nunquam hic fuisse pœnitebit. Elapso anno hocce academico per Helvetiam in Galliam proficiscar,

Dabam Leidæ die 30. Septembris 1753.

620.

D. LUDWIG.

Si nunc Vir Generosissime, Fautor optime in patriæ sinu feliciter vivis, & sanitate frueris illibata, maxime Tibi gratulor; & licet omnes qui Te amant mecum in votis habeant, ut res tuæ in tuam Tuorumque salutem cedant, tamen dolemus Te in dissitis nimis provinciis vivere, &

Germaniam, quæ Te quæſivit, ornavit & muneribus atque titulis auxit, non amplius ſalutare poſſis. Sic erat in fatis. Muſæ & itidem Tibi conſortes ſunt, & ſi vales tuorum laborum fructibus non fruſtrabimur. Tandem & Linnæus ſcripſit, ſed hypochondriacus videtur, & de invidia Germanorum ſemper queritur, quod ſimili modo etiam Ill. Bäck in litteris ad me datis expreſſit. Species plantarum Linnæi a prelo liberæ ſunt, alterum tomum quotidie exſpecto. Interim in litteris lego, novam adorno editionem *ſpecierum plantarum* & Floræ & Famæ Suecicæ. Neſcio itaque an priori vix abſoluta novam exhibere velit. Muſeum Regis jam abſolvit, & Reginæ, in quo collectio conchyliorum, inſectorum indicorum, coralliorum & cryſtallorum eſt, intra menſem abſolutum erit. Nimii mihi videntur hi labores, & vereor ne ſanitatem ejus jam imbecillem prorſus infringant. Ego vero nimia laborum practicorum copia obrutus nec decem plagulas pathologiæ abſolvere potui, ita ut poſt nundinas tandem prodire poſſint: commentariorum tomum ultimam partem hujus anni nunc addo, cum eandem duo ipſe hora a prelo liberatum videam. Mitto Tibi præterea quæ Cl. Bohadſch communicavit, qui tamen & florum vademecum promittit: ei conſilium dedi ut differat, & poſt aliquot annos demum obſervationibus auctum exhibeat. Specimen tamen dare juſſi, quo vires ejus in re botanica cognoſcamus.

Dabam Lipſiæ d. VI. Octobr. 1753.

621.

JO. B. MORGAGNUS.

Opportune mihi ſunt redditæ, Vir Illuſtris, litteræ tuæ, die 12 hujus menſis datæ. Cum enim faſciculum quendam ad Te meum amico dederim non ita pridem, Bergomum ad Orellios ferendum, ut hi per Ottios Göttingam mitterent; vides jam a Te Ottios eſſe monendos, ut cum acceperint, Bernam mittant; ubi Te degere, plurimum gaudeo primum, quia in Patria, deinde quia cum dignitate, tum quia inter lætas, de quibus gratulor, filiæ nuptias, denique (id quod præcipuum eſt) quia ſic, depoſito multiplici, graviſſimoque onere, egregie, ut ſpero, & opto, valebis in poſterum Tibi, Tuis, nobis, quicunque medicæ facultati, ſtudiisque huic inſervientibus bene cupimus.

Cæterum intelligere videor, Te non accepiſſe epiſtolam meam, Nonis Januarii datam; alteram vero non accepiſſe, certo ſcio, quippe Gottingæ Tibi reddendum ab Studioſo Conſtantinopolitano, qui tui potiſſimum audiendi cauſa illuc ibat. De Rathgebii enim valetudine in utraque, & præſertim in altera aliquid attingebam, quod nunc aperte, quando omnes ſciunt, enunciabo. Vix ad Te ſcripſeram, quos ille a Te libros deſideraret, cum tentari cœpit eo morbi genere, quod longiſſime ab ipſo abeſſe, omnes quibus intime diuque notus fuerat, procul dubio credere debebamus;

bamus; ut ratio ipſum fugeret primum leviter; deinceps vero uſque adeo, ut conſanguinei demum Vindobonam reducere debuerint. Sed pro amico ego Tibi debitor libenter ero, ſive pecuniam, ſeu libros malis. Atque utinam cujusnam *Hiſtoriam morborum*, & ubi, & quando editam cupias, ex tua epiſtola ſatis intelligerem; operam continuo darem, ut quærerem, ſicuti dabo, cum probe ſciam. Litteris autem illis, Januario datis, pro faſciculo iconum tuarum V. & pro indice diſſertationum a Te collectas, gratias agens, me harum Volumine VII. carere, ſignificabam, ſicuti faſciculo iconum VI. carere, confirmo. Quæ ſic tamen conſidero, ut libros alios mittendo, reſpondeam: quanquam ex iis quos optabas, neque Bononiæ, neque Romæ ullum reperire amici diligentiſſimi potuerint; at in aliis Italicis urbibus hinc illinc quærendi fuerint pauci illi, quos cum aliis quibusdam novis, & cum Planci Ariminenſis litteris, in noviſſimum, de quo initio dixi, faſciculum impegi. Cum meo Pontedera tamen conjuncta opera, & diligentia omnis movebitur lapis, ut alii ex iis quos optas, eruantur.

Tu, quoniam Bernæ es, quidquid, quod commodo tuo fiat, aut litterarum, aut librorum ad me mittere volueris, fac, quæſo, ut Orellii tradant nobili Bergomenſium Medico Andreæ Paſtæ, ille enim ad me cito, ac tuto perferendum pro ſua erga me benevolentia curabit. Vale, Vir Illuſtris, & me, ut amas, ama.

D. Patavii VI. Kal. Novemb. CIↃ IↃCC LIII.

622.

622.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Summa animi alacritate ſemper exſequar, quæ curæ meæ committes, & quomodo negotia moleſtiam mihi facere poterunt, quæ pro Te ſuſcipio? Lætiſſimus ſemper quamvis occaſionem arripiam, qua Tibi inſervire aut ullo modo placere potero. Amoris in me tui videntur monumenta, quæ mihi exequenda tradis.

Göttingæ d. 7. Novembris 1753.

Data hac occaſione ad Te mittere volui, characterem plantæ radiatæ, cujus in litteris mentionem feci, mihi adhuc ignotæ.

Planta depreſſa, exigua, multos ex cauliculo vix unciali late ſpargit ramos, qui iterum in plurimos minores ſurculos abeunt, terræ ſemper appreſſos, fruticoſos, hirſutie aſperos; folia ſemper conjugata ex geniculo caulis aut rami orta, longe lanceolata, profunde ſed tum raritate ſerrata, pilis albis aſpera, vix uncialia. Ex alis foliorum pedunculo brevi hirſuto prodeunt flores albi, vix 2. lineas lati, exigui. Calyx ex duplici ſerie foliorum conſtat, quæ latiuſcula, hirſuta, terminantur fere triangulari lanceolato, reflexo. Flos ipſe radiatus. Semifloſculi plurimi ex tenui cylindrico tubo educti in ligulam anguſtam brevem, foliola calycis vix ſuperantem, fine bifi-

do terminatam, altera lacinia fere ſemper paulum latiori & longiori. Tubus ſemifloſculi continet tubam ſtigmate bifido reflexo terminatam. Floſculi in diſco plurimi, ex tenui tubo ventricoſi, quadrifidi, laciniis floris fere triangularibus. Tubus ſtamineus fuſcus, tuba bifida reſoluta, parum ſtaminibus longior. Semifloſculi & floſculi inſiſtunt ſemini oblongo compreſſo, parum alato, cui inſidet annulus membranaceus, brevis, multis breviſſimis pilis ornatus, qui floſculum orientem cingit. Ex placenta enaſcuntur. Setæ plurimæ, anguſtiſſimæ, virides, ſemine paulo longiores.

Nullum inveni genus, a cujus charactere non abhorreat. Verbeſinæ aut Agerato propior, ſemini convenit cum figura ſeminis Sparganophori Vaill. M. A. S. 1719. Sed ejus plantæ nudum nomen tantum adeſt, nulla deſcriptione addita. Statura ſane depreſſa, ramoſiſſima, folia conjugata, floſculi quadrifidi, ſeminis annulus viridis membranaceus, pilis ornatus, Setæ floſculos diſtinguentes plantam hanc fere ab omnibus diſtinguunt. (Zinnia Linn.)

623.

ERICUS GUSTAVUS LIDBECK.

Litteras tuas præterlapſo vere ſcriptas dudum una cum ſeminibus variis D. D. Oedero accepi, Tibique Generoſiſſime Vir, ob illa ipſa gratias multo ante debui agere humillimas.

Poſtquam

Poſtquam ad honorificum illud munus, quo fungeris, quodque intimo pectore Tibi gratulor, crediderim Te jam reipubl. clavo admotum tantis obrutum eſſe curis, tantis moleſtiis, ut ne quidem auſus ſim litteris meis Tibi moleſtiam quandam exhibere; nuperrime vero amiciſſimus Wargentin commemorat, Te Summe Vir mei non tantum meminiſſe, ſed etiam interrogaſſe, quomodo jam valerem, meæque res ſeſe haberent, addit adhuc Te ſcientiarum cultorum nunquam obliviſci velle.

Hiſce jam conſideratis ad plantas Tui delicium reverto, ſimulque Tibi enarrare volui ſemina pleraque a Te accepta, terræque mandata optime creviſſe, ſed pauca & quidem pauciſſima propter elapſæ æſtatis intemperiem ad maturitatem perveniſſe; quapropter, niſi moleſtus Tibi ſim, humillime oro & obteſtor digneris Vir gratioſiſſime ſemina varia, quæ relinquere potes, in futurum ver ad amicum meum jucundiſſimum, Secretarium puto Wargentin, mittere.

Inveni plantas nonnullas apud nos antea obvias, uti Anagallidem flore cæruleo, varietatem quandam roſæ Eglanteriæ, Clavariam cæruleſcentem, atque animalculum illud noxioſiſſimum, Gordium loquor, colore & magnitudine a Gordio Linnæi diſtinctum; toto aliás tempore verno atque æſtivo in inſtituendas varias plantationes herbarum tinctoriarum, nec non mororum albarum propter fabricas ſericas, occupatus fui; om-

niaque mea tentamina hucuſque ex ſententia provenerunt; Rubia enim tinctorum, quam Hollandia præterito anno comparavi, optime viget, atque bonitate Zeelandiæ radicibus non cedet, eodem quoque modo plantationes Carthami, Iſatidis, Luteolæ &c. variis factis experimentis ſucceſſu heic propagari queunt.

Plantatio Mororum albarum tanta hocce anno evadit, adeo ut ſupra 10000. minimas arbores jam numerare poſſim.

Plantationes quoque plantarum med. inſtituere incepi, uti Liquiritiæ, Hellebori nigri & albi iridis Florentinæ, Agerati, Croci veri, ejusdem generis aliarum, quæ omnes præterito hieme frigus Scanicum pertulerunt.

Lundæ Scanorum ſcrib. d. XXI. Nov. An. 1753.

624.

JOH. GESNERUS.

De Ranunculo bellidifloro ſubdubitant Trewius, Ludwigius, alii; nemo eſt eorum, qui apud me viderunt, cui ulla ſuſpicio fraudis aut fucatæ plantæ in mentem venire potuerit. Viderunt autem plures & oculati viri, & quos monui, eam obſervationem non plenam apud omnes fidem inveniſſe, Ramſpeckius, Schmidelius, Ammannus, Mekelius, alii. Si velis, cum aliis plantis

tis mittam, ut tuis oculis lustrare possis, redibit dein cum cæteris plantis.

Vale cum splendidissima familia & mihi porro favere perge.

Raptim Tiguri d. 24. Nov. 1753.

Benevola tua opera duos priores operis tomos accepi. Nescio an hic tertius tomus operis eadem via ad me perveniat, an vero in ea mutatione rerum nonnisi cum incommodo tuo accersatur. Rogo itaque ut mentem tuam mihi appareas. Forte per D. Beurerum posset Londino accersi.

En copiam literarum, quas Nob. Hagedorn nuper ad Cl. Bodmerum nostrum misit, petiit a me, ut cum plurima salute ad Te mitterem.

625.

NICOLAUS ROSEN.

Novos illustresque honorum titulos ut toto animo omnique mente Tibi gratulor; ita pergratum mihi omnino fuit ex litteris tuis humanissimis, proxime datis, percipere, quod rei medicæ, hoc est tuis deliciis & amoribus, etiam in posterum cum velis, tum possis, pro more solito, inservire. Et quoniam Academiam Göttingensem ita, ut nihil supra, partim tua eruditione solidissima & industria singulari nobilitasti, partim socia

cia opera alumnorum tuæ disciplinæ, unde plurima artis medicæ abdita & abstrusiora experimentis sedulo institutis, non potuere non in lucem mediumque prodire, vehementer boni omnes mecum optarent, ut hæc eadem studia, Te aliunde & ad majora vocato, ibi non frigerent, ne dicam languescerent. Quis in tuum locum succedat, & cujas fuerit ille, plane ignoro. Ad me quod adtinet, non intermittam ut cœpi, id agere, ut ea, quæ tuo palato arrisura fore suspicor, & heic typis publicis eduntur, Tibi perferantur ineunte vere, & quoties commoda sese obtulerit occasio. Disputationes Göttingenses hujus anni, quas nullas habeo, mihi ex promisso transmiseris, erunt longe gratissimæ. Idem dictum esto de Monspeliensium dissertationibus & opusculis, de tua continuatione fasciculorum & collect. disput. chirurgicarum. Novum id habeo, quod Museum augustissimi Regis nostri brevi sit inprimendum. Per totum trimestre spatium ad aulam vixi regiam, puerperio clement. Reginæ adfuturus. Adjunctus Facult. Dr. Sidrén hoc intervallo Physiologiam tuam interpretari, & lectionibus privatis cœpit proponere. In nova Pharmacopœa adornanda sumus occupatissimi. Pulverem Herrenschwandi contra Tæniam existimaverim esse compositum e rad. Hellebori nigri & G. Gutta. Sunt heic plurimi, qui pulvere D. Ailhaud præpostere utuntur, qui sine dubio erit quid vegetabile, licet mihi ignotum. Fac, Vir Illustris, recte valeas, & in orbis litterati inprimisque Medicinæ dulce decus diu floreas, id sine ullo fuco optat.

Upsaliæ d. 13. Decemb. an. 1753.

626.

626.

J. F. MECKEL.

Renes connatos ab uno & altero latere in unum & unicam in eas ex aorta arteriam, duas vero venas in adulto reperi, & aſſervo. In quinquemeſtri fœtu teſticulos, ſiniſtrum in annuli abdominalis interſtitio, dextrum ſupra eundem in abdomine hærentem obſervavi. Colli femoris rupturam inveni, & in ea acetabulo inhærens caput, ſupra acetabulum cavitatem peculiarem, quæ collum femoris recepit, & trochanterem majorem, ligamenta omnia oſſea, fractam partem circumdabant & ſupra acetabulum alligabant. Adhærens undique cordi pericardium denuo reperi; in femina vero 99. annorum nullam oſſeſcentiam, nec in vaſis, nec corde, nec larynge, ſed omnia naturaliter formata, ſumme flexibilia deprehendi.

Berolini die 31. Decemb. 1753.

627.

J. A. AHASVERUS.

Ignoſcas Vir Perilluſtris, quod tam diu gratis tuis, dudum debitam reſponſionem diſtulerim. Hæc enim mora minime mihi ſoli adſcribenda eſt. Cauſa retardatarum litterarum ſi enarraverim facilius me veniam, quam peto, impetraturum ſpero. Redierat antequam ultimæ tuæ mihi

hi traditæ fuere litteræ amicus meus ex Anglia Rungius. Hunc quum dignum tuum noſcerem diſcipulum, aperui illi caſum, de quo Tecum colloquutus eram, expoſuique omnia quæ mihi benevole præſcribebas remedia, rogavique, ut cum mihi, non ſine magno rumore in novitatum avida civitate liceret, calcem ille compararet, cumque ſapone miſceret, felicius me errorem evitaturus. Promiſit & illud; at veterem jam cantilenam denuo occœpit canere, non eſſe veros quos ſentirem calculos, ſed ſolum duratas præter naturam glandulas ſebaceas. Quo magis hanc ſuam mihi perſuaderet opinionem, rogavit ut medicamine (interea dum duo illi menſes effluerent, quibus exponenda calx) quo mater ſua ſæpius ad pellendos ſabuli dolores feliciter uſa eſſet uterer quoque ego; & ſingulis diebus urinam nocte coctam aſſervarem. Sequutus conſilium nil calculorum hucuſque in ea vidimus, dolores ſubſedere mirifice, & ad glandulas tollendas balneum lactis commendavit, & aliquando video aut vidiſſe puto diminuere illas.

Promiſit ſe hac de re ſuam Tecum Vir Perilluſtris! communicatarum ſententiam meque ut reſponſum differam permovit, quod eo facilius impetravit a me, quo magis abhorream meis Tibi moleſtus eſſe. Cum jam pararentur litteræ, cadaver malefici Rungio oblatum, quod per tres & quot excurrit ſeptimanas totum noſtrum occupavit amicum detinuitque, quominus promiſſo ſatisfaceret, quotidie in conſeſſu ſplendidiſſimorum urbis

urbis civium patriæque Optimatum quædam antea præparata & injecta erant demonstranda. His præcedente septimana finitis curis promissi memor ad Te Vir Optime! dare litteras festinavit, quibus sine dubio melius quam ego terminorum medicorum non adeo gnarus, morbidum amici sui exponet statum, ad quæ eodem quo hucusque in me usus es, animo respicias velim.

Nil addendum, ne dicta denuo dicam aut reliquum esse credo, nisi ut Tibi vegetum diuque valens corpus ad sustinenda magnæ animæ magna molimina omniaque prospera felicia omnia novo ineunte anno ex intimo corde apprecer. Vale meque ut benevolentia tua in posterum haud indignum judices, est quod enixe rogo.

Dabam Bremæ 1753. d. 26. Decembris.

628.

J. B. MORGAGNUS.

Brevi inter se intervallo, Tua, Vir Illustris, epistola, die 28. Novembris data & fasciculus ad me pervenere. Utrumque pergratum fuit, ut erunt cætera, quæ liberaliter polliceris. Quibuscum si esse poterit, quod in dissertatione quadam ex modo missis deesse video, libenter accipiam. Ea est in qua de glandula thyroidea, thymo, & renibus succentriatis agitur; titulus enim deest & auctoris nomen; I. autem §. incipiens *Chyli*, *Lymphæ*,

Lymphæ, ſpirituumque, & quidquid ſequitur uſque ad totam paginam 40. minime deſunt.

Firmiorem iſtic eſſe factam valetudinem tuam, mirifice gaudeo. Qua ſalva, poteris ex adverſariis tuis & ex brutis animantibus plurima elicere, quæ Te & nos ſolentur; præclare enim ex Göttingenſibus diſſertationibus intelligo, quam nova, & quam gravia experimenta in illis inſtitueris, & quod conſequitur, quam multa habitura ſit peculiaria Phyſiologia tua, ab omnibus merito exſpectata. In qua perficienda, & in re herbaria ſtrenue, uti ſoles, excolenda augendaque; ut cætera nunc omittam; neque occupatio deerit neque ſolatium.

Utinam Rathgebio non ea accidiſſent, quæ uterque dolemus: habebat is in botanicis plura animadverſa, atque obſervata, de quibus ad Te ſcriberet, animum autem gratum, ut officiis reſponderet tuis, quod ipſe non modo pro me, ſed & pro illo, ut potero, perlibenter certe & diligenter facere conabor, dum vivam. Ex iis quos deſiderabas, aliquos ineſſe libros gaudeo in eo faſciculo, quem miſſurus ſui ipſi litteris ſuperioribus. Cæteri, quos nunc deſignas, ſedulo quærentur alibi; neque enim hic, aut Venetiis reperiri potuerunt. Cum Lucenſium commentariorum volumen quartum prodierit, a me habebis. Quod ad diaria attinet ejus generis, cujus Tu optas; ſi nullum apud nos extare dixero, ex quo edi Venetiis deſiit *il Giornale de' Letterati d'Italia*; verum dicam: itaque ne ipſe quidem inſpicio; adeo

adeo controversiarum, quæ ad nos minime attinent, ut plurimum plena sunt; libros autem ad nos spectantes plures non memorant, imo nec indicant. Sed quales optas, si qui exierint; aut ab auctoribus, aut ab amicis certe sciam, & ad Te mittam.

Pontedera meus, qui litteras accepit tuas, cum distinctius a Te sciet, quæ potissimum ab ipso optes, libenter faciet, & tunc rescribet. Interea per me officiosissime Te salutat. Cujus nomine Plancum ego salutabo, cum primum ad eum scribam. Nunc enim publica instante anatome, sum paulo occupatior. Quam tamen priusquam aggrederer, nolui meo erga Te deesse officio, hæc rescribendo. Fac valeas, Vir Illustris, & me ex animo amantem redames.

D. Patavii Pridie Idus Januarias cIↄ Iↄcc LIIII.

629.

J. C. RAMSPECK.

Hactenus equidem frustra exspectavi commodam opportunitatem plantas meas qualescunque præterita æstate ex occasione itineris in thermas Fabarias suscepti a me collectas Tecum communicandi, adeo ut nullus fere dubito, quin haud parum mireris, quid sit, quod promissis minus starem meis; nolui itaque diutius Te Vir Perillustris! morari, quapropter earum fasciculum Tibi

nunc mitto, quibus ceu tuis pro lubitu & quamdiu placuerit uti, sique forsan nonnullæ earum Tibi arrideant servare poteris. Vides hic solummodo dimidiam circiter partem plantarum a me lectarum, reliquam quippe, quam inter ut probe recordor satis egregiæ erant, putredine ac situ ob humidum in thermis conclave corruptam non sine dolore abjeci. Plura equidem, quod fateor, præstare potuissem, sed partim cœlum minus favens, partim tædium ex eo conceptum, quod omni prorsus consortio fuerim destitutus, meque solum juga & recessus montium ac sylvarum adire oportuerit, obstitit, quominus penitius pagum peragraverim Glaronensem; accedebat morbus D. Senatoris Heusleri, Viri, quem summopere colo, cujus suram Fabariæ ulcus corripuit cacoëthes, ut adeo iter in thermas maturare prorsus fuerim coactus, simul ac autem initium sensi hydropisiæ, ut sanitatis rationem haberem, molestis illis excursibus valedixi, licet juga aut præcipitia thermis imminentia haud aspernandam Botanico promittat messem. Quodcunque autem hac vice a me vel neglectum vel prætermissum est, id alia vice Deo volente me spero resarciturum, quum omnibus in rebus prima rarissime votis examussim respondeant conamine, atque hac æstate futurum credo, lustraturus vicinia ac limites beatæ illius Valesiæ, quin aquæ Piperinæ exoptatum haud præstiterint effectum, ideoque Leucenses in usum trahere habeam constitutum: si Enumeratio tua Stirp. Helv. Vir Perillustris! in tali itinere ad manus esset, quam ingentem inde Botanicus

eus hauriret fructum, hinc non ſine delectatione quadam ex Cel. Gesnero audi, Te Præceptor Deveneranade! compendium quendam ſeu ſynopſin magni operis portatilem mox in publicum emiſſurum, quo ſubſidio Botanicus inſtructus, uti experientia me docuit, plures difficultates dubiaque facillime ſolvere poterit.

Ut etiam opus J. Gesneri noſtri, cujus nitidiſſimas atque accuratiſſimas icones non ſine mirifica quadam oblectatione ſæpius inſpexi, mox in publicum prodeat vehementer deſidero, in cujus laudatiſſimi atque humaniſſimi Viri Muſeo inter alia etiam juvebat examinare characterem florum etiam minutiſſimorum. Summa cum induſtria ac cura chartæ agglutinatorum, ita ut omnia exacte in iis diſtinguere queas; nec non ex ejus horto ſicco, quem perhumaniter pro more inſpiciendum ac evolvendum mihi conceſſit, fructum haud contemnendum percepi. Plantas etiam vidi Garcinianas, quas a vidua coemit, mihique nonnulla ex iis ſpecimina dono dedit; eas ſane, cum earum nomina deſint, omnes Africanas nominare res eſt altioris indaginis, nullumque novi Te excepto, qui tali negotio par eſſet.

Neſcio ſane, quid ſtatuere oporteat, de Conferva quadam, quam in phiala aqua Fibarienſi, alias ſecundum receptam ſententiam omnium puriſſima, limpidiſſima, ſubtiliſſima ac omnibus particulis heterogeneis deſtituta, impleta apud eundem D. Heuslerum Virum rerum naturalium

 perquam

perquam curiosum vidi; apparuit in ea pedetentim nubecula quædam, quæ tandem in veram Confervam seu Byssum fuit mutata ramosum colore ex albo griseum, in aqua cæteroquin pro more limpida libere natantem, quæ si concutitur neutiquam exinde redditur turbida.

Dabam e Museo d. 8. Jan. 1754.

630.

JOH. GESNERUS.

Icones quasdam addidi earum, quas pictor meus ex vivis & recentibus paravit plantis. Aquilegia ad siccum exemplar adque Scheuchzerianam iconem & colores depicta est. Nostri exemplaris specimen præter folia & petalum floris atque nectarium nil offerebat.

Orchis depicta est ex exemplari Ramspeckiano nondum prorsus sicco, ut partes floris aliquantum cognosci poturrint. Addita est icon florum lente auctorum. Si placet hanc iconem Tibi servabis. Bulbus intra vaginam latitat, uti in Orchide depicta in Comment. Göttingensium Tomo I. an sit Monorchis Ophioglossoides unifolia. Buxb Cent. III. Tab. 26? Calcar in sicco exemplo saltem observare non licuit.

Mitto etiam & submitto amico & sapienti judicio tuo specimen Tabularum nostrarum botanicarum,

carum, quæ prodromum dabunt hiſtoriæ plantarum. Siſtent plantarum præcipuas ſpecies, ſecundum genera & claſſes Linnæanas, quas ubique ad naturales claſſes reducere ſum conatus; pleræque claſſes naturales ſingulis tabulis repræſentabuntur & genera Linnæana, quæ huc ſpectant, uno intuitu exhibebunt, ut differentiæ characteriſticæ facilius in oculos incurrant. Etſi quorundam generum plures ſpecies ad manus fuiſſent, velut Campanulæ, Convolvuli, Loniceræ, & ſingulum genus ſingulæ Tabulæ replendæ ſufficere potuerit, malui tamen pauciores ſpecies repræſentaae, ut eo plura genera in eadem Tabula repræſentarentur, & ea ſimul, quæ unam aut duas vel plures claſſes efficerent, ut Campanaceæ & Cimoſæ in hac Tabula. Icones ut potui ad vivas vel ſiccas plantas, vel ad picturas ab amicis communicatas, vel ad auctorum præcipuorum figuras diligenter depingi curavi. Deſunt tamen nonnulla genera Linnæana impr. ex Zeilanicis, & deſideratorum catalogum ad amicos & rei herbariæ mittam, quumprimum Linnæanas ſpecies accepero, quas d. 26. Jan. amiciſſ. Beurerus Norimbergam ad me curavit, ut benevole communicando horum icones inſtitutum promovere velint. Opus integrum 50. vel etiam 60. Tabulis comprehenditur, ſi partes florum aliquanto laxius ſint diſponendæ, ut quibusdam videtur. Species quivis facile dignoſcet vel abſque explicatione, ſi addantur numeri, quales in Linnæanis ſpeciebus reſpondent. Vel etiam brevis explicatio ſingulæ Tabulæ addi poterit. Recenſio vero ſpecierum cum paucis ſy-

 nonymis,

nonymis, locis natalibus & virium medicarum compendio ſervabitur plantarum hiſtoriæ, cui Fuchſianæ icones, & ſupplementa variarum ſpecierum, aut earum ſaltem fructificationis partium addi poterunt. Exempla, quæ coloribus diſtinguuntur in iis imprimis Tabulis, quæ pallidiore colore impreſſæ ſunt, elegantiam operi & evidentiam in diſtinguendis ſpeciebus conciliare poſſent, niſi nimis ſumtuoſum videbitur. Tu vero Vir Excellentiſſime pro ſumma harum rerum peritiá & ſummo acumine, atque pro amicitia tua & eximia in me benevolentia, cujus tot illuſtria experimenta habeo, ea quæ ad corrigendum; emendandum ac perficiendum opus pertinere videbuntur, ut benevole communices etiam atque etiam rogo.

In his Caroli M. feriis orationem ſolennem recitavi de cura magiſtratus circa ſanitatem civium.

Medici Baſilienſes ad Societatem phyſico-medicam recenter inſtauratam me invitarunt. Sed video me inutile membrum futurum, cum noſtrorum laborum mole in parum firma valetudine mea fere obruar.

Tiguri d. 3. Febr. MDCCLIV.

631.

JOH. GESNERUS.

Plantas cum iconibus & ſpecimine tabularum noſtrarum ante hoc octiduum ad Te perferendas curavi. Et ab amicitia & humanitate tua exſpecto, ut conſilium & judicium tuum benevole de hoc noſtro conatu communices. Addo duo alia ſpecimina, ex quibus cum priori collatis certius judicabis. Equidem nunc maxime ſollicitus ſum de Editore, qui æquis conditionibus operis venditionem ſuſcipiat, maxime ſi colores eſſent addendi. Neque Tiguri invenirem, qui directionem in pictores ſuſcipere vellet; ſunt etiam perpauci, qui idonei forent ad ſimile opus, & hi non abſque magnis ſumtibus colores adderent.

In theatro noſtro anatomico phthiſicum ſecavimus, in quo varios in pulmonibus calculos invenimus. Alium etiam, cui auris & ſinus dexter in magnum aneuryſma dilatatum fuerat fere cum jactura vel ſaltem inſigni diminutione ventriculi dextri.

Vale cum illuſtri familia & fave.

Tiguri d. 13. Februarii 1754.

632.

JOH. GESNERUS.

Gratum mihi eſt per D. Manetti & Riſlerum occaſionem ſuppeditari frequentiores litteras ad Te dandi. Miſit ille epiſtolam, quam ad Te curarem. Hic diſſertationem filii elegantem & copioſam de Verbaſco, quam ſuo nomine Tibi offerrum. Eſt ſane D. Riſlerus Pater merito inter eximios Helvetiæ Botanicos referendus, qui cura & diligentia ſua rem herbariam inſigniter auget. Præter hortum quem dedit Carlsruhanum, ipſe magno ſtudio & diligentia hortum botanicum alit, ſatis locupletem, ex quo plantas & ſemina bene multa amice communicat, inprimis in alendis, educandis, conſervandis plantis diligens & curioſus, & in communicandis plane liberalis, ut ingenuos viros decet. Diſſertatio magno ſtudio elaborata, & forte non ſine conſilio D. Spielmanni & Gagnebin. Icon rudior videtur, & in characteriſticis notis minus placet.

Ex humaniſſimis litteris tuis & judicio de tabulis meis botanicis facile amorem tuum agnovi, & gratas quas poſſum maximas ago. Et tuis ſalubribus conſiliis ac efficaci auxilio idem porro commendo. Dum alia ad naturæ exemplum, alia ex aliorum picturis, alia ex auctoribus varii generis ſumta ſint, fieri non poteſt, quin varium & ſæpe imperfectum prodeat opus. Sed & nec otium, aut facultas, aut opes ſuppeditant, ut plura præſtem, quam

quam quæ tirocinii loco ſervire magis quam Botanices Principibus placere poſſint. Uti pergatur in opere, ex binis tabulis perſpexiſti. Laxiores equidem libenter tum & copioſiores efficerem, idemque amici Norimbergenſes monebant, ſed incertus de Editore & de Typographorum & Bibliopolarum æquitate hæreo. Tabulas alias multas, nimis multiplicare vix licet, ob nimios ſumtus quoties in hoc opus erogandos. Præmittendi etiam ſunt multi fruſtranei ſumtus in delineationes characterum priusquam ſeligi poſſint, qui in tabulam commode ordinentur, quæ comprehendat claſſem aliquam naturalem aut ejus partem. Interim urgeo opus, quantum vires & tempus permittunt, & urgebo, ſi ita Deo viſum fuerit, ut tabulæ intra biennium abſolvantur, textum addam, qui brevem iconum expoſitionem cum medicatarum recenſione, aut nominibus trivialibus, niſi aliud Tibi placebit. Ex collectaneis plura pro ampliore hiſtoria & ſtirpium recenſione depromere poſſem, rariorum etiam icones, tum & Fuchſianas omnes, ſed nimia moles ſcribendorum & ſumtuum ratio deterrent, donec ſucceſſum tabularum fuerim expertus. Linnæanam methodum ſum ſecutus quod ejus libri omnium manibus ferantur, idemque de univerſa ſtirpium hiſtoria copioſe ubique exponat. Nolui tamen naturales claſſes ſeparare, ſed conjunxi naturali cognatione conjunctas ſtirpes, ubi vis methodi eas diſcerpebat. Paucis paginis, quas introductionis loco præmittam, opus omnibus methodis facile adplicabitur. Pictor eſt Auguſtanus homo,

 mo,

mo, qui Regenfufio in delineandis & pingendis conchyliis aliquandiu operam præftitit, per biennium apud me victitat & hofpitat, diligens, artis fuæ fatis peritus, invincibilis patientiæ, bonis moribus & qui fapiat. Sed vix tot laboribus, qui in hoc opere requiruntur, unus fufficere poteft: & noftris hominibus vix quicquam efficere licet, qui ad hofce accuratiores labores duci non poffunt. Etfi tabulæ quibus illevit colores, fplendidiffimæ, & paucis exoticis exceptis, quibus colores ex defcriptione addidit, ad naturæ imitationem factæ fint, non tamen video pictas tabulas commode vendi poffe, ob nimios fumtus & temporis impendium, quod in numerofis hifce partibus accurate pingendis infumitur, nifi Norimbergenfes pictores id parvo fumtu efficere poffint. Linnæanæ fpecies, quas Beurerus Norimberga mifit, nondum ad me pervenerunt; fed imprimis mihi opus effet differtatione Linnæana, quæ novorum generum fupplementum eft, fi per aliquot dies ejus ufum velles concedere, tum & Mufei Teffiniani aut fi quæ alia nova ex Suecia accedunt. Nobis ad has delicias impeditum eft iter, & Bibliopolæ noftri, quicquid offeramus, comparare nolunt, cum nonnifi parata pecunia emantur; hi vero fuos modo libros commutandos offerunt, & omne aliud negotium recufant. Addes itaque ad multa tua & innumera in me officia magnum cumulum, fi pro amicitia tua hæc nobifcum communicare pergas.

Bafilienfes hortum botanicum poft hortulani Linderi obitum inftaurare cogitant, & Botanices Pro-

Professor Stæhelinus iter Argentoratum, Göttingam, Berolinum, Leidam, Lutetiam, suscipit. Commentationem de Frangula polycarpa paravit, ut audio, Actorum Helveticorum Tomo II. inserendum & impr. Ramspeckio nostro oppositam. Ille ex quo Tiguro a nobis discessit, altum servat silentium, ut ne verbulum ab ipso acceperim.

Tiguri d. 18. Febr. 1754.

633.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Litteris tuis, Vir Perillustris, humanissimis ex me quæris, quæ mihi fuerint observata circa fluctuantes fibras, coronam ciliarem & retinam. Omnia vel nuper instituta experimenta cum descriptione harum partium, qualem in programmate meo tradidi, consentire semper nunc quoque videntur. Filamenta nempe, sive plicæ chorioideæ, primum vitreo humori annexæ, fine autem libero fluctuante lentis convexitati anteriori incumbunt, ut nunc quoque video. Quam autem post Camperum dixi coronam ciliarem, pars propria & ad tunicam humoris vitrei potius pertinere videtur. Ex illa nempe tunica anterius exeunt fibræ pectinatim dispositæ, pro tenuitate partium sic satis robustæ, pigmento quidem nigro tinctæ, quod tamen interdum plane potest ablui, integris illis fibris, & lentæ demum insertæ, quas

quas conjungit membranula, illis multo tenerior, facile dilaceranda, quæ flatu adacto in bullas elevatur. Quod si ergo retina ad lentem perveniat, inter processus ciliares, & fibras illas coronæ ciliaris veras, ex tunica vitrea ad lentem tendentes, viam sibi parare debebit, ut hac fere ordine partes illæ sitæ sint, processus ciliares, retina, corona ciliaris. Hujus enim fibræ pectinatim dispositæ, nimis tum a processibus ciliaribus, tum a retina distinctæ mihi esse videntur. Annon forte membranula tenerrima fibras illas conjungens ipsa retina est? Sed hic pellucida, & reliqua parte tenerior. In observationibus anat. unice occupatus fui in describendis vasculis illis microscopicis, quæ fabricam choroideæ & processuum ciliarium constituunt, quibus addidi circulum circa corneam, in bove quidem optime, nondum autem satis certo in homine visum. Reliquis omnibus, quorum descriptionem tu ipse nunc paras, aut plane abstinui, aut si mentio illorum facienda erat, Te citavi.

Göttingæ 20. Febr. 1754.

634.

JOH. GESNERUS.

Tandem Linnæanæ species ad me pervenerunt curante optimo Beurero, qui fasciculum, quem mitto, adjunxit. Plurima nova, multa etiam in generibus mutata invenio, forte plures mutatio-

nes

nes in nova generum editione, quam promittit, comparebunt. Et hæc meis tabulis, ſi ad aliqua Linnæana normam ſint redigenda, moleſtam adferat operam.

Video permulta nova genera recenſeri, quorum picturam nuſquam invenio. Referam horum delineationem in appendicem & nominis modo mentionem in tabula faciam. In orchidibus nec in graminibus ſibi ſatis conſtans minus placet; & optandum, ut tua opeea huic naturali claſſi ea ratione ut in Allio præclare a Te factum eſt medicatrix manus adhiberetur. In tabulis meis pergit pictor idemque & ſculptor, qui utique magis aqua forti quam graphio utitur. Pergam in perficiendis decem primoribus tabulis, quas cum brevi explicatione ſpeciminis loco tanquam partem primam edam meis ſumtibus, niſi æquus editor inveniatur, & qui coloribus illuſtratas vendat, tum mallem ſingulis menſibus talem edere. Sed in tanta multitudine partium non levis labor illinendi coloris, qui aliquot dierum operam & peritum artificem requirat, quin ſaltem ultimam maoum imponat. Beurerus Norimbergæ editorem vix inveniri credit, cum Seligmannus ex C. Gesneriano opere magnum detrimentum paſſus ſit; Knörrius vero vix ſumtus ſuppeditare poſſit, nec ea accuratione elaboret, quæ in hoc opere deſideratur. Suaſit, ut Haidio Auguſtano offerrem. Sed anceps conſilium videtur, cum ipſe Haidius adhuc in Trewiano opere hæreat, ego vero nollem repulſam ferre. Itaque ab illinendis tabulis abſtineo,

abstineo, usque dum opportuna magis se offerat occasio.

Gratum est in transmissis plantis quasdam fuisse, quæ gratæ esse potuerunt. De papavere vix statuere licet, cnm unicum exemplar ex arce Alt-Regensperg discipuli mei attulerint, idemque floribus nondum explicatis. Ad Cambobrittannicum satis accedere videtut. Didynamiam illam mediam quasi inter Dracocephalum & Horminum Linnæi speciem non facile ad cognitam hactenus speciem referre possum.

Sculptas icones servabis, si ex pictis quædam placere possunt eas non recuso. Ipso momento quo hæc scribo icones redeunt, cum catalogo. Adjunxisti pro humanitate tua gratissimam collectionem dissertationum botanicarum, quam propediem gratus reddam. Nova Göttingensia pergrata fuere. Fac quæso ut pretium sciam, reddam lubentissime. Fasciculum ad D. Manettium curabo proxime.

Buffoniani operis pars 4a. Parisiis advenit, diffusum opus & magis ratiociniis quam naturæ expositione refertum. Encyclopediæ partem III. simul accepi, quæ partem litteræ C. continet, opus diffusissimum & sibi dissimillimum. In Botanicis ultra Tournefortiana non sapiunt. Pessimo errore momordicæ vires balsaminæ feminæ adscribunt, & multa similia in Historia naturali habentur.

Ranun-

Ranunculum Bellidiflorum a Te examinatum fuisse gaudeo. Incredulos hoc tuum examen facile convincet. Aquilegia equidem aliquid diversi habere videtur in foliorum laciniis linearibus & floris magnitudine, cum alius alpinus locus magnitudinem plantæ minuat.

Mitto tumultuarias nostras de hydroscopio constantis mensuræ meditationes. Instrumentum commodum satis usum in examinandis aquis medicatis præbet. Vale & mihi ut soles favere perge.

Scripsi raptim Tiguri d. 25. Febr. S754.

635.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Maxime certe gaudeo, dissertationem meam Tibi, Vir Perillustris, non plane displicuisse, & gratissima sunt, quæ circa nonnulla mones, stimulo mihi futura, ut accuratius in illas partes inquirrm. Et quidem

1°. lubentissime fateor, repetitis experimentis, vascula ex choroidea minora præter arteriolas rectas in circulum iridis venire.

2°. Oculos ovium frequentius dissecabo, tum ob vasa ex retina in vitreum abeuntia, tum ut confirmetur

3°. Circulus ille anterior retinæ, quem in oculis vervecinis semper pulcherrimum & inter-dum

dum plane integrum vidi, nondum autem, ut in Differt. ipse monui, neque in homine neque in bove illum integrum videre mihi contigit, uti in solo bove pulcherrimus ille circulus tantum apparuit, qui accurate originem corneæ tegit.

Descriptionem circuli iridis minoris hic Tibi trado, qualem in oculis optime cera repletis invenis. Arteriolæ pulchre serpentinæ, ramosæ iridis, ubi ad limbum interiorem ejus perveniunt, circa illum ita ducuntur, ut modo solitariæ, modo plures parallelæ incedant, quæ iterum ramulis minoribus, confertim emissis, ubique inter se junguntur, ut repetita hac anastomosi integrum demum circulum perficiant, in eo itaque paulo absimilem a fabrica circuli majoris, quod, non uti ibi arteriolæ bifidæ, sed multa tantum vascula exinde huc allata, & oram iridis tegentia ramis inter se jungantur. Qualem microscopio observare licet, diligenter pingendum curabo. Certissime affirmare nunc ausim, circulum venosum nullum adesse, sed propagines vasorum vorticosorum solitaria sine circulo iridem adeunt.

Cum omnes oculi partes delineandas mihi esse credam, num permittes, ut icones arteriarum ex fasciculo VII. in opus meum transferre liceat, ne actum agere videar.

Cum Ill. Werlhofio paucis abhinc diebus collocutus sum, quem variolæ, quibus Gener. de Wall-moden

moden laborat, Göttingam vocarunt, & qui per aliquot adhuc dies nobiscum erit, dum ille extra periculum fuerit constitutus. Sed vix quicquam, præter generalia, cum illo loqui licuit. Vale meque ut soles ama.

Göttingæ d. 27. Februarii 1754.

636.

JOH. GESNERUS.

Gratias habeo, quod tam benevole de ratione operis mei botanici prudenti consilio & efficaci opera tua me juves. Facile video, cui oceano me immerserim. Pictor idemque sculptor etsi diligentissimus sit, & nulla retardatio operæ accedat, vix intra triennium absolvet propositas 62. tabulas, cum quædam impr. in compositis & umbelliferis sint, quas intra mensis spatium non absolvet. Ego interim Deo & amicis adjuvantibus rem ut potero urgebo & impensas feram, donec editorem æquum invenero, si aliquando magis pars operis sit absoluta. Explicationis tabulæ specimen antequam imprimatur ad Te mittam, ut pro eo quam in me & mea hactenus demonstrasti amore dijudices; & eo majus & libere sententiam explices.

Quid Langhansii medicamento antiphthisico & ejus effectu veri inest? Medendi methodum & diætam magis quam ipsum placet medicamentum. In venæsectione aliquanto liberaliter esse

videtur in Phthiſicis conſummatis. Poſt accuratius examen medicamentum alterum non multum abludere videtur ab oleo juniperi per deſcenſum parato & depurato. Alterum ejusdem phlegma aquoſum videtur remixtum e tinctura quadam pectorali ad Wedelianæ methodum parata & in rubedinem tincta.

Tiguri d. 11. Martii 1754. raptiſſime.

637.

JOH. GESNERUS.

Horminum Plantaginis folio omnino eſt tetrandrum, & charactere a Tournefortiano Hormino diſtinctum. Linnæus Horminum dixit. Tournefortio eſt Meliſſa Pyrenaica caule brevi Plantaginis folio. Meliſſa atro rubens Bugulæ f h. Elth. ad eam proxime accedit. Herbas ſervare poteris. Valerianam celticam cum Leucanthemo & Lithoſpermo tomentoſo remittes.

Cinarocephalarum Tabulam abſolvit pictor: & ut conditio operis fert ſtrenue pergit. Orchidum flores pinget, ſi modo rariores ad manus veniant.

Scripſi Tiguri d. 27. Martii 1754.

638.

JOH. GESNERUS.

Magno me beneficio affecisti communicando semina a Cel. Pontedera Tibi Vir Illustr. oblata. Ut concedebas quædam, quibus carebat Hortus noster, inde depromebam, reliquam partem, ut jubebas, ad Cel. Zinnium misi. Fuit etiam omnium ea copia, ut sine detrimento quædam eximere licuerit. Parciori etiam mihi esse licuit, quod proxime elapso tempore Verona nonnulla semina ad me miserit optimus Seguierius, in quibus nonnulla fuerunt, quæ ex Patavino horto accepit. Ego vero gratias quas possum maximas ago. Misit etiam Seguierius his diebus nonnullas plantas, in quibus est Vitaliana sed absque flore. Mazuchium addidit de Chemia & Broglianum de venenis. De Chemicis scribit Mazuchius more Freindiano, destitutus experimentis. Oh quantum hujusmodi Chemiæ elementa a Boerhaaviano & imprimis Macquerianis Chemiæ fundamentis differunt! Egregii hujus operis alteram editionem Parisiis parari audio.

A Bartramio ex Pensylvania litteras habui. Offert is omnis generis naturalia Virginica. Misit etiam cistam petrificatis, conchyliis & impr. variis lignorum Americanorum generibus plenam. Françklinus testacea quædam & aves Americanas pro me addidit. Francofurto proxime ea ad me deferentur. Aliqua etiam subsidia pro opere bo-

tanico & Americanis fructibus & seminibus ab eo exspecto, sed ob difficile & longinquum iter serius advenient, quam ut eorum usus ex opere meo esse possit.

De optimi Gmelini valetudine tristis admodum nuntius Tubinga advenit, eum admodum periclitari. Det Deus meliora & Te cum illustri familia salvum semper & incolumem præstet. Vale & me ut soles ama.

Tiguri d. 30. April. 1754.

639.

JOH. GESNERUS.

Reddidit mihi humanissius D. Ith fasciculum plantarum, pergratum munus, & tuæ in me benevolentiæ testis. Göttingensia nova & Heisteri litteras cum Brunsvigia attulit tabellarius. Ex iis permulta litteraria nova intellexi. Heisteri tabulæ ad Ehretianas vix accedunt.

Cel. Hagenbuchio collegæ & amico meo perhonorificam denominationem in Ill. Acad. Regiam sc. Göttingensem significavi. Impense eo honore lætatur, Tibi vero cum plurima salutatione quas potest gratias habet, quod præter exspectationem aut spem eum honorem sibi destinaveris, & imprimis optat, ut grati animi significationem apud Te possit exhibere, & testari quanti hanc

tuam

tuam benevolentiam faciat & honorem, quem tuus favor sibi conciliavit, qui & ipsi tanto gratior habetur, quod a Te Viro Amplissimo & cujus maxima semper apud se existimatio fuit, in eum fuerit derivatus. Puto exspectandum sibi esse, donec ab Academia litteræ aut nuntius adveniat de electione, priusquam gratiarum actorias ad Te vel Academiam mittat.

Gmelinus ex vertiginoso affectu & insultu apoplectico laboravit, memoria impr. vacillabat. Morbus nunc in podagram terminatus magnam spem reconvalescentiæ exhibet.

Nobiscum aliquando ova alio ovo prægnantia communicata sunt. Nuper etiam ovum productius ad 5. pollices, cujus prior pars maxime vitellum, exterius vero & in posteriori parte albumen continebat.

Quæ Fräncklinus & Bartramius ex Pensylvania ad me miserunt, sunt 40. diversæ lignorum Americanorum species, testacea marina varia & rariora, petrificata pauca, & aves sex.

Vale & me amare perge.

Tiguri d. 12. Maji 1754.

640.

D. LUDWIG.


Quantum lætor, Generosissime Hallere, Te in sinu Patriæ feliciter valere, Deus Tibi

hæc otia fecit, otia quæ Te delectant, & quæ amicis & forte orbi erudito multa promittunt. Quanta enim sunt negotia tua publica, tantus tamen amor florum, tanta in rebus physicis disquirendis solertia, ut Te felicem Teque beatum judicem. Vivas diu, vivas orbi erudito, Patriæ & Tuis; vivas & mihi, quem nunquam non amasti.

Ego vero sub strepitu praxeos clinicæ, quæ me in urbe nostra tandem obruit, & pathologiam & therapiam ad finem perduxi, & in commentariis nostris ordinandis pergo. Institutionum regni vegetabilis novam editionem paro, sed tardius succedet negotium, cum iter ad thermas Embsenses & Aquisgranenses suscipere velim. Principis Curlandiæ Vidua, quæ ex stirpe Saxonica est, meo consilio hac in re uti vult: quod si itaque & academica studia & praxis inter cives nostros illud concedit, repetam illam Germaniæ partem, quam olim fugitivo oculo transmigravi.

Linnæus immerito de Germanorum invidia conqueritur, dictaturam affectat, quam in orbe erudito vix concedere possumus. Satis eum laudavimus, ob labores indefessos, quos hactenus suscepit.

Heisterus Brunschwigiam edidit, genus Liliaceum, nondum vidi an vere novum genus sit, Göttingæ amicum non habeo, Brendelio scripsi, ipse vero non respondit ob nimia quibus obruitur negotia. Nescio an Rœdererus an Zinnius magis eligendus sit. Vale Vir Generose mihique fave.

Dabam Lipsiæ d. XVII. Maji 1754.

641.

641.

JO. B. MORGAGNUS.

Non dubito, quin fafciculum meum ultimum acceperis, quem ferius quam volueram, Orelliis traditum, & ab his tamen ante medium Decembrem ad Ottios miſſum fuiſſe, certior fio. Ut in eo, præter cæteros libros quosdam inveneris ex iis, quos in catalogo adnotaveras; fic in fafciculo, quem paratum jam habeo, invenies alios, quos in eodem catalogo, aut in litteris, poftea ad me datis, a Te optari, fignificafti, fcilicet Vallettam de Phalangio Apulo, in Sicilia demum repertum, & Mofcam totum, Neapoli miſſum, & Tacconum & Montelaticum, quem ultimum Pontedera nofter dedit, a quo & femina, de quibus ipfi dixi, tempeftive opinor, habueris. Libris cæteris novis exemplar addidi tabulæ ductus pancreatici archetypæ, videlicet quam Wirfungius ipfe hic fculpendam curavit. Statim ac certi amicique hominis occafio, quam quæro, fe obtulerit, ad Orellios, ut foleo, fafciculum mittam. Neque enim mos novus placet mercatorum, per quos ultimus ad me miſſus eft fafciculus tuus; tabellariis enim, non fecus ac fi epiftola effet, perferendum dederunt, ut vecturæ pretium nobis libræ Venetæ quinquaginta indicata fint. Quod non aliam ob caufam fignifico, nifi ut in pofterum fafciculos tuos, non Mediolanum; fed Bergomum ad Orellios mitti jubeas, nobili Medico Andreæ Paftæ ibidem

dem tradendos, quemadmodum epiſtola Te rogavi penultima data VI. Kal. Novembris.

Cæterum & Bibliopolæ Paſquali, & Planco, ſuum cuique faſciculum reddendum curavi. Quæ ad me miſiſti, fuerunt gratiſſima omnia, inprimis tua: quæ ut ex ſententia abſolvas, optimam apprecor valetudinem, quam in Patria multo meliorem eſſe, tantum gaudeo, quantum de afflicto humero dolui.

Ne graveris, obſecro, initium relegere meæ ultimæ ad Te epiſtolæ: intelliges, non eam quam modo miſiſti, diſſertationem de renibus & glandulis renalibus, ſed longe alterius ſupplementum a me optari.

Quod ſerius ad litteras tuas, die 8. Februarii datas, reſcripſerim, quas cæteroquin recte acceperam, non incuria factum eſſe, credito; ſed ut certi aliquid de optatis a Te libris poſſem denique reſpondere. Venetiis enim, nedum Patavii, vix libri alii Italorum proſtant, quam qui in his duabus urbibus excuduntur. Si quos præterea quæri a me velis, jube: grato enim & perlibente animo ſemper inſerviam. Vale, Vir Illuſtris, & ut facis, me ama.

D. Patavii III. Idus Junii cIↃ IↃCC LIIII.

642.

642.

JOH. GESNERUS.

Ex tuo in ſenatum academicum acceſſu bonis litteris & Academiæ veſtræ plurimum boni promitto: multa etiam utilia ex itinere ad fontes ſalſos, utinam me Tibi comitem præbere licuiſſet, & veteris amicitiæ & jucundiſſimi temporis, quo una hæc naturæ admiranda contemplati ſumus memoriam reſtaurare, & rariora foſſilia & marmora & ſelectas plantas legere. Sed mea negotia ac valetudo non firma ſatis ad viciſſitudines tempeſtatis ferendas ab hiſce deſideriis impediunt. Bernam veſtram & hoſce fontes ſalſos nunc adire cogitat amicus meus D. Köchlinus, alter Miniſter eccleſiæ gallicæ, qui aliquot juniores Politicos noſtros ſecum ducit, & memorabilia Helvetiæ obſervabit. Eum cum ſocietate humanitati & benevolentiæ tuæ majorem in modum commendo, quod & ipſe dignus ſit tuo favore & unus ex Theologis noſtris, qui matheſi & phyſicæ & humanioribus litteris egregiam operam dat, & Bibliothecarii munere in ſocietate phyſica fungitur.

Gmelinus ex ſuo morbo admodum languet. In ultimis litteris, quas præcedente menſe ad me dedit, nihil de Flore Sibiricæ editione ſcribit. Non ignoro hunc tomum III. jam diu Petropolin Mſc. tum miſſum fuiſſe.

Tiguri d. 3. Julii 1754.

P. S. Cl. Hagenbuchius gratiarum actorias misit, & schediasma primum Actis vestris inserendum, alterum proximis diebus addet. Lubens quotannis quædam parabit, si modo 12. exempla separatim Typographus imprimat, quæ inter suos amicos distribuat. Ego nescio si voti compos fieri possit.

643.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Summas certe ago gratias pro commendatione tua, qua apud Ministrum & Werlhofium caussam meam orare studes, quem favorem inter maxima, quæ unquam in me collata sunt, tua beneficia refero. Sed eo infelicior mihi viderer, si ipsæ illæ preces meæ sinceri mei amoris & honesti animi suspicionem Tibi redderent, qui unice ad Te confugi, nec cuiquam mentem meam aperui, nec quidquam Te inscio, Te invito moliri volui, ne ullo modo amicitiam tuam lædere viderer. Amore ergo tuo fretus libere in fidelem sinum deponere malui, quæ vitam meam tristiorem hic reddere posse mihi videbantur. Nonne autem nigerrimus omniumque odio dignus forem, si minus sincere Te amarem, & ingrato animo integerrimam tuam in me voluntatem prosequi vellem, qui nullo modo abs Te læsus sum, & in quem recentissima summi tui amoris in me monumenta exstant? Cur est, quod Tibi succenseam, si forte commendatio tua minus valeat, quam

quam ex animo amicissimo profectam esse optime scio. Omnes quibuscunque unquam vixi, & vel adversarii mei Göttingenses fateri coguntur, animum mihi esse honestum, &, ut omnia alia taceam, vel eam ob causam diuturnior tua mora hic mihi optanda fuisset, ut animus meus eo melius Tibi innotesceret. Nondum certe didici morem Göttingæ nimis communem, quo alii quidem egregie collegis se commendant, nemini esse amicum, unice sibi consulere, aliorum famæ detrahere, cujuscunque merita metiri ex artibus, quibus aliorum gratiam captare, & commoda sua promovere posse. Obstupui interdum, ubi viros, quos Catone graviores ante esse credideram, vitia excusantes audivi, quæ omnium odio dignissima esse putaram. Quæ prudentia civilis, uti loqui amant, cum mihi desit, omnibus nostris semper homo parvi certe momenti videbor, & omnes fere in dies magis magisque fugio. Illud unice opto, ne Hannoverani nimis servili metu me detinere velint, qui hac ratione animum non omni ambitione destitutum unice dejicient, vitamque tristiorem reddent. Summa autem animi alacritate omnes certe labores perferam, si vel ulla mihi spes sit, fore, ut diligentia mea illis placere, eorumque amorem mihi conciliare possit, nec unquam spem eorum fallam, si vel ulla spe me sublevare, nec ambitionem plane deprimere velint. Excuses me velim, si nimis tristi narratione Te detineam.

Schedulam tuam pro recipiendis nummis Hannoveram misi, & nummos ad Renierium Francof.

Francof. mittam. Interim expecto, ut me doceas, annon Kaltenhoferum de illis nummis solvere debeam. Proxima occasione icones Orchidum ad te mittam, quibus nunc quoque Orchis hirci odore accessit, cum observationibus meis, quibus addam rationes pro libris, quos mihi misisti. Tempestas pluvia per 14 dies nos vexans & imbres quotidiani excursionibus meis multum moræ objiciunt. Si ullo autem modo tempestas faverit, proximo die solis iter in montes Hercynicos suscipiam. Sectiones oculorum brutorum varia me docuerunt, e. g. Hovius circulum arteriosum ex bove certissime pinxit, a fabrica humana diversissimum, uti Ruyschius loco arteriosi venosum ex balæna substituit, ut Tibi soli debeatur, quod primus circulum illum ex homine delineaveris, qui ipse Hovio gloriæ partem cedere videris, quam non mereri videtur. Præter illum a Hovio pictum in bove & aliis animalibus alius adest circulus posterior, ea sede qua circulus oculi humani situs est.

Si Historiam Orchidum Commentariis hujus anni inserere animus tibi sit, certiorem me facias velim, ut iconibus mea ex parte parcam botanicis. Inter alias plantas Tibi servo duas species Martagonis aliam Canadensem, aliam albam, quæ nulli descriptioni convenit, ut etiam semina ad Te mittam Allii, quam inter species descriptionem non invenio. Data occasione mitto hodie disput. Berlini & Feuerlini, icones Orchidum paratas, libellum sub tit. de princ. anim.

exerc.

exerc. Dec. nescio unde ad me adlatum cum novis litter. pro Zimmermanno. Observ. Orchidum cum rationibus nummorum alia proxima occasione mittam, interdum & nummos Hannoveranos & 26. illos imp. a Michaele accipiam.

Quod superest, iterum abs Te peto, ne amare me desinas, neque amori meo diffidas. Nimio constaret pretio Göttinga, si amicitiam tuam perderem, postquam locus ille omnem tranquillitatem animi, omnemque fere spem, in studiis, quibus totum me tradidi, ad paulo meliorem fortunam emergendi, mihi jam eripuit. Tuo autem amore erepto, me pœniteret me unquam de Göttinga cogitasse. Solum Te hic habeo, cujus in me sinceri amoris sum persuasus, postquam & . . . ., incertos nimiumque tempori inservientes sum expertus. Multa certe sunt, cur neutrius consilia unquam amplius sequi velim. Nemo certe me melius novit, quam utilis mihi foret tua nobiscum præsentia, inprimis hoc tempore, quo matrimonium mihi ineundum est, qui ne unum quidem habeo, cujus consilio uti possim. Tua certe ex parte nihil metuo; sed nostri me terrent, qui nimis merita ex cœcis fortunæ casibus metiri videntur. Rœdereri certe vocatio timidissimum me reddidit, quæ nimium certe mihi jam constitit. Annon semper metuendum est, ne alius ab exteris vocatus omnia reliqua eripiat? Tu autem certe tristissimum me reddis, si amorem & sinceritatem meam in suspicionem vocare videris. Id unum addo & abs Te plurimum

plurimum peto, ne litteris . . . nimium credas. Nescio certe, cur ille quaevis mea pejorem in partem trahat; non unicum exemplum habeo. Vale meque ut soles, ama.

Götting. 3. Julii 1754.

644.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Tranquillo animo expecto, quae Hannoverani ad sincerissimam tuam commendationem respondebunt. Sed & ipse non adeo multum spero, cum norint, me hinc discedere pro lubitu non posse, patienterque mihi ferendum esse, quidquid imponere velint. Sed quam facile & tuum reditum & mea commoda conciliare possent? Si omnino preces meas rejiciant, durissimum certe mihi videbitur, quod virum juvenem, quem ipsi vocarunt, quem nondum reprehensione dignum judicarunt, omni spe vel remotissima privare, & ipsi sibi omnem occasionem me sublevandi, etsi ipsi olim velint, rescindere cupiant. Unicum, quomodocunque res cadat, superest solatium, quod videam, me abs Te amari, qui ipse tuus amor mihi spondet, amicum tuum & si redieris curae Tibi esse futurum, quem eo minus deseres, quo propius illum noveris, quod solatium & animum unice erigit, ne omnino de meliori fortuna desperem. Ad Werlhofium ipse scribam, quae ad Te jam scripsi.

Ante

Ante 12. dies icones Orchidum ad Te misi, quæcunque paratæ erant. Parata adhuc mecum est icon Orchidis palmatæ, longis calcaribus, optima quidem, sed quam Tu ipse jam delineandam curasti. Addidissem Monorchidem prope Osterodam nascentem, & Pseudorchidem montis Bructeri, nisi tempestive de illis jam paratis me monuisses. Redii nempe paucos ante dies ab itinere Hercynico, sed non ita felici ac optaram. Obstitit imprimis diligentiæ pluvia tempestas, quæ ultra 4. septimanas quotidie nos urget: studiosi itineris comites nimis parum curiosi, nimis quietis & Clausthaliæ amantes, & aliæ non minores difficultates. Præter illas autem plantas, quas Tu jam ibi vidisti, nonnullæ tamen sunt plantæ, quæ ad aliud iter proximo anno instituendum me invitant, aut nondum florentes, aut quæ jam florere desierunt, e. g. species quædam Sisymbrii siliquis latis, quam delapso jam flore in sylvis vidi, & nonnullæ aliæ, rariores mihi visæ. Unice montem Bructerum adire licuit, ubi unum exemplar Pseudorchidis, Pulsatillam albam, & alia reperi.

Observationes meas circa Orchidas hic pictas, & fabricam Helleborines stamineam litteris his adjunctam habebis. Orchidem muscifloram reperire non potui, omni licet data opera. Proximo autem anno me non effugiet, quæ, uti audio, copiosius in monte prope pagum Jünte crescit.

Addam

Addam quædam Orchides & fabricam stamineam Helleborines attinentia.

Quivis loculus recipit antheram longam, friabilem, sed duplicem, ex duabus distinctis cinereis antheris compositam, ut quatuor semper adsint antheræ, ex filamento farinifero convoluto factæ, quarum binæ & binæ tenuissimo filamento pendent ab apice hujus squamæ superioris, & in duos loculos se immittunt. Squama inferior inferne excavata in scutum concavum sacco semper madidum, superne convexa lineam habet eminentem, inter antheras se immittentem. Simillima est fabrica Helleb. latifoliæ albæ, sed scapus albus. Nec multum differt Helleborine amplexic. multiflora. Squama tamen superior longiore apice solido, & antheræ mollissimæ, brevi deciduæ hic ex apice squamæ inferioris, loculis squamæ superioris immissæ, oriri videbantur; scapus griseus, squama superior flava. Cætera conveniunt.

Ophrydi fol. ovat. operculum unguiforme subrotundum impositum est, filamento latiori, quod inferne in duobus loculis septo divisis duas recipit antheras fere sagittatas. Infra stamina simile sustentaculum ungui simile, sub quo cavitas fungosa, humida.

Orchis milit. minor, altera varietas, ubi cucullа tria petala longiore majora, apice recurvo, duo alia majora, angustiora, omnia maculata. Puncta segmenti medii secundum tres lineas dis-

posito,

posito, ut segmenta lateralia linea media ex punctis rubris composita pingat. In planta, alia & vulgatiori varietate, puncta sine ordine posita, cuculli petala brevia, obtusiora.

Orchis palmata calcare longo. Varietatem reperi candidissimam, puram.

Orchis Hirci odore. Labelli segmenta lateralia sæpe duobus dentibus notata, medium minus, rhomboideum. Infra loculos staminum duæ spinulæ eminent, & intermedia squamula fusca. Ovarium crassissimum pro mole floris.

Orchis palm. prat. vulg. Spica magis ac in omnibus aliis Orchidibus unilateralis, ut ab altera facie solæ stipulæ longiores caulem tegant.

Orchis palm. mont. maculata. Certissimus fere sum, a vulg. pratensi differre. Serius semper floret, etsi cum pratensi in eodem loco crescat, uti in pratis supra Hardegsen, quæ florere incipit, postquam pratensis jam emarcida est. Caulis semper multo altior, solidus; spica densior, magis conica, vix unilateralis. Radix longior, fissa sæpe in duos tantum digitos crassos. Bracteæ minores. Labellum in tria segmenta fere æqualia divisum. Puncta ita posita, ut triangulum referant. Si spica sit densior, sæpissime flores superiores aut transversi, aut plane inversi sunt, ut labellum superius, cucullus inferior sit, quod in pratensi nunquam contingit. Specimina maxima

reperi prope Hardegſen, minima in ſylvis hercynicis. Adde puncta foliorum multo eſſe nigriora & majora ac in pratenſi.

Orchis morio mas. In adultiori planta calcar ſurſum erigitur, quod in juniori transverſum eſt, aut deſcendit.

Orchis morio femina. Multo mare minor. Spica brevior, diverſiſſima certe a mare. Varietatem inſignem vidi, cujus flos fere clauſus eſſet, & cucullus & labellum conniverent. Cuculli petala exteriora latiſſima, fere quadrata, duplo ac in vulgari majora, intus viridibus lineis picta. Barbæ ſegmenta eodem modo latiſſima.

En deſcriptionem Allii, quod nulli deſcriptioni quadrat.

Radicem nondum novi, quæ nondum effodi potuit, cum unica adſit planta. Folia unice radicalia, ſeſſilia, ultra unciam lata, ſpithamæ longitudine, tulipæ fere foliis ſimilia, glabra. Scapus bipedalis, nudus, craſſus, cylindricus. Umbella plana, maxima, in medio convexa. Flores numeroſiſſimi. Vagina bifolia, breviſſima: petioli unciales. Petala omnia alba, media linea virente: tria exteriora majora, concava, tria interiora minora plana, omnia horizontaliter expanſa. Filamenta ſtaminum ſubulata, baſi latiori inter ſe cohærentia, petalis paulo minora, alba. Antheræ flavæ; tuba ſimplex, ovario paulum longior.

Fructus

Fructus eſt priſma obſcure triangulare, ſex ſulcis inſcriptum, triloculare, ſeptis perfectis, dum planta floret, fuſcum, delapſis petalis, viride.

Floret etiam nobiſcum Aſtragalus caulibus erectis, ramoſiſſimis, pedunculis folio longioribus, floribus laxis Martini, qui autem Aſtragaloides videtur.

Edoceas me velim, ubinam locorum Oederus forte nunc degat, ut litteræ meæ illum reperire queant. Nihil ab illo audivi, ex quo Hamburgum tranſiens iter per Germaniam & Galliam ſuſcepit. Si quidquam, Oedero invideo, iter eſt ad Alpes Norwegicas. Amiciſſimus de Brunn quoque ſilet, ex quo Pariſios profectus eſt. Si Oederus Te videat, pete ab illo meo nomine, ut ſemina in itinere collecta mecum communicare velit. Optarem quoque commercium cum Botanico quodam Belgico. Modo moram mihi facere, meque omni opera me deprimere, vitamque ſine mea culpa tædioſam mihi reddere nollent, ambitio mea amorque ſtudiorum botanici & anat. ſatis ſponte me excitaret, ut ſpei, quam de me conceperunt, ſatisfacerem. Vale meque ut ſoles ama.

Göttingæ d. 16. Julii 1754.

645.

DAN. WILH. TRILLERUS.

Veniam, ſpero, dabis, pro ſumma tua humanitate & æquitate, ſilentio hactenus meo juſto diuturniori, aliena potius culpa, quam mea, commiſſo: dum enim ab artificibus, qui ſupremum B. uxoris meæ eheu! monumentum, & typis & ære ornandum in ſe ſuſceperant, vana ſpe, in dies trahebar, ut fieri ſolet; accidit interea, me certe perquam invito, ut tantum temporis fruſtra effluerct. Nolui vero vacuas plane interim ad Te litteras dare, niſi illud, quod dixi, ſupremæ pietatis & amoris monumentum ſimul illis adjunxiſſem. Vides igitur ſic Vir Ill. & veram meæ cauſam & juſtam ejusdem excuſationem, quam ideo me facile a Te, tam æquo & candido judice, impetraturum, mihi certiſſime polliceor. Accipe igitur ſerena fronte, mœſtiſſimum hoc meum opus, inter lacrymas potius acerbiſſimas, a me ſubito effuſum, quam cum ſolerti cura, aut blanda ſcribendi voluptate, elaboratum & expolitum. Triſtiſſimum potius viduum ubique audies loquentem, quam diſertum & ingenioſum oratorem ſplendide & copioſe declamantem: qui ex animo luget, projicit ampullas &c. ut ille vere ait; & ipſe, luctu ſqualidus, omnem verborum pulchre ardentium ornatum negligit. Quod ſi igitur ipſe meus mediocris labor Tibi, quod jure metuo, haud placuerit; placebit tamen nonnihil, ut ſpes, ipſum opuſculum, propter iſtud tuum

illuſtre

illuſtre nomen, tuumque elegantiſſimum carmen ibi inſertum, quod inter alia plura, ſuo quidem merito, ſplendide effulget, velut inter ignes luna minores; pro quo Tibi nunc iterum ſummas ago gratias. Id vero interea ſummopere doleo, nullum binorum iſtorum artificum ſubtili ſuo cœlo exprimere potuiſſe venuſtiſſimos illos & emendatiſſimos B. uxoris vultus: licet poſteriorem Syſangium, priore iſto Bernigerothio, aliquanto feliciorem fuiſſe, in adumbranda iſta eximia plane forma, haud prorſus negaverim. His vero triſtibus adjunxi, ut vides, pace quidem tua, nonnulla alia lætioris aliquanto aut humanioris argumenti ſcriptæ, interea temporis exigente ſic officii ratione a me utcunque elaborata, & in publicum emiſſa, quorum vili pretio, mihimet ipſi omnium optime cognito ac perſpecto, ut benigne potius veniam indulgeas, quam ſeverius de ipſo judices, Te ea, qua par eſt, obſervantia, rogo atque obteſtor: præſertim, quum & ipſum tuum periilluſtre nomen paſſim intextum tota iſta habeant ſcripta, quo ſeſe, veluti palladio aliquo ſplendidiſſimo validiſſimoque, contra quosvis temerarios obtrectatores fortiter admodum tueantur: quas inter jure ſuo pertinet quoque protervus ipſe & inficetus adverſarius, quem jam noſti, in quo ſumma certat rerum optimarum & verborum quoque elegantiorum ignorantia, cum pari temeritate, & inſana laudis, præter meritus, per indignas & indecoras vias, aſſequendæ, cupiditate: quod nemo ſane, me melius cognitum ac perſpectum habet, propter diuturnam

 quondam

quondam cum ipſo conſuetudinem. Ideo ſacramento affirmare audeo, eum illa, licet mediocria ſcripta, ſuo nomine in me edita, nec compoſuiſſe nec elaborare potuiſſe: græcarum enim litterarum & omnis humanioris litteraturæ adeo rudis eſt, ut græce vix legere poſſit: latine vero ſine barbariſmis & ſolœciſmis fœdiſſimis ſcribere non poſſe, certiſſime ſcio, quia aliquot ipſius epiſtolas latinas (ita enim vocari merentur ob characteres latinos, non autem ob ipſa verba, latinis auribus plane inaudita, & vitiis grammaticis ubique fœde inquinata) & vidi olim, & ipſe correxi, partim quoque ob tædium ac faſtidium, emendare nolui. Illud enim Iter ſic dictum medicum miſellum opuſculum, quum omnis medela, ob turpiſſima & innumera vitia impoſſibilis eſſet ipſi incorrectum reddidi: quare ad Cl Waltherum, tum Rectorem Weiſſenfelſ. nunc Profeſſorem Wittenberg. trepide confugit; qui, quantum potuit, improbo & ingrato labore illud demum lutulentum Augiæ ſtabulum expurgavit, quod nemini non ille aperte faſſus eſt, & adhuc palam pronunciat, miraturque exinde merito, unde homini iſti tam rudi litterarum tanti ſpiritus venire potuerint, ut contra me ſcriberet de argumento crit. & philol. cujus ipſe omnium ignariſſimus eſſet. Nullam ergo, crede mihi, nullam plane a me paſſus eſt injuriam ille ridicule ſuperbus alienis plumis graculus, quando illum nec Svetonium, aut ullum alium auctorem latinum legere, nec intelligere aut explicare poſſe, libere ac vere pronuntiavi. Sed ſatis de his! non enim tam ingratus tamque

protervus

protervus in me adgreſſor meretur, ut plura de ipſo verba faciam: maligno enim iſto ſuo in nos animo, & noſtri & omnium bonorum amore ac favore ſeſe indigniſſimum reddidit: homo ſat audax ac petulans eſt, ut & in Swietenium quin & Hallerum ipſum in poſterum ſcribat, dira lucri ac famæ cupidine. Splendidam novam tuam ſpartam ex animo gratulor, utque & Patriæ, & Muſis quoque ipſis, item & arti ſalutari, quam diutiſſime prodeſſe poſſis, vehementer cupio & ardenter opto. Ita optime vale & mihi favere perge.

Wittenbergæ d. xv. Auguſti cIↃ IↃCC LIV.

646.

PANAIOTA CONDOIDIS CORCYRÆUS.

Perhonorificæ mihi atque exoptatiſſimæ fuere tuæ 24a. Junii die datæ litteræ; Te enim Vir Ampliſſime, quem Leidam primo advena ego, ſemel modo, ob diſceſſum in Gallias, e longinquo vidiſſe probè memini; edita opera, quibus & orbi erudito tanta cum gloria innotuiſti, & locupletata arte ſalutari, præcipue de anatome optime meritus es, notum mihi atque venerandum effecere dudum, unde ſane & deſideratus ad me acceſſit commendatus clarus Wincklerus; cujus in gratiam tanto me dignatus es honore; quo commercio nempe tuo litterario, ut etiam in poſterum me frui velis, eſt quod maxime opto, atque

instanter peto, certus omni officiorum genere, quali in his regionibus valeam, reciproce demeritum iri.

Clarum vero Winklerum, primò per facultatem medicam juxta constitutiones imperiales examinatum atque approbatum; ordini nostro medico cum potestate praxin medicam per totum Imperium exercendi, adscripsi. Dein cum tutela Excellentissimi Viri Domini Laurentii Blumentrost Medici senioris nosocomii Moscowiensis, Medicum constitui secundum; cum officio, docendæ quotannis Anatomes & Chirurgiæ, insuper therapejæ sex modo ægrotorum, quorum sub manuductione senioris Medici curam ageret continuo, observaret accurate omnia, in diarium rejiciens, indeque historias morborum conficiens, quarum unam omni mense ad me mitteret; juxta institutum nuper a me factum, pro quatuor ejusmodi Medicis, penes quatuor nostra magna nosocomia, auctoritate & munificentia confirmatum imperiali, ad promovendos & firmandos in arte Medicos juniores, & edocendam probe juventutem nosocomicam in anatomico chirurgicis stipendium ipsi inde a principio hujus anni designatum annuum trecentorum Rublonum, quod augebitur in posterum pro meritis, insuper hospitium, ligna, candelæ, famulus unus, dantur expensis publicis; & si praxi medicæ diligenter incumbet, ambire potest stationem senioris Medici quando vacabit, cui annuum stipendium octingentorum Rublonum constitutum. Pro specimi-

ne,

ne, præparavit & demonſtravit in cadavere humano, myologiam Gallis dictam parvam, tum & oculi humani vaſa, materia injecta ſua repleta, dexteritate & peritia certe laudatiſſima. Alterum tuum expecto diſcipulum Dominum Kuhleman, de quo etiam bona ſpero, eo quod noverim ipſum olim in caſtris noſtris Chiruigum; parem ipſi ac Winklero ſtationem deſigno, penes noſocomium nauticum, quod Cronſtadii eſt; atque utinam plures advenirent digni, neminem forte pœnitebit eciam nos inviſiſſe.

Quod reliquum eſt, ſervet Te Vir Ampliſſime Supremum Numen incolumem firmaque ſanitate valentem, viridem ad uſque ſenectutem Tuis, reipublicæ medicæ atque litterariæ, opto & adprecor. Vale!

Scripſi Petropoli A°. 1754. Auguſti die $\frac{16}{6}$.

P. S, Hac ipſa die Dominus Kuhlemann ad me acceſſit.

647.

JOH. GESNERUS.

Nobiliſſ. Himſel, in omni Phyſica & Medicina egregie doctus cum humaniſſimis litteris tuis & litterariis faſciculis lætiſſimum attulit nuntium de tua in Academiam Regiam Scientiarum Gallicam receptione, honore raro & quem tuis meritis diu promeruiſti, de quo ex animo gratulor, & Tibi & rei medicæ ac hiſtoriæ naturali. Nemo

erat, quem Academia digniorem ſeligere aut Rex Chriſtianiſſ. denominare poterat, aut a quo præclara magis in omni ſcientiarum ambitu eruditionis veræ ac ſolidæ ſpecimina proſtarent & jure deinceps exſpectanda porro eſſent. Faxit Deus, ut diutiſſime ſcientiis decus & præſidium vivas feliciſſime.

Dunzii elegantem diſſertationem magno cum fructu legi, & in ea cognovi fructum tuæ ſolidiſſimæ inſtitutionis, & methodi in inſtituendis utiliſſimi generis experimentis. Gratias habeo pro egregio dono, doleo me non habere quæ viciſſim offeram.

Sulphuris illa minera, de qua ſcribis, talcoſi quid habere, videtur ad auripigmentum accedere. Si videre licet melius judicare poſſem. Accedunt quidem ad foſſilia mea impr. petrificata continuo quædam novæ copiæ, ſed ita me plantarum tabulæ & mea negotia detinent, ut vix ad ordinanda ea momentum ſuperſit.

Vale Vir Ampliſſime & mihi ut ſoles favere perge.

Tiguri d. 24. Sept. 1754.

649.

JOH. GESNERUS.

Pergratum eſt humaniſſimum fratrem ſalvum ſuis redditum eſſe, eidemque ſaltem teſtificationem voluntatis noſtræ non diſplicuiſſe.

Ammannus Scaphuſienſis mihi familiariter notus optimus, diligentiſſimus, & medica ſcientia & exercitatione probe imbutus eſt. Parens Tribunus plebis amplam magiſtraturam exercet, & inter præcipuos eſt anthophilos, ut filio ab ineunte ætate florum cultura ſatis familiaris fuerit. Ab Empirico quodam ad botanicas excurſiones circa Scaphuſiam ſæpius adductus, plurimas plantas in Patria collegit. Dein in Belgio Leidæ impr. per biennium inſignem numerum ſtirpium etiam rariſſimarum omnis generis, quas in Belgio colunt ſummo ſtudio & ardore collegit, ex variis Belgarum hortis tum impr. academico & Amſtelodamenſi; has ſumma cura ad admirationem elegantes exſiccavit, conſervavit, chartæ belgicæ agglutinavit, alias in horto Pariſienſi ex liberalitate D. Juſſieu habuit. In Patriam redux, cum me Tiguri bis viſeret, primum aliquas rariores, dein totum hunc theſaurum 3000. circiter plagularum conceſſit, quod praxi medicæ & reliquis hiſtoriæ naturalis partibus magis vacare placebat. Ego ἀντιδώρȣ loco conceſſi, ut ſeligeret ex bibliotheca & muſeo foſſilium & conchyliorum quæ placere poſſent, & quæ pretium circiter 100. Imperialium

rialium æquentur. Loca natalia nulla addita ſunt, nec nomina ſemper vera. Felix autem memoria ſatis quædam compenſavit. Interrogatus reſpondere poſſet de rarioribus quibusdam, utrum circa Scaphuſium creſcerent, & quibus in locis, nam diligentiſſime ſingula loca etiam remotiora perveſtigavit.

Vale & mihi ut ſoles favere perge.

Tiguri 30. Octob. 1754. raptiſſime.

649.

J. B. MORGAGNUS.

Faſciculus iconum ſeptimus, & diſſertationes cum ipſo miſſæ, recte ad me pervenerunt. Itaque gratias ago, pro illo præſertim, non vulgares. Ægre autem fero, ſculptoris Batavi incuria moram eſſe injectam faſciculo octavo. Sed plurimum lætor, Te valere, ut vel ex iis intelligo, quæ de tuis indicas circa ſanguinis circulationem experimentis, & proxima eorum editione. Quas mihi commendaveras litteras, Cl. Pontederæ noſtro ſtatim tradidi. Te interea ſpero, meum illum faſciculum accepiſſe, in quo Valletta, Moſca, & alia erant. Cæteros quos olim indicaveras libros, fruſtra hactenus quærendos curo: Guattanum tamen de Aneuryſm. non deſpero. Cum nactus fuero, mittam cum aliis, ſi quæ interea non indigna quæ mittantur, prodibunt. Sunt tamen

tamen aliquando & minus digna, quæ optemus. Sic ex fasciculo iconum IV. extare Huberi programma quoddam de foramine ovali intellexi, in quo me carpit. Illud ego programma, scriptumque alterum Huberi, de mulieribus, opinor, genitalibus nunquam vidi, nec tamen illibenter viderem, ut si quid forte boni haberent, discerem: sin autem; non minus illi quam cæteris, qui a me immerito, non ita multi, dissenserunt, antequam morerer, aliquid, ut in animo habeo, pro veri studio reponerem. Tu, si quid sit in quo hic Tibi inservire possim, jube, & egregie vale, Vir Illustris.

Dabam Patavii postridie Kalend. Novembr. cIↃ IↃCC LIV.

650.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Postquam novissimæ Suabaco ad Te datæ fuerant litteræ, res meæ contra meam spem mire mutatæ sunt. Contigit mihi videre & nosse virginem, quam virtutum pietatis & ingenii laudes, quibus ab omnibus civibus ornabatur, jam antea optime mihi commendaverant. Qua visa, cum ex ejus sermone animi ingeniique dotes perciperem, persuasus mihi fui, beatissimam vitam me vivere posse, si illa a Summo Numine mihi destinata foret. Nec spes me fefellit, votique mei ita compos factus fui, ut cum illa desponsatus Suabaco

baco abire potuerim. Providentiæ divinæ ob donum hoc pretiosissimum maximas ago gratias, quæ auctius & melius fecerit, quam ipse speraverim; bene est, nil amplius oro, nisi ut Deus custos semper mihi maximus adsit.

Oriunda est ex familia in patria satis insigni, cujus proximi Parentes ad ipsum reipublicæ clavum sedent, nata patre, duos demum ante menses mortuo, qui Suabaci Prætoris civitatis (Stattrichter vocant) munere per triginta fere annos functus fuerat, cui nomen Greiner, filia natu minima, quæ viginti & duos annos nondum excessit. Præter alias animi dotes pietas inprimis summa in Patrem, ultra annuum spatium ægre decumbentem omnium sibi conciliavit amorem. Mater omni veneratione dignissima adhuc in vivis est. Cum divitias non quærerem, sponsam tamen ditiorem inveni, ac ipse speraveram, quæ præterea curæ rei familiaris habendæ ab ipsa ineunte ætate adsueta est. Nec pulchritudine multum Göttingensibus feminis cedet. Usa quoque fuit educatione magis ingenua, magis polita, ac vulgo in oppidis illis municipalibus fieri solet, quæ lectione librorum melioris notæ ingenium excoluit. Nomen illi Sophia Friderica. Quæ quidem sors mea eo magis mihi placet, cum ex litteris tuis, quibus consilia sincerissima impertiri mihi voluisti, perciperem. videri Tibi feminam ex patria esse eligendam, si *amare* mallem, quas litteras ipso desponsatorio die accepi. Eo facilius autem, spero, excusabis, quod non statim ad litteras tuas

respon-

responderim, cum pater meus mihi promiserit, seipsum tarditatis meæ veniam a Te esse petiturum. Huc adveni 4. ante dies.

Ante discessum ex Patria Noribergæ per aliquot dies commoratus sum. Trewium inprimis humanissimum sum expertus. Cum mentionem apud illum facerem Tibi desiderari virum, qui loco Beureri edita Norimbergensia Tibi curare possit, ipse se obtulit; nec ullo modo officium illud alii tradere voluit, etsi negotiis illum nimis esse distractum monerem. Modo optat, ut certiorem illum facere velis, quot partes aut pagellæ cujuscunque libri aut operis ad Te jam missæ fuerint. Certissimum Te esse jubet officii, quod susceperit.

A vidua Beureri monetam non accepi. Monuit, ad maritum duas tantum missas fuisse, aliam dono illi datam, aliam autem Te jubente Francofurtum missam fuisse.

Heri interfui conventui nostræ Societatis, ubi a Rœderero sermo de origine monstrorum lectus fuit. Inprimis id ibi agitur, ut sententia oppugnetur. quæ docet, a prima origine statim talem fabricam monstri structam fuisse, qualis editur, & e contrario asseratur, monstrosam fabricam deberi deletis mutatisque partibus casu accidentali. Reliqua tribuit vitio, quod in ipso conceptionis actu ordinem naturæ pervertit, & affirmat, fœtum oriri ex commistis inter se seminibus,

minibus, feminino & mafculino. Recenfionem, fi Tibi ita videatur; hujus tract. Tibi mittam. Ego quidem mutus tanquam pifcis huic conventui adftiti. Afferebatur ibi, Te priorem tuam fententiam de origine monftrorum deferuiffe. Illud equidem ignoro. In eo conditio mea mifera fere mihi videtur, quæ me omnia audire cogit, ut nunquam reponere liceat.

Totus nunc fum in confcribendo & elaborando tractatu de anatomia oculi, qui proximo Pafchatis fefto prodibit. Kaltenhoferus icones fculpit. Veritati enim iconum, quam elegantiæ confulere malui. In proximo autem conventu obferv. botanic. brevemque fermonem de generibus plantarum naturalibus legam. Sed inprimis hic me vexat penuria librorum botanicorum. Bibliotheca noftra non adeo iis inftructa eft, & cura victus neceffarii, parvique reditus, emtionem illorum impoffibilem midi reddunt, fic emendi optimæ fæpe occafiones effugiunt & dimittendæ funt, quod nummi non adfint. Etfi enim pater non adeo pauper fit, religioni tamen mihi ducerem, fi plures adhuc fumtus ab illo exigerem, qui me folum per tot annos extra patriam aluit, cum reliqui fratres & forores npndum educati & collocati fint. Multo minus dos fponfæ fufficeret coëmendis multis libris. etfi forte mea fim contentus. Sentio nunc, quam dura fit ea conditio, ubi inprimis vitæ alendæ confulendum eft, & ubi perpetuo dira neceffitas & humiliores curæ victus neceffarii nos avocant ab indagando ve-

ro,

ro, & ſuppellectilem eruditionis colligere vetant. Conſulere forte nunc poſſent paulo melius huic incommodo Hannoverani, cum dubitari fere non poſſit, quin Segnerus Halam ſit diſceſſurus, qui cum penſione 1000. imper. & titulo Vicecancellarii illuc vocatus fuit. Cum ergo Rœdererus ad opimos facultatis reditus accedat, poſſent forte alii ab illa ſpe longius remoto paullulum conſulere. Si ad applauſum me remittant, conſiderare deberent, omnes ſtudii medici partes, quas hic imprimis excolunt, & unde proventus uberiores exſpectandi ſunt, mihi fuiſſe ereptas, illasque tantum relictas, quas ſtudioſi parum curant. Neque tamen hucuſque augmentum ſalarii petere auſus fui, priuſquam liber anat. de oculo, tanquam ſpecimen induſtriæ quoddam editus fuerit. Interea providentiæ me ſubmitto, quam inprimis ob pretioſiſſimum donum ſponſæ gratiſſimus veneror. De Segneri diſceſſu tamen nondum ad Senatum Academicum nuntiatum eſt, ut, quæ ſcripſi, adhuc inter nos fore, exoptem. Immo peto, ne Oedero multa aperias, qui ipſe iter per Göttingam faciet.

Vale meque ut ſoles ama.

Göttingæ d. 3. Nov. 1754.

651.

JOH. GOTTFR. ZINN.

Opus meum de oculis ſub prelo verſatur, cui quotidie inſudo, & icones arteriarum adhuc ſunt addendæ. Vitia, quibus laboravit, ipſe nimis video, ſed quæ evitare non potui. In eo inprimis conſiſtunt, quod obſervationes multæ inprimis in hiſtoria venarum, nervorum, accurata menſura partium non ſatis ſæpe repetitæ fuerint. Sed difficultates & obſtacula, quæ mihi opponuntur, indies increſcunt.

Ex optimis cadaveribus, quæ injectioni commodiſſima forent, ſceleta conficiuntur & ſtudioſis donantur; ſi forte oculum evulſum extorqueam, illum certe non obtineo, priusquam putredine fere ſit corruptus, & quæ aliæ ſunt artes, quæ moram mihi injicere poſſint. Talia ſenſim me fatigant, inprimis cum nullum ſit remedium. Amor quidem anatomes nunquam me deſeret, majori autem ſtudio animum ad anatomen comparatam vertam, ubi non adeo ab illius arbitrio pendeo. Hæc tamen Tibi dicta ſint. Querelæ ad Hannoveranos delatæ odium mihi excitarent, nec ullo tamen modo res inde in melius cederent. Unice opto, ut qui fata mea norunt, ob allatas rationes vitia libri eo lubentius excuſare velint.

Göttingæ d. 4. Decembr. 1754.

652.

652.

J. D. HAHN.

Quoties tuo mihi colloquio frui contigit ſive præſentem alloqui, ſeu abſentem litteris compellare licuerit, toties animus meus dulci quadam & vera voluptate perfuſus eſt.

Itaque vehementer doleo, quod fatalis rerum nexus ingentem deliciarum mearum interruptionem produxerit, mihique per decem continuos menſes omnem abſtulerit opportunitatem, gratum Tibi deditumque animum ſignificandi. Ipſis enim Calendis Martiis atrociſſimus morbus fractum laboribus corpus invaſit, atque breviſſimo tempore ita proſtravit, ut ſpes convaleſcendi plane nulla ſupereſſet. Enimvero aliter viſum eſt provido Numini; nam præter omnem exſpectationem ſuperatus quidem morbus eſt, ſed languidum & imbecillem & laboribus ſubeundis ineptum diutiſſime detinuit. Quamobrem ineunte æſtate patriam, ſuadente avunculo, repetii, ut efficaciam mutati aëris experirer. Ceſſit hæc peregrinatio in plenam ſanitatis inſtaurationem, reverſusque ſum lætus ac bene valens. Sed confeſtim academicis denuo negotiis implicitus, haud raro percepi, detritas morbo vires non facile in integrum reſtitui, præſertim ſi vitam ſedentariam agas, & cerebrum meditatione fatiges, qua de cauſa tempori inſerviendum, & litterarum amorem temperandum eſſe ſenſi. Sic factum eſt, ut præter neceſſaria, quæ

ex munere meo promanant, officia nullum observare hactenus potuerim.

Enixe igitur rogo, Vir Amplissime! ut ne negligentiæ tribuas, quod debita Tibi nomina tardius persolvam. Tua vero erga me benevolentia fidens spero, fore, ut qua semper mea excipere solebas, serena etiam fronte pagellas meas in posterum perlegas.

Lætus nuper a Brunnero nostro accepi, Galliarum Regem Academiæ suæ Te quoque adscripsisse. De qua dignitate gratularer Tibi, nisi scirem, laude & titulis majora esse merita tua.

Edidit nuper B. S. Albinus annotationum academicarum librum primum, in quo cum membranulam quoque pupillarem descripsisset, tum adjicit, eam se ante hos 25. annos jam reperiisse, multisque demonstrasse. Neque tui nominis nec Wachendorffii mentionem ullam facit. Wachendorffius hanc, uti vocat, arrogantiam ægre ferens petiit, ut inclusam epistolam ad Te mitterem, quam si ita videbitur, relationibus de libris novis inseri curabis; sin minus, supprimes plane. Sed si ipsas annotationes perlegeris, scire vellem anne Clematitis, quam in iis descriptam putamque exhibuit Albinus, eadem sit, quam ipse in Enum. Stirp. Helv. n. 2. descripsisti, Flammula Dodonæo dicta, Cæsalpino Viticella. Ita sane videtur.

Gaubius avunculus meus, tandem aliquando cœpit pathologiam suam prelo committere.

Lam-

Lambergius, Professor primum Franequeranus, nunc Gröninganus, una cum sermone academico de utilitate Botanices emisit in publicum lectionem inauguralem, in qua historiam cancri mammæ ope decocti Belladonnæ funditus persanati copiose narrat. Sic arcanum Winteri innotuit.

In nostra Academia nihil novarum rerum agitur, nisi hoc, quod aliquot abhinc diebus Cl. Trotzius, in Academia Franequerana juris antecessor, huc evocatus sit ad jus publicum Belgii docendum.

Mirabar vehementer, cum nuper in nuntio Göttingensi legerem, explorationem terræ Hertzbergensis problematis loco esse propositam, & publice promulgatum, eis, qui hoc examen inire vellent, copiam manuscriptorum meorum se facturos. Crediderim sane ego, hæc aut typis fuisse describenda, aut plane supprimenda. Tradere enim alienis manibus, quæ fidei Academiæ sunt commissæ, non æquum esse existimo.

Cæterum tuo me favori commendo, & ut illustrem conjugem spectatissimamque familiam meo nomine salutes humanissime peto. Vale.

Scribebam Trajecti ad Rhenum 17 $\frac{14}{12}$ 54.

653.

GERARDUS JACOBUS VAN WACHENDORF.

Etsi a rixandi pruritu, si me recte novi, semper fuerim longe alienissimus, atque omnem lites excitandi occasionem nunquam non fugerim; tamen, si quando veritas id postulat atque æquitas, non facile decedendum a suo jure, neque ab eo, quod verum est, sed sibi, quod suum est, modeste quidem, sed & serio, vindicandum, arbitror. Ut autem intelligas, quid res sit, cur hæc ita proponam, meam adversus clarissimum Albinum seniorem causam paucis accipe; eamque ut una cum nobilissimis inclytæ societatis sodalibus æquo perpendere animo, ac medico orbi vel commentariis vestris Göttingensibus vel relationibus de libr. nov. meis verbis insertam, deliberandam ac decernendam tradere velis, etiam atque etiam rogo!

Communicaveram videlicet, cum orbe litterario in Act. Commerc. Litt. Norib. An. 1740. hebd. 18. p. 137. observationem, quæ est ejusmodi, excepta præfatiuncula: *Trajecto ad Rhenum de quadam oculi membrana pupillari nova observationem anatomicam sub finem anni superioris benevole nobiscum communicavit Gerardus Jacobus de Wachendorff his verbis consignatam: Dum sub anni* 1738. *finem, deliciis anatomicis subseci-*

vas

vas fallens horas, abortum disseco, septimum inter & octavum post conceptum mensem editam, sequentia inprimis præter alia in utrisque oculorum prunellis (lege pupillis) observavi:
Pupilla erat plane clausa a tenerrima, vix cohærente nigraque membranula, ex continuatione uveæ vel nigricantis istius pigmenti, bulbos intus investientis, atque in infantibus præcipue, tunicam, quasi, parum cohærentem mentientis, forte nata; immo, quod mireris, vasis, arte repletis rubris ornata, sustentata, indeque, procul dubio dum vivebat fetus, nutrita. Non autem hæc vascula, totam hujus septi substantiam perreptare, ordentur; sed externam tantummodo gibbamque ejus membranæ superficiem. Membranam pupillarem hanc non inepte dixeris &c.

Hæc facti inventique mei historia; a nullo, quantum sciam, ante me alio evulgata, mihi ideoque inventionis hujus præmium competere, nullus dubitavi. Unde aliquem laboris anatomici, quem ultro susceperam, fructum lætus mihi gratulabar, nec diffiteor etiam tunc, quando post hæc missa anatomia ad aliam provinciam, medicinam scilicet chemiam atque botanicam publice in Academia Ultrajectina docendi, animum meum me adjungere oportuit, hujus inventi recordationem (suum certe cuique pulcrum est) mihi aliquando non nihil oblectamenti attulisse.

Nec alium quoque ejus vel pupillaris inventorem & olim se agnovisse, Illustris Hallerus in

Actis Upſalienſibus; tametſi in iisdem ſignificet Vir Illuſtris hanc eandem membranulam a ſe jam detectam ante fuiſſe, quam ſibi mea ſignificatio, Commerc. Litt. Norib. inſerta, innoteſceret.

Non potui ideoque non mirari, quum nuper admodum compererim in annotationibus academicis Clar. Albini ſenioris, hoc anno 1754. Leidæ editis, de hac eadem membrana, capite ibidem octavo tomi primi, hæc totidem verbis legi. *In eodem illo infante, in quo vaſa cryſtallini a me primum repleta dixi, primum quoque animadverſa membranula totam occludens pupillam: cujus continuata erat oræ, multo, quam quæ vocatur uvea, tenuior. In eaque etiam vaſcula repleta, ex ora pupillæ venientia; ut expreſſum figura ſubjecta. Corneam mox ab impletione intuens, quum intus poſtquam nil niſi vaſcula cernerem, modo cogitare de uveæ vaſis, pupilla fortaſſe plane contracta; modo de vaſis cryſtallini: oculo autem inciſo, præter omnem exſpectationem inveni membranulam illam. Conſpicua erat, facilisque ejus & uveæ diſtinctio: diſtinctus circulus pupillæ; quæ non admodum contracta, nihil impediebat, quominus facile cognoſcerem. Oſtendi multis, conſervata in humore idoneo, nihil mutata, quamvis anni circiter quinque & viginti ſint, quum reperi.*

In quibus ita ſe geſſiſſe Virum clariſſimum video atque doleo, ac earum rerum omnium, quæ & ab Illuſtri Hallero, & a me, aliisque de hoc pupillari velamento ſunt dicta, prorſus ignoraſſet;

raſſet; ne hinc noſtrum citet neminem, ſed vero præ ſe ferre videatur, hanc inventionem a ſe imo fuiſſe detectam, aliisque ad hæc uſque tempora latuiſſe omnibus. Cui autem ſano unquam poſſet in mentem venire, ut vel ſomniando ſtatuerit, tantum ac tam præclaræ famæ Anatomicum tam parum in ſcriptis aliorum verſatum eſſe, ut ejusmodi inventa anatomica, tot ſcriptis tam diu evulgata, eum omnino fugerent.

Quid ergo? Eſtne Cel. Albinus verus primusque inventor habendus pupillaris hujus velaminis, & ita quidem, ut a ſe detectum id jam fuerit ante hos viginti quinque annos, h. e. circa annum hujus ſeculi 1730. Sed cum ea tamen modeſtia, eaque moderatione, quam Præceptori olim meo, me debere, arbitror; ſi itaque Cl. Albinus re ipſa demonſtraverit, hujus membranæ aliquam modo mentionem eſſe factam, aut in ullo, a ſe conſcripto opere, aut in diſſertatione quadam academica cujusdam ejus diſcipuli, ante annum 1740. quo ego obſervationem meam evulgavi, impreſſa; aut etiam in aliquibus chartis academicis prælectionum, quas habuit eo tempore Vir Cl. de Anatome aut Phyſiologia medica, quales haud paucæ diſcipulorum manibus exaratæ, paſſim exſtant; aut denique in epiſtola ad familiares ſuos data, idem fuiſſe communicatum; hæc, inquam, ſi præſtiterit Cl. Albinus, ipſi herbam lubens porrigam; ſin vero in his omnibus hujus veli pupillaris ne vola quidem exſtat aut veſtigium, ejusdem inventionem, ut meam, a me occupatam,

tuebor, nec ulli lubens cedam. Jure an injuria, penes æquos peritosque lectores judicium esto. Neque enim factum admodum laudabile mihi videretur, si tam pulcrum ac utile inventum, quasi in scriniis sepultum sibi Cl. Vir servasset uni, nec, ut publice serviat utilitati, in apertum protulisset.

Adeoque, non ægre laturum Cl. Albinum, spero, si rem a me primum inventam evulgatamque jure meo vendicavero, inprimis quum nomen Clarissimi Viri, tot tantisque meritis atque inventis per universum, quæ late patet, litterarum orbem, tantopere celebratum, tantillo detrimento haud quidquam possit diminui.

Hæc ea sunt, quæ cum maxime Tibi, Ill. Hallere per Te vero orbi litterario, nota esse vellem. Vale! remque tuam semper, meamque hanc feliciter gere!

Dabam Ultrajecti pridie Idus Dec. MDCCLIV.

654.

D. LUDWIG.

Cum nuper Vir Generosissime fasciculum quarundam dissertationum ad Te mitterem, nondum adhuc catalogus B. Bœhmeri impressus erat, nunc cum eundem ab hæredibus obtinuerim, Tibi trado & simul addo, primum commentariorum nostrorum fasciculum ad annum quartum. Anatomen

men hac hyeme ita tractare cœpi, ut certe repetitionem dicere possim, quod deletæ quasi ideæ iterum in memoriam revocentur. Sic viscera, arterias, nervos & musculos in publicis & privatis lectionibus absolvi, in venis & organis sensariis inposterum occupatus ero. In accuratiori disquisitione medullæ spinalis versatus sum. Disquisivi illud filamentum, quod Cl. Huberus ex apice rotundulo in cauda equina latente describit, vidi & arteriolam, quam Tu in ultimo fasciculo tuo anatomico eo in loco descripsisti. Fasciculi medullares eandem equinam caudam componentes molliores sunt, rotunduli, nonnihil rubescentes a tenera membrana involvente vasculosa. Filamenta vero, quæ intercurrunt tenera splendescentia & quasi plana sunt, nec tantum præcipuum illud, quod Huberus delineavit, occurrit, sed alia plura inter fasciculos crudæ equinæ, vidi etiam in nervo ischiadico talia splendentia & argentea filamenta, quæ ob teneritatem cum tenera medullari fibra comparare non possum, ligamenta dicerem, si magis tensa essent, sed fluctuant, nullamque partem sustinent. Multis vero negotiis delassatus hac æstate otia floræ, quam avidissime exspecto, & mihi certe necessaria sunt, cum vires amissæ reficiendæ sunt. In botanicis verö nihil adeo moliri possum, cum si aliquod etiam otium in horto concedatur, illud ordinandis rebus academicis impendendum sit, quo proxima hyeme officio meo satisfacere queam.

Nuper scripta varia, quæ irritabilitatem, motum elasticum, Itonicum & vitalem & confines doctrinas

ctrinas concernunt, evolvi, quicquid in practicis hac de re obſervaverim, non explicando ſed phænomena colligendo mihi animo ſiſterim, Sed in annum proximum hunc ipſum laborem differre cogor; miræ enim ſunt ſenſationes hominum, quas in operationibus chirurgicis, & cura vulnerum hoc ipſo anno obſervavi, ita ut verear an certa ſcribam, cum adeo diſſentientes ſint ipſi ægri, qui de doloribus conqueruntur. Tu vero Vir Generoſiſſime, qui in ſinu patriæ & Tuorum vivis feliciter, valetudinis nunc maximam partem integræ habeas rationem, ut otia tua & porro Muſis dare poſſis. Vale! mihique ut ſoles fave.

Dabam Lipſiæ d. 7. Febr. 1755.

655.

PHILIB. COMMERSON.

Si tam diu ſiluerim de magnificis quibus me vere beaſti muneribus, ſed vitio ne vertas, obſecro. De die in diem procraſtinabam beneficiorum haud immemor animi gratitudinem rependere dictis ſimul & factis; & calva mihi ſemper erat occaſio. Licet enim anſam præbere viſa ſit amiciſſ. Dni. *Neuhaus* (quem haud inſalutatum prætermitti permittas) e noſtra urbe deceſſus, ea fuit adeo parum prænuntiata, ut votorum impos reſtiterim, donec cautius accepta, ſed ſero ſe ſiſteret præſens opportunitas a Dno. *Regnier* Bernam, ut locutus eſt, proxime adituro data. Huc ergo dedignare

dedignare offerri Tibi, de omni flora bene merito ſertum hoc noſtræ alterum: non adeo paucos flores mens erat mittere, ſed grave onus & recuſabat Dnus. Conductor & ipſe verebar, ne Tibimet grave fieret per plantas repetitas. Hærebam nempe in delectu tum, quia ſcirem clariſſ. *Sauvageſium* miſiſſe antea plures, tum quia *Neuhauſius* ipſe coram me multoties profeſſus eſt, florilegium ſuum Tibi omnino deſtinatum iri. Videas igitur, iterum rogo, apud *Magnolium* quid Tibi debitum ſuperſit a Chloride noſtra; perſolvendum id mihi ſumam. Ultro ſi poſſim & quicquid herbarum in noſtra poteſtate eſt excutietur. Ea hodienum ſunt 25. voluminibus in fol. max. comprehenſa & continent ultra 18000. plantarum ſpecimina (plurima ſcilicet in duplo) non adeo peſſime exſiccata. Hæc ſcias ut jubeas. Interim quanto ampliora miſiſti dona, tanto benignius accipe modica.

Liceat etiamnum cordis noſtri, immo & bonorum omnium, pandere lætitiam de auſpicatiſſimo tuo in Academiam Pariſinam acceſſu. Ambigitur utri potius gratulandum ſit. an Tibi? an ipſi Academiæ? adeo mutuus honor.

Neptuni Mediterranei Prodromum jam ad umbilicum duxi, ſi fata velint & Minerva mox perficiendum. Miraberis ſane quod piſces hoſce faunæ noſtræ greges elegantiſſimos numeroſiſſimosque a *Bellonii* & *Rondeletii* temporibus nemo manu verſare auſus ſit.

Artedus

Artedus ipse ichthyologorum merito summus hos aliena autopsia ad methodum & caracteres reduxit, at sæpe nimis confidens mancis authorum descriptionibus. Cum itaque rei ad stateram revocandæ omnimoda mihi suppeditaretur facilitas primum a celeberr. *Linnæo* pisces pro *augustiss. Reginæ suæ Museo* undique conquirente, dein a *Sereniss. Brunswicensium Principiss.* Halieuticam collectionem etiam in votis habente, nolui sicco calamo hanc historiæ naturali amœnissimam partem præterire.

Botanices tamen castra haud deserens *alpes* Gallo provinciales vel forte pyrenaicas sub proxima æstate adire & scrutari meditor. O quanta mirabundo mihi sese hic offeret plantarum diversitas! Briareus esse velim & argus! sed votum ineptum: optarim melius quæcunque dabuntur obvia iisdem perspicere oculis, quibus Tu Alpium Helveticarum vegetabilia lustrasti & itidem illustrasti. Heu! adeo suppellectilis botanicæ inops sum, ut nondum nisi cursim in Museo Sauvagesiano datum sit manutractare auream hanc tuam Enumerationem diu, undique & omni negotio conquisitam. Absit a me imprudentia opus pretiosissimum in donum exoptari: cuperem tantum ut ex libris nostratibus quibuslibet nonnulli satis arriderent, ut hos in mutuum (salva comparatione) accipere velles. Quod de Aristone scribebat olim C. Plinius, idem de Te citra adulationis suspicionem referre fas sit, nimirum *nihil esse quod scire vellem quod Tu docere non possis.* Fave & vale

le Litteratorum in omni genere decus summum & sis hominum Præceptor diuturnior quam beatorum Comes maturior.

Dabam Monspelii 1755. $\frac{4}{5}$.

P. S. Nescio an legerim vel audiverim Te observasse in pisce quodam tunicam cartilagineam choroideæ & retinæ inter mediam manifesto exinde judicio visus immediatum organum non alibi quærendum esse, quam in retina. Piscem, quæso, indica.

Si tuus inter amicos aut discipulos detur aliquis insectorum aviumve strenuus æstimator collectorque haud impiger, res mihi foret acceptissima litterarum & officiorum commercium cum eo sancire. Mira certe & hactenus incognita hujus generis fert nostra tellus. Omnia venient in mutuum.

656.

DAN. WILLH. TRILLERUS.

Tibi vero, Vir Ill. mea non displicuisse munuscula, & mole, & pretio imprimis, exigua; summa animi cum voluptate, intellexi ex humanissimis tuis litteris: unde audentior factus, & solita ista tua comitate fretus, nec jam erubesco, novum aliquod schediasma academicum perspicacissimis tuis oculis subjicere, adjectis quidem summis precibus, ut potius respicias offerentis auctoris

auctoris maximam in Te obſervantiam, quam ipſius munuſculi minimam præſtantiam. Interim noſti ipſemet, experientia dudum edoctus, morem iſtum academicum in elaborandis ejusmodi ſcriptis, qui non ſemper moram patitur, quo omnia, ut decebat quidem, accuratius elaborentur, & elaborata demum, præſcitum quaſi ad unguem, ſollicite caſtigentur. Mihi interea, ſuffecerit abunde, ſi quædam tantum, uti certe ſpero, ibi deprehendantur, quæ magni Halleri prudentiſſimo ſuffragio, haud plane indigna viſa fuerint: ſed de his hactenus.

Quæ de Cl. . . . judicio, in cauſa illa inſulſi adverſarii, ejusque inglorii auxiliatoris, ſcribere Tibi placuit, Vir Ill. ea equidem maximopere miratus ſum, quod ſcil. vir ille Cel. neſcio qua divinatione, tanta confidentia, affirmare ſuſtinuit nullas quidem Rectori illi Lipſienſi partes fuiſſe in ſcena iſta illepida, contra me innocuum inſtruenda, aut in turpi illa faba in me cudenda: quum tamen ipſius illius ſchola . . . moderatoris litteræ penes me ſint, ad Rectorem Cizenſem, in hunc quidem ſenſum ac modum, ſcriptæ: „ poſtquam copioſius nuper a Cl. auctore „ auctore expoſitum eſt, de hac habenarum e„ mendatione; plures dubitandi cauſæ mihi oc„ currerunt, de quibus σὺν Θεῷ, *ſuo tempore*, „ *ſeparatim dicetur*. Quod prædixi, evenit, mul„ ti certam hanc emendationem putant": hactenus ille noſter Cenſor. Cæcus igitur hic plane ſit, oportet, qui ex his liquidiſſimis auctoris verbis,

bis, manifestissime non perspiciat, qualem scil. animum erga nos, induerit, nimirum duplicem, primo, contra nos scribendi, sive per se, sive per alium, suo tamen consilio & subsidio; deinde, exiguam istam ingenii gloriam, si qua sit, nobis eripiendi: prius apertissime putem, patet ex istis quidem verbis: *suo tempore separatim dicetur*; alterum vero ut sequentibus: *quod prædixi, evenit.* Habes igitur hic nudum, sed profecto haud optimum, Rectoris illius animum. Igitur certissime scio, & sacramento pene, si opus, affirmare audeo, illum ipsum facem ac tubam istius capitalis scilicet de lana caprina, aut aridis arenis, rixæ fuisse, & insanum illum adversarium, juvenili audacia tumidum, incitasse, copiisque, quamvis exiguis ac stramineis, instruxisse, quo alienis armis ridicule ornatus, adversus nos insurgeret. Constat quoque præterea, Lipsiæ, eum ipsum consilii auctorem Romanum plagulas frigidæ illius epistolæ, a prelo adhuc madentes correxisse, & a mendis typographicis repurgasse. Sed non solus fuit ille Rector, qui tela sua plumbea in nos vibraret; in auxilium enim etiam accitus fuit tum Günzius, suæ famæ ac laudis amantior semper, quam alienæ, ut etiam suos terunciolos quasi adderet. Hic ergo res ipsas ad Chirurgiam veterem spectantes utcunque suppeditavit; ille vero stilum, & nonnulla veterum auctorum loca, misello meo adversario tam bene nota; quam mihi quidem cogniti sunt inaccessi Nili fontes, quod tam certe scio, quam me vivere, quoniam totus iste homo mihi a multis annis exploratus plane

& perſpectus eſt. Habuit & denique præter hos binos, alium adjutorem, nomine Meſſerſchmidium, Philoſ. M. qui ipſi ſemper a conſiliis eſſe dicitur, quoties latine quid ſcribere auſus fuerit. Non enim periodum latinam in publicum emittere audet, niſi illam alteri corrigendam prius exhibuerit, qui frequentius cum Priſciano habeat commercium, quam ipſe: id quod olim ipſe expertus ſum & Waltherus noſter, Philoſ. Prof. Witteberg. Habes ſic Vir Ill. integram iſtam fabulam inficetam, quomodo acta, & per quos potiſſimum, peracta fuit. Nullus hic, me quidem judice, forte & Te ipſo, uti ſpero, defenſioni locus. Sed Tibi ipſi caveas ab iſto meo protervo adverſario, temerario prorſus homine, qui, ut famam aliquam aucupetur, nemini parcit: jam dudum enim, ut audio, meditatur. tuas olim ad Hænelium ſcriptas epiſtolas publicare; quod, an tua fiat pace, voluntate atque conſilio, Tu Vir Ill. ipſe videris; interea Te amice candideque monere volui, ne multum Tibi commercii in poſterum ſit cum ipſo, tua amicitia plane indigno: ex meo enim exemplo, Tibi, credo, nunc luculenter conſtabit, quid Tibi ab ipſo ſit ſperandum aut metuendum: tam malam enim, ut vides, mihi rependit gratiam, homo ingratiſſimus; pro bonis officiis, ipſi quondam amico animo, a me præſtitis. Sed pudet atque piget, plura de ingrato negotio ſcribere. Inde optime vale Vir Ill. in publica commoda, meque, Tuarum tutum eximiarum obſervantiſſimum cultorem,

rem, donec vivam, amare quæſo, perge. Witteberg die 2. April. & O. R. cIↃ IↃCC LV. Hæc omnia ſoli Tibi ſcripta ſunto: tædet enim rixarum.

657.

JO. B. MORGAGNUS.

Dum Guattani libellos, qui tandem aliquando ad me pervenerunt, quotidie exſpectarem, invitus diſtuli & reſponſionem ad gratiſſimam epiſtolam tuam, datam 26. Nov. & juſtas gratulationes meas; quod optatiſſimus mihi Collega ab Regia Scient. Academia Pariſienſi datus ſis. Ex animo igitur non magis Tibi, quam mihi, eique Academiæ gratulor: Deumque precor, ut Te illi, & mihi quam diutiſſime ſervet incolumem. Cætera quæ de aliis, & de Te præſertim ſignificaſti, ea quoque fuerunt grata, niſi quod Tibi otium tunc deeſſet ad perficiendam quam omnes optamus, Phyſiologiam. De noſtratibus utinam haberem, quæ viciſſim Tibi ſignificarem. Sed ex libellis, quos ad Guattanum addidi, quam inopes ſimus in præſentia, facile intelliges. Adjunxi, ut juſſiſti, etiam illam diſſertationem, quam ad me miſeras, de thyroidea, thymo, & glandulis ſuprarenalibus, a quo neſcio, ſcriptam, cum titulo careat; qui ſi forte penes Te reſtitit, ut addas, rogo: ſin minus, ſaltem remittas; ut ſciam, a quo, ubi, & quando edita ſit. Aliter certe is doctus & ſincerus Vir erga me ſe geſſit, ac alii

 nonnulli

nonnulli ex iis qui post me de iisdem scripserunt particulis. Cum hæ Tibi reddentur litteræ, fasciculus, de quo supra indicavi, erit in via. Vale, Vir Illustris, & me, ut facis, redama.

D. Patavii III. Nonas Maji cIↃ IↃCC LV.

658.

JOAN. BAPT. BASSANUS Romanus.

Eximia tui nominis fama, & immortalis, Vir Perillustris, ac Generosissime, jam dudum ad nos usque pervenerat, nec sane poterat non pervenire, cum per universam, qua late patet Europam diffusa jam esset. Libri omnes a Te in lucem editi, quorum singulos attente, & avide, nec semel perlegi, totidem sunt singularis doctrinæ tuæ luculentissima monumenta; quæ ubique Te prædicant, ubique homines ad optimas quasque disciplinas bene informatos in Tui rapiunt admirationem. Gratulatus maxime mihi nuper sum, quod tuam de partibus sensibilibus & irritabilibus animalium dissertationem, quæ una ex tuis lucubrationibus mihi deerat, comparare potuerim, ex latina licet in gallicum idioma translatam. Miratus prima fronte multarum rerum, quæ in ea continentur, novitatem; nec propterea de fide tua, diligentia, ac peritia vel tantillum dubitare potui. Animum nihilominus adjeci meum ad iteranda cum nonnullis amicis experimenta, tum

ut

ut meis ipſis oculis, quæ ex Te didiceram, intuerer, tum ut tuorum experimentorum obtrectatoribus, quorum hic nonnullos audiveram diſputantes, obviam irem. Noſtrorum tentaminum narratiunculam Tibi, Vir Perilluſtris & Generoſiſſime, transmitto, confidens fore ut a Te, vel probentur, vel benigne ſaltem corrigantur. Primum hoc eſt noſtrorum experimentorum ſpecimen, quod vir doctiſſimus Urbanus Toſettus noſtri amiciſſimus, & Tui ob inſignem in bonis ſtudiis doctrinam, amantiſſimus in ſeriem luculenter digeſſit; alia ſubinde in pericranio, in dura & pia matre, in pleura aliisque partibus tentanda experimenta brevi tempore ſubſequentur. Diſſertationem illam tuam, ut & alias Dn. Zimmermann, & Caſtell in noſtram linguam ad italæ juventutis utilitates, & commodum per amicos meos converti jam curo; eæque quamprimum in publicam lucem prodibunt. Interim tua in me utere humanitate, quod ignotus homo Te interpellare auſus fuerim; me ama, & vale.

Dabam Romæ n. 4. Maji 1755.

659.

JOAN. FRID. MECKEL.

Vix litteras ad Te dare auderem, qui tantum temporis ſpatium præterlabi ſiverim, ſine ullo Tecum per litteras conſortio, niſi tua humanitas, tuusque in diſcipulum Tibi deditiſſimum amor

certum me redderent, neque hæc minuendo huic favori tuo in me ansam dare posse. Invitus enim, plurimis obrutus negotiis, quæ grata mihi sunt, omittere & summe necessaria tantum exsequi coactus fui. Multum ab eo tempore, quo litteras ad Te ultimas dedi, perpessus sum, sæpius morbis, iisque gravissimis, plurimum vero invidiosorum hominum insidiis tantum defatigatus atque discruciatus, ut vix fere tot molestiis obrutus negotiis meis suffecerim; sed & his Deus dabit finem, Teque, uti certus nunc spero & ex animo opto, ad nos reducet, ut itaque & Regis nostri in Te amore & dignitatis tuæ splendore calumniis finis imponetur, mihi vero, si non semper interdum tamen tuo liceat consortio tuoque favore frui, quo nihil ardentius exoptatum, nil magis dulce habeo, ne dicam de tuis consiliis saluberrimis eruendis, & de auxilio etiam in propalandis iis, quas adhuc omni, qua potui studio detexi veritatibus. Maximo hinc mihi solatio & gaudio fuit spes, quam nobis de adventu tuo in has terras, Halam nempe fecisti. Initium hujus rei factum in convivio, cui adfuit Illustris Comes de Gotter. Hic valde, uti solet medica amare, de aëre inter pleuram & pulmones disputabat, & adesse illum certe affirmabat, experimentum Dni. de Sauvage in medium proferens, quod in suspenso factum, ipse viderit. Ego vero illi, non una vice sed plus vigesies me in canibus contrarium, sc. nullam nempe unquam interesse aërem, invenisse suggerebam, & ipsos Hambergeri discipulos sæpius convictos de opinionis suæ falsitate reddidisse,

disse. Respondit ille, Oh, non miror Te defendere sententiam Præceptoris, cui ego, non hanc solum sed veritatem defendo. Hinc de tuis innumeris meritis invicim collocuti, & de munere tuo præsenti ejusque vera dignitate, (de qua sæpe odiosas habui, cum ipsis Helvetis disputationes) incidi in discursu de Universitate Göttingensi in elogia tua & merita in hanc Universitatem, in quam fama tua ex omnibus Europæ terris studiosos collexerit. Lugendum esse, addidi, Te nunc occasione orbatum esse, in medicis ea elaborandi, quæ ipse forte, & magis adhuc alii optarent. Aderat tunc curatorum Universitatis Halæ aliquis, quem Comes hac ratione allocutus est: Quodsi tantum Virum Halàm possitis adducere, nonne consultum optime foret? Rogabam ut hæc pro sua in Te amicitia, & pro eo quo apud Regem polleret favore, impleret, quæ certo se facturum occasione data promisit. Itaque demum felix respondere successus videtur; id quod ex animo opto, Tibique ex itimo cordis adfectu quæcunque grata gratulor. Det Deus, ut diutissime cum Tuis felicissime degas, & ut eo minus aliquando tuo favore, amore ac consortio, tanquam summo felicitatis meæ, augmento frui queam.

Itaque sine figuris observationes inserere cogor actis nostris, quarum & aliquam invenies in eo tomo, quem cum Neumanniani operis fine Francofurtum ad Dnum. Renier misi, Cæterum rarissimas habeo in valvulis arteriæ pulmonalis varietates, quatuor nempe in uno corde, in alio

duas, quas delineari curavi & cum duobus renibus connatis in binis subjectis descripsi. Hac hyeme de cerebro stolidorum jussu Regis, varias observationes feci, quas nunc elaboro, ut prælegere in Academia nostra queam. In gravitate specifica insignem inveni differentiam. Nuperrime Rolossius Dr. monstrum descripsit, quæ in conventu academico publico prælecta est. Optime adhuc sese gessit Sprœgelius, & omnem diligentiam impendit, ut sese in iis omnibus perficeret, quæ officium suum requirit. Amicum semper cum eo mihi est & gratum consortium. Lœseckii observationes, de quibus illi scripsisti, ab autore factæ sunt & notissimæ, ejus structuram arteriæ pulmonalis in fœtu nesciente & nervos exsiccatos ad figuras exprimendas sumente. Sæpius hinc in recenti originem chordæ tympani ex nervo duro examinavi, & semper eandem inveni.

Dabam Berolini die 10. Junii 1755.

660.

660.

XAVERIUS MANETTI.

Tuam de irritabilitate fibræ diſſertationem pluries legi non ſine magna animi delectatione. Hæc plura quidem deſtruit eorum, quæ in quodam libro a me nuper edito aſſeruntur, & me latebant omnia, quæ detexeras, ac mei erat muneris ſententias ſertas, tectasque facere auctoris, cujus diſſertationes converteram & adnotaveram, tum haſce tum alios noſtrates libros, quos autumo poſſe deeſſe, aut gratos Tibi fore ad paucos dies per mercatorem ad Senogalliæ nundinas pergentem dedi, qui omnem dabit operam, ut tutius ac nullis impenſis ad Te perferant. Kalendis Maji collectionem miſi ad Regiam Göttingenſem Academiam, uti juſſeras poſt tuum ab ea diſceſſum, ac impoſterum ſingulis annis libentius me ſpondeo miſſurum, ut aliqua de cauſa nomen meum dictæ Academiæ dare merear. At nondum certior factus ſum, an dicta ſemina measque litteras botanicas vel a Secretis ejusdem acceperit, pariterque an nomen meum in Academiæ album relatum ſit. Suave ſi occaſio detur pete ab illis lata ſint, (*ſic*) & receptio mea optatum exitum habuerit, ſin minus ut hoc quamprimum contingat da operam, quæſo, ne falſimonium me feciſſe videatur, cum ampliſſimo hoc honore decoratum nuper edito libro me prædicem. Plures tuæ litteræ certo certius honorem hunc pollicebantur, & perſuaſum mihi erat in dies ad Tui nutum facillimeque accidere

dere hoc debere, ideoque Göttingensis Academiæ sodalem me inscribere non dubitavi. Tibi igitur nunc sit Vir summe ac præstantissime negotium hoc accommodare, & non mediocrem capiam voluptatem si celerius cepero eorum frui litterario optatissimo commercio. Romæ superioribus diebus publici juris facta est quædam epistola conscripta ab U. Tosetti Romano ad D. Valdambrinum Medicum Etruscum, amplectens varia tentamina confirmantia ea, de quibus periculum feceras in irritabilitatem fibræ, ac docentia easdem fibras & nervos exquisitissimo sensu esse præditos, pluresque partes, quæ ante hæc putabantur maximo sensu donatas ac irritabiles, nullum revera habere motum & sensum. Hanc mihi crede mitterem, si mea esset, ac certus sum auctorem Tibi missurum, sin autem alia occasione curabo ut ea frui possis.

Florentiæ xx. Junii 1755.

661.

JOH. GESNERUS.

Quæ a Dno. Alston Linnæo mihique opposita sunt circa plantarum sexum, partim aliena videntur, partim ex relationibus & observationibus deducta, quæ nec satis fidæ nec satis separatæ & puræ a circumstantibus rebus, quæ experimentum turbare possint. In Mayz non raro spicæ videntur masculinis æque ac fœmineis floribus præditæ. In Spinacia non raro in eadem planta

planta & masculini & fœminei flores. Et quis suspicionem amovebit, non aliunde vel ex ipso horto pollinem masculinum per ventos adferri. Sane in iis plantis fœmineis, in quibus nulla suspicio datur adlati pollinis masculini, certissimum est, nulla unquam semina matura nasci. In horto meo plura exempla habeo Lentisci, Napææ, Datiscæ aliorum, etiam Lychnidum sylvestrium fœminarum.

Locus magnificus, ad quem a potentissimo Rege Borussiæ lautissimis conditionibus vocatus es, quem Te nemo melius tueri & ornare posset, Tibi ex animo hanc regiam gratiam gratulor, etsi optem conditiones optabiliores, quæ Te Patriæ vindicent, in qua litteras instaures & medicinam, atque otio litterario & viridi senecta & helvetica libertate lætus fruaris. Sunt sane inter Bernenses non pauci, qui tuum a Berna abitum serio lugerent, aliis vero ingratis civibus noli cedere.

Tiguri d. 2. Jul. 1755.

662.

J. B. MORGAGNUS.

Vix ad Te, Hallere doctissime, III. Nonas Maji litteras dederam, cum ecce fasciculus ad me tuus, in quo duo prima chirurgicarum dissertationum volumina, opuscula tua pathologica, & gallica de irritabilitate dissertatio: pro quibus, mihi

mihi gratiſſimis omnibus magnas Tibi gratias ago. Illorum & hujus exemplum alterum, ut quæ in fronte ſcripta erant, indicabant, Ariminum ad Plancum perferendum curavi: a quo Tibi gratiæ & perbreve quoddam opuſculum mittitur. Hoc cum libris quibusdam in faſciculum compingam, quos cum olim a Te optari ſignificaſſes, amici tandem, quibus enixe commendaveram, alium in alia Italiæ urbe repererunt, id eſt Nigriſoli *dell' Invaſione de' Topi*, Genga *Anatomia Chirurgica* & Cicarelli *de Tuberibus*. Qui quoniam & perpauci, & parvi ſunt, quæro alios quos addam; pudet enim exigua ad Te mittere, a quo tot & tanta accipio. Fruſtra autem ſciſcitor, an volumen quartum prodierit *delle Memorie de Valentuomini ſtampate in Lucca*, quod pridem a Te deſiderari ſignificaveras: nondum prodiit. Pergratum igitur erit, ſi alia interea ſignificaveris; nam quod in epiſtola data die 24. Junii, mihi nuperrime reddita, vix indicas de illis Petrioli in Boerhaavium, ut putabat, cenſuris; libellus, opinor, eſt parvulus, quem Roma ad me perferendum curabo. Quando majus Zinnani opus ſtatim atque exixit, per Cl. Seguierium ad Te miſſum audivi a noſtro, qui me prævenit, Præcl. Pontedera. Qui quæ de Orchidibus optas, quamprimum ſignificabo: & ſi habebit quas det, ipſe in faſciculo ponam meo. Sed cave, quæſo, ne herbarum ſtudio tantum tribuas, ut in Te ipſo experimenta ejusmodi facias; moleſte enim tuli, ut quod de humero antea ſcripſeras. Nec placuere quæ Tibi in novo illo libro, quem necdum vidi, merito diſpli-

displicuisse, indicas. Ex animo autem gratulor absolutam esse editionem fasciculi tomum VIII. & disputationum volum. III. Vellem pariter absolutam esse Commentarioli *de motu sanguinis*. Tua enim omnia quam libentissime perlego. Itaque jam nunc gratias ago, quod ea mihi, quæ tua est liberalitas, destinaveris. Gratum etiam erit quod dissertationem illam de Thyroidea, titulo auctam, adjunges, & Zinnii, & aliorum alias. Utinam Italia multa mihi daret, quibus aliqua ex parte muneribus responderem tuis: quanquam experimenta feliciter jam iterare inceperunt nostrates, & tua quidem de tendinum sensu, ut ex Tosetti folio, Romæ edito, quod in fasciculo erit nisi forte antea videris, non illibenter cognosces. Vale, Vir Præstantissime, & me, quod facis, ama.

D. Patavii XIV. Kal. Augusti CIↃ IↃCC LV.

Cum hæc scripsissem; noster in pluribus Academiis Collega celeberrimus meique amicissimus Marchio Polenus, dixit mihi, generum suum meritissimum Pontederam nudius tertius ad longius dissita sua prædia se contulisse, in eoque secessu ad magnam usque Septembris partem esse mansurum. Dabimus tamen uterque perlibenter operam, ut quid optes, sciat, si forte vel antequam huc redeat, aliqua saltem ex parte tuis, atque adeo nostris optatis possit satisfacere. Iterum vale.

663.

663.

JOAN. BAPT. BASSANUS.

Summo affectus fum gaudio in recipienda paucis abhinc diebus peroptata epiftola tua, cum præcipue in eadem Te humaniffimum erga me noverim. Expofitum in ipfa vidi experimentum a Cl. Zimmermann factum in muliere, quod profecto una cum cæteris hac in re captis citra quamlibet dubitationis aleam ponere omnino debet tendinum infenfibilitatem apud eos, qui veritate duce in fcientia medica incedendum effe norunt. Spondes opus tuum de motu cordis: nil opto vehementius, quam hoc ftatim recipere; tanti enim a me fit, quanti fieri ea debent, quæ a Doctiffimo Hallero publici juris digna habentur. Si ergo, ut innuis, me eodem donatum velis, poteris Venetias illud dirigere, ea data exterius infcriptione, quam in exiguo chartæ hic contentæ parallelogrammo notatum invenies; & hac ratione tuto meas offendet manus.

Reliqua experimenta tua, Vir Clariffime, tam de infenfibilitate quam de irritabilitate tentamen anatomicum apud nos paffa funt, & fingula pro voto ceffere: Illa præfertim, quæ circa irritabilitatem paravimus, tam miro prodiere exitu, & eventum feliciorem Tu ipfe non poteras exfpectaffe, Auctor celeberrime. Non defuere hic Romani, qui nos imitati experimenta de infenfibilitate inftituta propriis manibus voluerunt; at male

male de ejusmodi veritate ſentientes eos novimus, cum ſatis firmum inde exitum non obſervarint. Nos quapropter tuis, noſtriſque freti tentaminibus æquam dubitandi occaſionem habere putavimus ex eo repetendum eſſe inconſtantem apud ipſos experimentorum exitum, quod ſolertiſſima uſi non ſint diligentia in tendinum denudatione, qua de re factum fuerit, ut ab iis, qui tendinum vaginæ intermixti ſunt, nervis illa prodirent doloris ſigna, quæ tendinum ſenſui tribuenda eſſe pauum recte arbitrati ſunt. Eorum itaque errorem inveſtigantes vaginæ memoratæ partes, & texturam examinandam ſuſcepimus; atque ut id caute & luculenter poſſemus aſſequi, eo uſi ſumus microſcopio, quod ſolare ſolet nuncupari ab Opticis. Hujus ope obſervavimus illius fabricam fere omni in parte cellulosam, & optime vaſa venoſa, & arterioſa diſtinguentes quædam alia filamenta ob oculos habuimus reliquis partibus opaciora, ad quæ nervoſa judicanda facilis admodum inde locus nobis viſus eſt: quæ ſane ſi tendine non apprime expolito, in captando experimento læſerint, mirum non eſt, quod ſubjectum animal doloris ſigna exhibuerit.

Statim ac prodeat nota verſio libelli tui, eam, ut quæris, per Cl. Morgagnum accipies; quam ineditam ideo hactenus detinuimus, ut locupletiorem faceremus additis experimentis captis a celebrioribus Italiæ Profeſſoribus, qui ſuorum tentaminum ſe nos conſcios facturos tunc promiſerunt, cum captorum in hac urbe experimentorum

rum moniti a nobis facti sunt, & ad ea repetenda incitati. At ulterior mora seposita jam fuisset, nisi capitis affectio quædam rheumatica, quæ pravis pertinacibusque stipata symptomatibus a vigesima fere die Maji me invasit, usque adhuc febricitantem detinuisset: nunc vero cum omnia symptomata lævari cœperint, & febris ipsa jam ferme evanuerit penitus, validam dabo operam, ut cito expediatur editio hujusmodi. Ejus ad calcem notatum erit experimentum a Cl. Zimmermanno factum, quo hanc versionem auctam cupis: addentur pariter tum nostra, cum ea experimenta, quæ hac in re capta nobis enuntiarunt nonnulli ex clarioribus Italiæ Medicis. Hæc ea sunt, quæ exponenda duxi: perge, Vir Optime, tua erga nos uti humanitate, & vale.

Dabam Romæ 9. Augusti 1755.

664.

J. D. HAHN.

Cæterum monente Cl. Ramspeckio Tibi non ingratum fore puto, si quædam de Societate scientiarum Hollandica subjungam. Est illa a Consulibus & Senatoribus quibusdam urbis Harlemensis primum instituta A°. 1752. suasore potissimum Viro docto & facundo, Van der Aa, qui Societati nunc ab actis est, Pastore ecclesiæ Harlemensis, quæ ab Augustaea confessione nomen gerit. Mox prævia invitatione in Societatem adscripti celebriores

briores Leidensis Academiæ Professores, aliiqueViri docti ex diversis Belgii civitatibus. Illustris Comes de Bentinck & nobiliss. Hassélaar, urbis Amstelædamensis Consul, patronorum h. e. eorum, qui pecunias in sumtum necessarium erogandas conferunt, numero se adscribi ultro voluerunt. Willhelmus noster, optimæ spei princeps, oblatum protectoris nomen generosissime tuetur. Directores & socii, qui Harlemi degunt, singulis mensibus semel congregantur in aula quadam, Societati a Consulibus dicata, in qua & Bibliotheca colligitur, & suppellex instrumentorum physicorum & mathematicorum. Quæstio quotannis proponitur, utilitatem reipublicæ nostræ spectans; & optime merito aurea moneta 50. ducat. pondere, præmii loco offertur, quo quidem Melchior Bolstra, tractus Rhenolandici Geometra, jam bis decoratus est.

Primus Actorum tomus anno præterito prodiit, sub finem hujus prodibit alter. Varii argumenti quæstiones in his pertractantur; nec tantum mathematicæ, physicæ, medicæ, chirurgicæ, sed & historicæ & ethicæ. Belgico sermone scripta prodeunt, ut omnes nostri cives iis uti queant. Si quis autem alia usus fuerit lingua, eadem, qua scripta est dissertatio, imprimitur, sed versione adjecta. Exemplo est Essai apologetique sur l'inoculation de la petite verole par Mr. Charles Chais, Ministre de l'Eglise françoise à la Haye. Alia vice plura, nisi Tibi aliunde jam cognita.

Ita vale, Vir Illustrissime! mihique favere perge. Scribebam Trajecti ad Rhenum die xv. Septembris 1755.

665.

J. B. MORGAGNUS.

Ante plures dies ad Orellios fasciculum misi, tuo celeberrimo inscripto nomine, Ill. Hallere. Parvulus est; nam ad eos, quos superiore epistola indicaveram, libellos nonnisi paucos nancisci potui, quos adjungerem, in quibus tamen & Lapius est de curatione stranguriæ. Cum huc redierit Gianella; ex ipso quæram ubi prostet epistola, quam edidit, de Ipecacuhana, quæ certe neque apud hos, neque apud Venetos prostat Bibliopolas, multoque minus Curtii opusculum, quod Neapoli quærendum curabo. Sed nomen auctoris *Constituz. nuper di Corletta* satis intelligere non possum. Vetustiores illos, quos necdum habes, per me, & per amicos indagare non cessabo.

Quod ad Orchides attinet, Cl. Pontedera ad me rescripsit. ut Tibi plurimam suis verbis salutem dicam, pollicearque, anno eum proximo libentissime missurum, quæ hoc amplius habere non licet: cujus rei, quam Tibi adeo cordi esse video, suo ipse tempore memor curator ero.

Quæ de Germanis significasti, utinam aliis pensare possem, quæ de nostratibus vicissim scriberem,

berem. Quod de Regis Borussiæ optatis, & de tua hæsitatione, mihi neutrum mirum est. Tibi, utrumque vitæ genus experto, minus, quam aliis, difficile erit, utrum præstet, constituere. Meum est venerari Deum, ut quidquid constitueris, id Tibi fortunet.

Unum restat in litteris tuis humanissimis d. 5. Aug. ad me datis, de fasciculo videlicet, quem hodie a Cl. Pasta accepi, cui Bergomi quidquid ad me venturum est, litterarum quoque, recte commendabitur. Gratias ago plurimas pro tuis primum circa motum sanguinis experimentis, tum pro Zinnii descriptione oculi, & Trilleri dissertatione de fame. Omnia, sed illa inprimis experimenta, legam quam libentissime. Quod in hoc fasciculo dissertationem illam Lauthii, & chirurgicarum disputationum volumen III. contra ac significaveras, ii, quibus negotium dederis, non posuerint, id casu factum puto. Illud recte fecerunt, quod alteram fasciculi faciem duriore & crassiore charta munitam voluerunt adversus exteriores injurias; hæ enim, si illa defuisset, ut exteriora involucra omnia uno in loco, sic etiam inclusos libros omnino erosissent. Quod reliquum est, vale, Vir doctissime, & me, ut amas, ama.

D. Patavii VIII. Kal. Octobr. cIɔ Iɔcc LV.

666.

D. LUDWIG.

Diu multumque hæsitavi, an Tibi Vir Generosissime hunc fasciculum mitterem, fama enim ferebat Te in Germaniam proxime reversurum. Cum vero hac in re dissensus ille esset, ut alii Halam, alii Berolinum, alii Göttingam Te reversurum esse pronunciaverint, & ante festum Paschatis vix commodior se offerre poterat occasio, tandem libros mitto, quos in ultima Strumphii auctione obtinui: expecto quidem notulam de iis libris, quos ex Bibliotheca Günziana desideras, sed timeo eandem nimis tarde accessurum esse, cum intra 6. dies initium auctionis faciendum sit. Pauca quæ prodierunt addo, nam & ego hac tota æstate a studiis quasi remotus fui, cum morbus gravis D. Hartranftii per tres menses me circa lectulum amici occupatum retinuerit. Accessit mihi post mortem hujus amici portiuncula hæreditatis, scilicet collectio ossium morbosorum ab eo facta, ex qua ea, quam olim ab Hommelio Argentoratensi Prosectore coëmi, & sparsim collegi, egregie aucta fuit. Id tantum dolendum est, hunc virum satis eruditum practicis negotiis detentum, observationes institutas schedula non consignasse, inde enim factum est, ut specimina quædam ossium curiosorum minus pretiosa appareant: id tamen commodi mihi accedit, ut in lectionibus meis de ossium morbis proxime habendis, omnes differentias in ipsis ossibus ostendere possim. Sed ego

ego grates Tibi perſolvo maximas, quod & primum alterumque tomum diſſertationum chirurgicarum,& opuſcula pathologica mecum communicaveris, quarum ideam proxime in commentariis noſtris tradam, doleo tamen me nihil habere quod Tibi reddere poſſim.

Dabam Lipſiæ d. 20. Oct. 1755.

667.

J. T. KOELREUTER.

Ex litteris tuis, ad Dn. Prof. Gmelinum datis, intellexi, Te Orchidis cujusdam labello lineari longiſſimo characteres deſiderare delineatos. Semel iſtam vidi ante biennium florentem in prato quodam montano ad meridiem vergente, eandemque in herbario ſiccam aſſervo; ſtructura vero florum, uti in Orchidibus fieri ſolet, exſiccatione ita mutata fuit, ut exinde Tibi nil certi atque diſtincti tradere poſſim.

Quamobrem ut deſiderio tuo ſuccurrerem, adii ſtatim locum, quo antea inveni, natalem; aſt ſpes me omnino fefellit, cum nec hic nec alibi ne minimum quidem hujus Orchidis indicium appareret. Maxime itaque doleo, Vir Illuſtriſſime, hac vice promiſſa me non potuiſſe exſolvere, prima quaque tamen occaſione Tibi ſatisfaciam. Hujus loco liceat mihi dare delineationem ac deſcriptionem Fungi cujusdam, quem

 elapſis

elapſis tribus abhinc annis Sulzæ ad Nicrum in ſylva meridionali inter Sphagnum reperi. Inſidebant nimirum perpendiculariter membranæ ſicciori, tenaci ac pallide flaveſcenti corpuſcula ovato oblonga, dura, nigra, lævia, per duas ſeries diſtributa, quorum altitudo erat linearum duarum geom. Omnes ſatis preſſe erant diſpoſiti inter ſe, ac cum membrana pedunculo vix notabili conjungebantur. Quibusdam horizontaliter diſſectis, interior ſubſtantia uniformis erat, dura, ac fere plumbei coloris. Diu hæſitavi, ad quodnam genus commode poſſet referri; interim cum ita dubius eſſem, in manus mihi venit Cl. Gled. Meth. Fung. ex cujus definitionibus ac tabulis æneis percepi, illum ad genus IX. Stemonitis, optime amandari poſſe. Certe quoad faciem externam huic generi convenit, quod internam vero attinet, ob duritiem a Stemonitide plane differt, cum ſc. omnes a Botanicis traditæ ſpecies ſpongioſam ac tenuem oſtendant ſubſtantiam, eamque valde fugacem.

Fateor, deſcriptionem hujus Fungi in pluribus Botanicorum recentiorum libris me nuſpiam deprehendere potuiſſe. Tu quid hac de re ſentias, Vir Illuſtriſſime (ni modeſtiam Tibi faceſſam) lætus exſpecto.

Si exigua hæc mea officia tanto Viro placebunt, ad omnia, quibus par ero, ſum paratiſſimus.

Vale ac vive diu cum illuſtriſſima familia tua, & favore tuo ulterius proſequi perge.

Dabam die xxv. Octob. MDCCLV.

668.

668.

J. C. RAMSPECK.

Noli obſecro ægre ferre, quod tardius forſan, quam Tibi par eſſe videtur, & nunc demum officio meo ſatisfaciam, deque mea in hacce Muſarum ſede commoratione certiorem Te reddere hactenus diſtulerim; id ideo a me factum eſſe pro certo aſſerere auſim, meque eo potius veniam a Te Vir Perilluſtris! impetraturum confido, quoniam, antequam litteras ad Te darem, notitiam accuratam eorum, quæ ad ſtudia in Belgio univerſim, præſertim vero in hacce Univerſitate ſpectant, comparandam mihi duxi, ut eo confidentius ea quæ obſervavi Tecum Præceptor Devenerande communicarem.

Poſtquam die 12. Auguſti patrios reliquerim Lares, atque in itinere per dimidium diei Argentorati commoratus Cl. ſalutaverim Spielmannum, quatriduo poſt Moguntiam veni, ubi Schmittium Profeſſorem ultimo ſolum ante diſceſſum meum bihorio inviſere licuit, qui Chemiæ præprimis operam dans multa mihi de ſuis hocce in ſtudii genere narravit laboribus; adii inde thermas illas atque acidulas finibus in iſtis ſitas Swalbacum nempe, Schlangenbad & Wißbaden; hac deambulatione finita Moguntiam redux navem iterum conſcendi, qua Coloniam vectus tempeſtatem propter procelloſam moram ibi nectere fui coactus; triduo effluxo ſecundo flumine in

itinere pergens transiensque Neomagum & Ultrajectum, primo tandem Septembris die salvus ac sospes in hac musarum adveni sede. Feriæ tunc adhuc durabant æstivæ, hinc multi Professorum otium & quietem sectantes in rus secesserant, studiosi pariter plerique aliorsum sese per hocce temporis contulerant intervallum, quo factum, ut urbs ista quodammodo apparuerit deserta. Adii ante omnes amicissimum Weissium meum, qui itidem in prædio suo leuca ab urbe distante otio indulgebat philosophico: perhumaniter ab eo pro more exceptus, & per biduum in amœno hocce loco fui commoratus. Ut vero initio lectionum a Professoribus habendarum interesse possem, durantibus adhuc feriis, deambulationem in reliquas Belgii instituti civitates, Harlemum nempe, Amstelodamum, Ultrajectum, Rotterodamum ac Delphas. Amstelodami per octiduum commoratus salutavi Clar. Joh. Burmannum: litteris commendatitiis ab illustro Gesnero nostro instructus, quare statim sub adventum meum cum ipsius filio studio medico hic incumbente amicitiam contrahere licuit, neque sane humanissimi hujus Viri singularem plane benevolentiam ac affectum, quem mihi exhibuit, satis laudare possum: non enim solum aliquoties convivio me excepit, verum & Bibliothecam suam una cum Museo, imprimis vero stupendam farraginem plantarum ad vivum magnis cum sumtibus delineatarum, inspiciendam atque examinandam negotiis multis licet obrutus mihi concessit, plantas præterea nonnullas ex Herbario Garciniano, cujus

partem

partem poſſidet, mihi donavit. Hortum Amſtelodamenſem aliquoties cum eo adii, ut & prædium ipſius haud procul ab urbe diſtans. Plumierii ſtirpes americanas, quarum icones autoris manu propria delineatas poſſidet, cum deſcriptione addita publici nunc facit juris, cujus operis initium impreſſum ac ſculptum itidem apud eum conſpexi. Quum ex me audiverit Te Vir perilluſtris! tractatum de Orchidibus parare, multasque hujus generis tam ſiccas quam vero inprimis pictas exoticas poſſideat ſpecies, eas ad laborem tuum promovendum Tibi offert, utque hoc ad Te ſcriberem, me rogavit. Rumphii porro ultimum tomum cum aliis ſe Tibi miſſurum, eaque mihi in Helvetiam redeunti traditurum dixit. In hacce præterea urbe, quæ compendium mundi haud incongrue vocari poteſt, omnia fere memoratu vidi digna, opera & amicitia inter alia uſus Dn. Vernier Chirurgi Bernatis, praxin ibi exercentis. Amſtelodamo Ultrajecto petens reperi ibi Ch. Hahnium munere Rectoris h. t. fungentem Virum ſane omni pacto dignum qui ametur, cui vero Faſciculum tuum jam antea hic Leidæ, quum in ædibus excell. Gaubii Avunculi ſui per aliquot verſaretur dies exhibui, is pariter multa amicitiæ & amoris in me contulit teſtimonia; ſalutavi ibi Oſterdyckium atque Woerdmannum, medicinæ Profeſſores, uti & Cel. Wachendorfium a laudato Hahnio ad eum introductus. Hortum academicum retro ipſius ædes ſitum cum eo ingreſſus bono cum otio perluſtravi, qui certe tam quoad ordinem, quam copiam ſtirpium primum

mum ferme inter Belgii academicos Hortos obtinet. Locum imo dubitaverim annon huic noſtro præferrem Leydenſi, id quod etiam multi ſentiunt; pleræque ſtirpes Belgii indigenæ ibi coluntur, id quod mihi perplacuit, etiam quoad copiam exoticarum rariorum nullatenus eſt inferior. Accepi inde Pentapeten & Indigophoram, quæ hinc non proſtant. De methodo vero Wachendorfii alia eſt quæſtio. Hagæ Comitum amicitia fruor celeberr. Königii veſtratis, ejusque doctiſſimi diſcipuli Hentzii, quos jam ſæpius inviſi. Clariſſimo Schwenkio Horti botanici Hagenſis Præfecto innoteſcere, ac cum eo amicitiam licuit contrahere, opera ac commendatione uſus laudati Königii. Accepi ab eo inter alias raras plantas Volkameriam in flore, quæ nullibi in Belgio exſtat, cum nonnullis ſeminibus non minus raris, quæcunque etiam ab eo peterem lubentiſſime daret. Hortus iſte botanicus juſſu defuncti Principis inde a nonnullis annis in publicos deſtinatus eſt uſus, exoticis ſane refertiſſimus, imo fere crediderim eum palmam Leydenſi noſtro brevi prærepturum, rariſſima ac nova quandoquidem ſemina quotannis ex Indiis utrisque & Promontorio bonæ ſpei ad laudatum Schwenckium mittuntur. Alpina adhuc deſiderat, in quibus, quantum potero, in patriam redux ipſi inſerviam. Catalogus plantarum ſolum officinalium horti hujus jam anno 1752 prodiit, quem habeo. Quod nunc ad ſtatum præſentem hujus ſpectat Academiæ, numerus medicinæ ſtudioſorum quinquagenarium vix excedit, quos inter

inter plerique sunt Belgæ, 4. Tigurini discipuli Gesneriani, totidem Bernates ex Païs de Vaud, unicus Russus qui præsertim dei herbariæ operam dat utpote Academiæ Petropolitanæ futurus Botanicus, aliisque Græcus e Smirna oriundus, Anglum pariter modo novi unicum. Ab hora septima usque ad octavam sedulo interfui demonstrationibus botanicis a juniore Royeno nunc Botanices Professore in horto habitis, quibus vero inde ab octiduo circiter frigoris & hyemis ergo finem imposuit; Quum nondum satis sit exercitatus utpote Juvenis 26 annorum totam suam lectionem e charta, quam in manibus tenebat, prælegit, cæteroquin est admodum humanus mihique favens, hinc etiam eo permittente omnia quæ adhuc dum florebant, ab hortulano accepi ad herbarium meum augendum, ut hoc pacto sat magnum plantarum fasciculum hic collegerim. Præter multas novas species in prodromo non reperiundas quatuor nova in horto exstant genera, quorum descriptionem ac delineationem Royenus credo dabit. Primum est Wachendorfia, nomen ab Hahnio nostro impositum, planta tetrandria infundibuli formis. Secundum est *Nerion* ab hortulanis hactenus dictum *Gallorum*, quod a Millero Anglo Belgæ acceperant, planta ad Nerion fere accedens & inprimis ad illud Burmanni Zeylanic. p. 168. sed nullas habet in medio barbulas; de fructu nil adhuc dici potest, hinc nullum adhuc nomen ipsi fuit impositum, si per me staret Schwenckiam nominarem. Tertium est Dayena, a Büttnero nostro in

in honorem Ducis d'Ayen, apud quem Botanici vel hortulani munere functus est, planta sic nominata, flos exiguus, mirificæ sane ae heterodoxæ structuræ, cujus similem nullam novi. Quartum Planta quædam radiata ad Buphthalmum ferme accedens. Agrum Leydensem & colles arenosos *Duynen* dictos cum Russo illo atque Burmanno jam aliquoties peragravi, absque ut novi quidquam observare licuerit. Senior Royenus Botanices peritus valedixit, ejusque loco materiam medicam, & praxin docet. Junior post aliquot annos novam & auctam Prodromi curabit editionem, quum nulla fere amplius exemplaria ejus prostant, hinc magno sat pretio venditur; floram autem ipsam Leydensem utpote Prodromi sequelam nunquam opinor prodituram. Hora octava Muschenbroekii Collegium physicum experimentale frequento, hora nona mox D. Allamand audio, etiam Physicam docentem, mox seniorem Royenum in Aphorismos Boerhaavii commentantem. Hora decima est Albini pro Physiologia sua. Vir iste febre intermittente hactenus laboravit, ita ut duas modo ante hebdomadas cursum suum inchoaverit, magno certe gaudio studiosorum, qui eum summa prosequuntur veneratione, & quidquid dicit tanquam e tripode accipiunt. Præteritis diebus eum invisi a Consultiss. Weissio introductus: perhumaniter nos excepit, quod sane fortunæ non omnibus contingit, plurima de ipsius tabulis cum eo confabulatus audivi se 25000 florenorum circiter in eas impendisse; etiam dixit se reliquas Anatomiæ partes,

partes, ſi Deus vitam conceſſerit, eodem modo editurum. In lectionibus ſuis prolegomenis finitis de circulatione ſanguinis incepit, quam nondum abſolvit. Pulcherrima jam aliquot præparata ibi vidi imprimis arteriarum tunicas. Cæteroquin magna ipſum φιλαυτια laborare, ſuique æmulos non amare res eſt certiſſima. Hora undecima ſumma profecto cum oblectatione audio Cel. Gaubium, Chemiam ſolide, clare & methodice docentem. Hora duodecima Albini junioris demonſtrationibus in theatro anatomico interſum. Hora ſecunda iterum audio Cl. Gaubium Pathologiam docentem ſecundum propria dictata, quæ nunc ſub prælo ſudant, quorumque pars initialis jam in ſtudioſorum manibus verſatur. Hora tertia lectiones D. Allamand frequento, qui in hiſtoriam naturalem commentatur, ampliſſimo & lectiſſimo inſtructus muſeo. Hora quarta Cl. Winterus Collegium caſuale clinicum habet, cui pariter interſum. Vides ex hiſce Vir perilluſtris, neutiquam me hic eſſe otioſum, ſed ſatis occupatum. Plerorumque Profeſſorum amicitiam mihi comparavi, introductus ab honoratiſſimo Weiſſio meo, qui omnis generis amoris & affectus teſtimonia abunde in me confert. Alios præterea Eruditos urbis hujus novi, quos inter primum numero celeberr. J.Frid. Gronovium, ad quem & ipſius inſtructiſſimum Muſeum aditus mihi quotidie patet, & nunquam niſi doctior ab eo diſcedo; recentiſſime in lucem emiſit Floram orientalem Rauwolfii, cujus exemplar pro ſuo in me affectu mecum communicavit.

Ita

Ita vale, Vir Perilluſtris, Præceptor devenerande! neque favori tuo commendatum habere perge.

Dabam Lugdun. Batav. d. 4to Novemb. 1755.

669.

D. C. SCHOBINGER.

Faſciculum litterarum a Cl. Reichardo Medico Heilbronnenſi ad me miſſum, quamprimum fieri potuit, Vir Ampliſſime, hic Tibi transmiſi. Si quæ porro ab iſtis regionibus hac via Tibi advenerint, omni cura & ſollicitudine reddenda Tibi citiſſime percurabo. Gaudeo quam maxime ita occaſionem mihi fuiſſe natam, Vir Perilluſtris & Ampliſſime, Te litteris compellendi, quod hactenus nondum facere licuit, cum nihil attentione tanti Viri dignum tranſcribendum habuerim. Summa lætitia cum bonis omnibus perfuſus fui ob reditum tuum in Patriam, uti D. O. M. Te, Perilluſtris Vir, communi Patriæ diutiſſime ſalvum incolumemque præſtet, Teque cum generoſiſſima familia omnibus felicitatis generibus quam largiſſime compleat. Dolui ſuo tempore acerbe infelicem caſum fracti brachii, quem paſſum Te fuiſſe accepi.

Si quid de rebus meis, Vir Ampliſſime, addere audeo, id erit, quod in matrimonio felici, quæ Dei bonitas eſt, jam a 2. inde annis vivam; quod

quod praxis mea anguſtis ſemper adhuc limitibus includatur; curationes, quod ſine jactantia dicere ſuſtinuerim, multæ feliciſſime ſucceſſerunt, errores quos forte commiſi, cum ſolatio meo vidi & a ſenioribus Medicis experientia claris committi, adeoque pari fortuna circiter in medicina facienda cum illis utor. Si forte præjudiciis antiquis lubentius ubique mulierculis obſequerer, uno verbo Charlataneriæ artes amarem, aut unquam veritati præferre potuiſſem, multis gratior ſuo damno eſſem, pluraque negotia me premerent. Sed hactenus Deus hunc falſi amorem a me avertit, &, quidcunque inde fiat, porro avertet. Scripſiſti, Vir Ampliſſime, ante aliquot annos de morbis ventriculi rarioribus, & ni fallor ulcera ventriculi huc retuliſti, non poſſum, quin hic perſcribam, ante paucas hebdomades D. Wildium Med. Doct. noſtratem aperuiſſe cadaver viri mediæ ætatis, qui aliquot annos, 4 ad minimum, tortus per intervalla nunc brevia nunc longiora fuit graviſſimis ventriculi & inteſtinorum doloribus, qui ſemper demulcentibus & mitiſſimis laxantibus pro tempore levabantur, donec tandem dolor a regione ſiniſtra ventriculi & lienali fere ſede ultima vitæ periodo anni iter ſpatio non amplius recederet, ſed ſuos paroxyſmos ibi ſemper maxime exerceret. Huic ægro adpetitus ad ultimum fere uſque vitæ ſemeſtre ſat integer perſtitit, ſed pauca valde ſemper alvus fuit, ut excretio hæc ciborum quantitati minime proportionata fuerit, ſed, quod mirum, ſine ſenſibili valde abdominis inflatione ad mortem fere uſque, quæ tandem

dem ſummè emaciato corpore inter atroces dolores & tandem ſphaceli ſigna in abdomine, contigit. Hujus hominis cadavere aperto, vidit Wildius noſter ventriculum in anteriori ſuo pariete, qua verſus pylorum aſcendere incipit, magno ulcere, monetam 15. crucigerorum St. Gallenſem diametro æquante perforatum; ventriculus totus adeo fracidus fuerat, ut & lien, ut fere digitis conteri ubique potuerint; abdominis cavum inter viſcera plenum ciborum colluvie effuſa; de omento nil memoravit, hepar ſat integrum: inteſtina inflatiſſima craſſa parte ſui, tenuia & craſſa hinc inde ſphacelata, lividiſſima. Ob ſummum fœtorem ultra non inquiſitum fuiſſe. Doleo, Vir Perilluſtris, me exactius hanc obſervationem exarare non poſſe, refero, ut retulit Wildius noſter, ipſe nec morbo nec ſectioni adfui. Tamen digna notatu obſervatio viſa fuit. Nuper vero cum D. Gillero ventriculum examinavi juvenis arſenico mortui, ſed rotulis tantum immixti, er aß Mauß-zeltlein ut hic vocant, hic ventriculus circa cardiam & plurimis ſui locis pulcherrimam injectionem anatom. ſiſtebat. Inteſtina illæſa videbantur, dolebam tamen nos ad nimiam feſtinationem coactos fuiſſe. Muci rubelli plurimum in ventriculo erat, ſimilemque vivus adhuc evomuerat. Odor allii nullus ſentiri potuit, nec fœtor gangrænoſus, cum tamen cadaver ſat calido tempore 27. horis demum a morte apertum fuerit. Nec valde inflatum cadaver fuit, ſanguinis coagula fere nulla.

Dabam St. Galli d. 26. Nov. 1755.

670.

XAVERIUS MANETTI.

Rupertus Gherardi auctor libri ab ipso una cum epistola Tibi missi, est Eques litteratus meæ Patriæ, qui quum sit amicus nonnullorum nostratum Medicorum, qui contra usum mercurii scripserunt, autumavit, se decere illos defendere illud conscribendo opusculum, Tibi apprime notum, qua de re diversum partium studium mentes horumce Medicorum adeo tenet, ut nunquam desinant, nec desierint inter se acerrime rixari, atque in dubium revocare, utrum hydrargyrum tam exterius, quam interius adhibitum prodesse, vel possit obesse; atque jam duodecim numerantur anni, ex quibus pugnatur, cum nondum depugnatum sit, quamvis saltem quindecim opuscula de hoc prodierint: favor eorum, qui adprobant illud auxilium doctissimis ac præstantissimis Viris constat, eis vero, qui idem improbant, aptari mea sententia posset hæc tabella:

Malus quum sutor inopia deperditus &c.

At hæc ad animi remissionem dicta sint; quod autem ad optatas *Orchidas* attinet, maxima sollicitudine a me futuro colligentur vere, atque e vestigio ut perferantur curabo, una cum cæteris σκελετοις plantarum nostratis agri, quæ quidem in promptu jam sunt. Opuscula tua, quæ nunc typis cuduntur, gratissima erunt, quum miseris. Dicam interea me in Sauvagesii opus scripsisse, ut

fateor, ut videre eſt, non plene me confirmaſſe ejus ſententias, neque ſarta tectaque pericula ſua feciſſe, immo & verum dixerim, in corde potius tuas quam illius opiniones proſequor.

Quidquid Florentiæ circa tendinum inſenſibilitatem detectum ſit, narratur in epiſtola latina, quæ ut deferretur Veronæ ſtudui clariſſimo Seguierio pro Te, at vereor ut nondum acceperis, etenim idem ipſe, quum eo meæ litteræ pervenerint, diſceſſerat, Verona petiturus Taurinum, deinde Nemauſum dulciſſimam ſuam patriam, in qua deinceps morari decreverit. Quapropter meæ litteræ una cum nonnullis libris Nemauſum mittentur, ex quo ſpero æque Tibi ac cæteris amicis miſſurum, quæ ipſorum intererint. Tandem clariſſimus Cocchius, prælaudatique Viri Gherardius & Benevolus, nonnullique alii Profeſſores hujus verbis jubent, me eorum nomine Tibi tum agere grates longe maximas, tum Te humaniſſime ſalutare, inter quos & ego facio, ſemperque ut valeas Deum O. M. rogabo.

Scribebam Florentiæ d. 5. Decembr. 1755.





TABULA EPISTOLARUM

TOMI III.

TABULA.

T A B U L A.

TABULA.

